
Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XIX. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXIII.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud
Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Pataui apud Io. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

QH 7 .C66 v.19 SCNHRB

I.

Journal de Médécine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par Mr. A. ROUX, Docteur Régent de la Faculté de Médécine de Paris etc. Tome XXIX, à Paris 1768, chez Vincent, 8. Alph. 1. pl. 13. tab. aen. 1. Tom. XXX. 1769, Alph. 1. pl. 13.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, cet. pertinens. Auctore Cl. A. ROUX. Tomus XXIX et XXX.

Menſe iulio 1768 haec inprimis notatu digna continentur. Tom. XXIX.

2) Cl. DE CAZELES *obſeruatio de verme ſolitario ſiue taenia perforata.* p. 26.

Obſ. 1. Femina 70 annorum, temperamento cholerico et corpore gracili praedita, per tres annos colica ſtomachica, cordis palpitatione et poſt quietem ponderis alicuius grauitate, cui nauſea erat adiuncta, quotidie pulſu irregulari febrili obſtructioneque aluina vexabatur: quae cum, fruſtra adhibitis a Cl. Auctore, qui maraſmum adeſſe putabat, medicamentis ſtomachicis, humectantibus dulcibusque, de pondere in ventriculo, nauſea et vomitu quotidie conqueri pergeret, indicationem euacuatoriam, additis aliquot guttulis ſyrupi GLAVBERI eo cum

euentu uſurpauit, vt, poſt vomitus aliquot et deiectiones per os et per aluum, taenia, quae longitudinem circiter quinque pedum aequabat, eiecta, aegra conualeſceret. Obſ. 2. Femina ſexaginta nouem annorum, plethorica, per aliquot iam annos colica ventriculi et inteſtinorum periodica irregulari, maxime poſt quietem laborabat: quae colica, antequam aegram inuaderet, nauſea et vomitu cum excretione materiae copioſae, nec non exploſione flatuum annunciabatur, et, vtplurimum horis 24 elapſis, emiſſis ſurſum deorſumque flatibus copioſis finiebatur. Quem morbum, cum Cl. Auctor a digeſtione deprauata pendere putaret, antiſpaſmodicis remediis iunctis amaris corrigere ſtuduit: quibus id effecit, vt colica minus frequens et vehemens rediret. Poſt menſes vero aliquot deglutitione laeſa, hypochondriorum inflatio cum dolore vehementi, vomitus et defectus ſomni inſequebantur: in hoc ſtatu Noſter, cum medicamentum purgans ſine ſymptomatum remiſſione vomituque ſubinde adeo ingraueſcente adhibuiſſet, per clyſmata tantum aluum liberam ſervauit; interim vomitu quotidie aucto, per quem materiam aquoſam, viridem, viſcidam et ſimul innatantem lumbricum reiiciebat, Cl. Auctor, cum a vermibus haec omnia proficiſci cognoſceret, decoctum foliorum menthae, anodynis iunctis, ob vomitum per aliquot tempus adhibuit, et tandem ope pulpae caſſiae et mannae, ſolutae in decocto foliorum menthae, aegram eo cum ſucceſſu purgavit, vt pars taeniae expelleretur, quae eam figuram, quam aeri inciſam exhibuit Cl. Auctor, referret: quae quidem quinque lineas in vna, in altera vero extremitate duas tantum lata, fere catenam ſimularet, cuius articulus quiuis lateralis lineis transuerſis profundis notatus eſſet; oppoſitus vero ſeminum cucurbitae, quorum vnum ad alterum eſſet appoſitum,

ſpeciem

DSI

ſpeciem mentiretur: praeterea quilibet articulus foramine nec non papilla praeditus erat, quam ſpeciem Cl. Auctor putat nouam eſſe. Aegra ea, quam ſupra deſcripſimus, ratione multas partes taeniae, ſed vulgaris ſpeciei eiecit, donec conualeſceret.

Menſe auguſto.

2) Cl. DUFAU *obſeruatio de morbo hyſterico verminoſo.* p. 120. Puella nouem annorum viuida et hactenus ſanitatis optimae, anno 1763, menſe maio, lipothymia, iuncta reſpiratione laborioſa et intercepta, ſtridore dentium nec non pandiculationibus afficiebatur. Exhibitis iis remediis, quae in eiusmodi morbo ſolent exhiberi, aegra poſt horam vnam fere reſtituta fuit. Tertio die morbus non minori vehementia eam denuo inuaſit, nec non quinto die morbus rediit; ſed loco quietis, quae alias ſolet inſequi, paroxyſmo ſuperato, motibus conuulſiuis membrorumque contorſionibus rigiditateque adeo vehementi correpta eſt, vt potius frangerentur, quam flecterentur membra; aegra vero modo ridebat, modo plorabat et ſuſpiria mouebat: quo paroxyſmo ſuperato, alius 24 horarum ſpatio, nullo ſeruato ordine, ſemper maiori cum vehementia rediit. Lipothymia durante, aegra ſenſuum vſu gaudebat, et ad omnes quaeſtiones reſpondebat, ſed de dolore pedum vehementi conquerebatur; praecipue vero percipiebat motum in abdomine ſphaerae magnae quae vſque ad pharyngem aſcendebat: hinc aegra etiam maxime ſuffocationem metuebat. Poſteaquam vero deſcenderat hic globus, quem aegra appellare ſolebat, in ventriculum, conuulſiui motus denuo redierunt, tum omnia, a nobis enarrata, variari, nullo ſeruato ordine, repetique ſolebant; paroxyſmo vero finito, aegra omnibus negotiis, vti ſana, praeeſſe poterat.

 Paren-

Parentes ſolliciti de ſanitate filiae medicum veteranum de hoc morbo conſulebant, qui eius cauſſam a vermibus, in primis viis hoſpitantibus, ortum ducere recte ſuſpicatus, ſanguine in pede emiſſo, emeticis catharticisque vſus eſt; ſed, cum morbum in pejus ruere videret, naturae omnia relinquere conſultius duxit. Exeunte ſeptembri, omnia per ſe remittebantur ſymptomata, et per duos menſes fere aegra vim redeuntis mali non ſenſit; ineunte vero menſe decembri, accedente febre intermittente, denuo ſymptomatibus ſupra enarratis aegra usque ad tempus vernale vexata fuit, eademque remedia omnia iterum ſine fructu ſunt tentata. Auctor itaque menſe auguſto in conſilium vocatus, examinatis omnibus cauſſis, ex eo etiam, quod aegra aliquoties iam vermes excreuerat, halitumque foetidum, nec non pruritum narium habebat, cauſſam proximam morbi hyſterici vermes eſſe coniecit. Praeſcripſit itaque Cl. Auctor emeticum, et ſequente die purgans, cuius baſis extractum rhabarbari erat, adeo bono cum ſucceſſu, vt, reiecta magna copia lumbricorum aſcaridumque, aegra reſtitueretur, et per tres annos iam optima ſanitate frueretur.

p. 129. 3) Cl. FEUILLERADE *de efficacia aquae frigidae, in motibus conuulſiuis uſurpatae, obſeruatio.* Cl. Auctor menſe octobri ad aegrum, de quo medicus iam deſperauerat, quique remedium vltimum potum caffeae praeſcripſerat, in conſilium vocatus, eum vidit eiusmodi ſymptomatibus, in extremitatibus ſuperioribus motibus vehementiſſimis conuulſiuis ſpasmoque cynico, nec non rigiditate totius corporis, cum pulſu tamen naturali laborare. Reiecto vſu caffeae exhibuit ius pullorum, et, abraſis capillis, telas linteas, aqua frigida imbutas, capiti applicuit: quod cum ter eſſet factum, motibus conuulſiuis ceſſantibus aeger eſt reſtitutus.

Cl.

5) Cl. RICHARD *epiſtola de ſpina bifida et hydrope, per remedia varia ſanatis.* Femina quaedam cum anno 1755, die 30 ianuarii filiam peperiſſet, quae tumorem magnitudine oui gallinacei, ad tertiam vertebram dorſi et ſecundam lumborum ſitum, habebat, Cl. Auctor quarto poſt partum die in conſilium vocatus, tumorem hunc partim carnoſum, partim ſimilem bullae inuenit, fluctuationemque per totum tumorem ſenſit, extremitatesque inferiores paralyticas, colore plumbeo et puſtulis gangraenoſis obſeſſas perſpexit. Quodque mirum erat, tempore inſpirationis tumorem intumuiſſe, et in exſpiratione detumuiſſe, vt tandem infans die octauo exſpiraret. Sectione tumoris inſtituta, effluebat lympha flaua, eoque vlterius diſquiſito, ſanguinis nigri magnam copiam, in qua filamenta neruea natabant, emiſit; vertebras vero, quae ad tumorem reſpiciebant, numero quatuor ſine apophyſibus, easque parte corporis media deſtitutas inueniebat. Filamenta neruea, quae in tumore diſſecto reperit, caudam equinam eſſe coniecit: de qua re Cl. Auctor certior eſſe potuiſſet, ſi diſſectio columnae ſpinalis vlterior conceſſa fuiſſet. *Obſ.* 2. Anno praeterito iuuenis, 14 annos circiter natus, ictero affectus hepar permagnum induratumque habebat; qui, adhibitis remediis contra obſtructionem huius viſceris per longum temporis ſpatium, ſine vllo effectu, indies debilior factus leucophlegmatia afficiebatur: contra quem morbum cum etiam remedia vſitata inutiliter adhibuiſſet, reiectis a Noſtro omnibus remediis hactenus adhibitis, praeſcripſit aegro quotidie drachmam vnam nitri, in aquae menſura vna ſolutam: hoc remedio per duos dies uſurpato, aeger hydrocele magna laborare coepit; vſu vero huius remedii continuato, hydrocele quoque diſparuit aegerque die decimo quinto prorſus conualuit. *Obſ.* 3. Ruſti- p. 140.

 cum

eum, aſcite laborantem, ante decem annos remedio ſanauit, vbi ei ad morbum tantum mitigandum, non vero ad ſanandum ſuaſit ptiſanam, ex herba taraxaci et clauis ferreis aerugine tectis compoſitam. Poſt menſes ſex Cl Auctor ad alium aegrum eiusdem domus vocatus, ruſticum hunc ſanatum hoc remedio inuenit.

p. 162. 7) *Obſeruatio* Cl. MARTIN *de noxa luxationum repoſitionis neglectae.* Obſ. 1. Anno 1764, die 30 auguſti hominis cuiusdam brachium eſt luxatum. Auctoritate nonnullorum curae ſe tradidit ſacerdotis, qui luxationes fracturasque ſanare dicebatur: ille extenſione, hominis robuſti ope, inſtituta, moxque faſcia ſuo more applicata, aegrum per menſem integrum motum ſuſcipere vetuit, quod quidem ab aegro obſeruatum fuit exactiſſime: menſe praeterlapſo, aegro denuo faſciam applicauit promiſitque, die decimo quinto eum ſanum fore: quo finito tempore cum nondum aeger brachium mouere poſſet, ad Cl. Auctorem acceſſit, qui, inſtituta diſquiſitione, brachium nondum repoſitum perſpexit: adhibitis itaque antea purgantibus et venaeſectione invnctioneque per vnguenta in loco affecto, praeſentibus aliis chirurgis Cl. Auctor repoſitionem membri tentauit, ſed fruſtra, nec ille ſanatus eſt. *Obſ. 2.* Sexagenarius, cum eius brachium ſiniſtrum die primo octobris anno 1767 luxatum eſſet, quoque, vti prior, agyrtae ſe tradidit curae, nec recuperauit ſanitatem. Venit itaque die 5 nouembris in ptochotropheum, nec, quanquam adhibita a Noſtro cura omni, membrum vllo modo reſtitui potuit.

p. 171. 9) *Obſeruatio* Cl. DUMAS *de vulnere capitis.* Initio menſis octobris anno 1766 infans nouem annorum, cadendo partem anteriorem capitis vehementer lapidi impegit, ita, vt ſenſu omni deſtitueretur,

retur; tamen paullo poſt ſine adiumento vllius ſurrexit, atque ad parentes domum peruenit. Verſus veſperam vero, ob dolorem vehementem capitis, parentibus, quid ſibi accidiſſet, enarrauit. Examinato itaque diligenter capite, nulla contuſio inueniebatur; dolor tamen capitis augebatur, vomitusque nec non diarrhoea noctu puerum inuaſerunt, qui et mane in ſoporem incidit cum ſenſuum defectu. In quo ſtatu parentes venam incidi ob debilitatem infantis nolebant prius concedere, quam die tertio; quo facto infans ſtatim ad ſe rediit vomitusque ceſſauit. Poſt duos menſes Cl. Auctor in conſilium vocatus, dolorem capitis vehementem, alternantem cum febrilibus motibus vagis extremitatumque inferiorum paralyſi in aegro inuenit. Ex quibus omnibus Noſter collegit, abſceſſum cerebri adeſſe; interim infantem medicamento purgante, cui anthelmintica iuncta erant, euacuauit, quo adhibito, infans glebam magnam vermium reiecit paullulumque melius ſe habuit: praeterea aluum per clyſmata liberam ſeruauit, nec non pediluuia ex plantis aromaticis, cum vino decoctis, adhibuit. Emaciatio tamen corporis debilitasque ſumma aliaque ſigna febris lentae, quibus aeger adficiebatur, cum indies augerentur, conſilio Cl. Auctoris menſe auguſto anno 1767 ad thermas Aluerniae aeger miſſus eſt, vt ibi embroche inſtitueretur; ſed et hoc auxilium fruſtra tentatum eſt. Poſt aliquot dies vero ad angulum poſteriorem et inferiorem oſſis parietalis tumor caſtaneae magnitudinis ſe monſtrauit, qui, poſtquam in ſuppurationem abierat, paruaque puris copia effluxerat, abſceſſus denuo eſt conſolidatus, dolore capitis deinde remiſſo, extremitatum inferiorum paralyſis quoque ſanata eſt.

10) Cl. SOYEUX *obſeruatio de exſtirpatione polypi uterini.* p. 175. Anno 1723 die 23 iunii Cl. Auctoris

conſilio vſa eſt femina aetatis quadraginta circiter annorum, infantum aliquot mater, quae per 4 annos iam haemorrhagia fere habituali laborabat, quam e prolapſu vteri pendere putabat: qua de re, ſuadente obſtetrice, quam conſulebat, peſſarium applicuit, quo auxilio adhibito, haemorrhagia non liberata quidem, ſed adeo eſt emaciata, vt maraſmo videretur confici. Hinc coacta fuit ob debilitatem aſino vehi, ex quo cum aliquando decideret, accidit, vt peſſarium et prolapſus, qui adeſſe videbatur, prociderent, moxque ipſa lipothymica in terram caderet: arceſſitus Noſter ad aegram, inuenit polypum, capitis fetus maturi magnitudine, colore ſubflauo, atque figura, caput alembici referentem, et ante labia vaginae vſque egreſſum, radiceque craſſa inſtructum, firmiter adhaerentem; locum vero adhaeſionis, ob magnitudinem, et quia totam vaginam replebat, inuenire non potuit. Protracto, quantum eius conditio patiebatur, polypo, in locum magis eleuatum ligaturam ex filo forti cerato iniecit, fortiterque ſine aegrae incommodo conſtrinxit, eumque praeſcindere decreuit: inciſione prima facta, magna copia ſanguinis profluxit; reſecto tamen toto polypo ſanguinem ex eo egredi animaduertebat, et, peracta amputatione, ligatura ſurſum retracta, ſanguinis fluxus quoque ſiſtebatur. Polypus quinque librarum et vnciarum duarum pondus habebat. Ceterum aegra nec febrem ſuppuratoriam, nec dolorem vllum ſentiebat, factisque quotidie quater iniectionibus, aegra paullatim reſtituta negotiis ſuis per 15 annos adhuc praeeſſe potuit.

Menſe ſeptembri.

p. 251. 3) *Deſcriptio morbi epidemici in vrbe Ville, in Picardia ſita, graſſati, exhibita a* Cl. DUFOUR. Menſe octobri anni 1767 morbus graſſari coeperat, qui vſque

vſque ad diem 10 ianuarii anni 1768 durauit, ex quo quinquaginta circiter homines diuerſi ſexus perierunt. Frigus ſummum in fine menſis decembris et initio ianuarii ſymptomata huius morbi adeo augebat, vt ſpatio quindecim dierum viginti homines morirentur. Ceterum morbus hic febris catarrhalis maligna erat, excitata per aerem impurum, humidum, per alimenta cruda, miſeriam et laboris intemperantiam. Symptomata huc redibant, vt maxima pars aegrorum tertio quartoue die laboraret ſumma proſtratione virium, torpore, quo totum corpus occupabatur: horrore, oppreſſione ſumma, dolore capitis vehementiſſimo, intumeſcentia glandularum colli, ſublingualium et maxillarium cet. Praeterea facies rubra, oculi micantes, lingua viſcido obſeſſa, cutis ſicca, tuſſis violenta et quaſi conuulſiua, pulſus debilis, intermittens obſeruabantur, cet. Poſt viginti quatuor vel triginta ſex horas lingua media nigra fiebat et aeger ſopore afficiebatur. Hoc tempore percipiebantur vtplurimum ſubſultus tendinum irregulares, vrina erat aquoſa, aegri nonnunquam ſudabant deiectionesque habebant, cum bilioſas, tum dyſentericas, quibus tandem morbus iudicabatur. Diagnoſis huius morbi facilis, ſed prognoſis valde fuit difficilis, praeſertim curatione peruerſa, in initio ab imperitis ſuſcepta: hinc factum eſt, vt quamplurimi morte eriperentur. Aegros, a quibus Cl. Auctor in conſilium vocatus fuit, hoc modo tractauit: ineunte morbo, tantum leuia remedia adhibuit; cum vero omnes fere aegri nauſea laſſitudineque in morbi initio affecti eſſent, vomitoria purgantiaque dedit; primisque viis depuratis, morbus optime ceſſit. Screatus difficilis ſine incommodo proceſſit et oppreſſio ceſſauit, pituita in pectore ſoluta, huic medicamentis bechicis, tranſpirationeque leui excitata, ſuccurrit. Potus quoti-

p. 257.

diani

diani loco aquam hordeaceam et oryzae, infuſum croci et flor. chamomill. hederae terreſtris cet. adiecto pauxillo melle et nitro praecepit; nec non apozemata ex decocto prunorum tamarindorumque commendauit. Oxymel etiam ſimplex, aqua copioſa dilutum, adhibuit: loco iuſculi carnium decoctum panis dedit, indicationemque euacuatoriam per totum morbum eo vsque proſecutus eſt, donec omnia ſymptomata ceſſarent. Ad primarum viarum tandem laxitatem debellandam, morbo exeunte, praeſcripſit potum compoſitum ex cortice Peruuiano, diaſcordio et ſyrupo abſinthii, quem quotidie mane auellanae magnitudine exhibebat cum infuſo theiformi, ex herba centaurii minoris et chamaedryos. Quae ratio medendi ad aegros recreandos optimo cum euentu adhibita fuit.

p. 260. 4) EIVSD. *Obſeruatio de noxa fungorum eſculentorum.* Cl. Auctor ſaepe ſine noxa fungos, quos valde appetebat, comedit; ſemel tamen iis comeſtis, praeterlapſo quinque horarum ſpatio, ſenſit pondus in regione epigaſtrica; quod per ambulationem in aere liberiori diſſipare cogitauit: inter ambulandum Cl. Auctor nonnulla folia hyoſcyami decerpſit, quorum, digitis tritorum, odorem viroſum naribus attraxit, vnde dolore capitis eſt affectus; interim, cum Noſter ambulationem continuaret, ei grex vaccarum obuiam venit, ex quo vna ad Noſtrum iter direxit, quam cum baculo percutere vellet, in dumetum introrupit, ibi horam vnam amplius ſine motu ſenſuque iacuit: deinde, cum ad ſe rediiſſet, ſudorem frigidum et reſpirationem difficilem ſenſit, ſimulque copiam magnam ſanguinis reiecit, faciesque, cohibito ſanguinis per venas reditu, et caput tumefacta erant, oculique prominebant: hac conditione Cl. Auctor ad aegrorum, quorum curam agebat, aliquem intrauit, ibique frictionibus

nibus per totum corpus inſtitutis, ſenſit cardialgiam anxietatemque vehementem, vomituque magnam copiam muci, fungis mixtam, reddidit: deinde dolorem capitis intolerabilem percepit, adhibitis nonnullis clyſmatibus cum aceto vini mixtis, dolores colici vehementes ſunt orti ſudoresque frigidi, nec non deiectiones mucoſae, ſanguine tinctae, per aluum euacuabantur. Vſurpato vero oxymelle ſimplici, aqua diluto, ſanguinisque miſſione, pediluviis et balneis, ex aqua frigida et aceto compoſitis, capiti applicatis, ſanitatem priſtinam recuperauit. Ex quibus omnibus Cl. Auctor concludit, omnium fungorum eſum pernicioſiſſimum eſſe.

7) Cl. MARTINI *obſeruatio de corpore peregrino*, p. 275. (ſpina piſcis *molua* dicti). Mercator quidam cum *moluam* ſiccam, quam ſuper armarium impoſuerat, decidentem retinere manibus vellet, impegit ſpinam huius piſcis volae manus dextrae: qua laeſione ab initio non adeo magno dolore afficiebatur, poſt aliquot vero dies nihil ſine dolore comprehendere potuit, tumore in loco laeſo exorto. Tum amicis auctoribus emplaſtrum ad corpus peregrinum extrahendum per quatuor menſes ſine effectu applicuit, ſed tumor et dolor indies ſunt aucti. Cl. Auctor itaque aduocatus, cum perſpexiſſet corpus peregrinum ſuppuratione non poſſe educi, exſtirpationem totius tumoris aegro ſuaſit: quae etiam hoc modo eſt peracta, vt, per inciſiones laterales duas huius tumoris, corpus illud, circiter tres lineas longum, educeret aegrumque ſpatio quindecim dierum ſanaret.

Menſe nouembri haec habentur.

3) Cl. COSTE *obſeruationes de vſu extracti cicutae*. p. 420. *Obſ.* 1. Cl. Auctor die 21 ianuarii anni 1766, a femina, aetate 55 annorum in conſilium voca-

vocatus eſt, quae per tres dies dolore punctorio in pectore adeo vehementi excruciata erat, vt nulla quiete vti poſſet: ceterum dolore capitis maximo, reſpirationeque difficili laborabat, ex quibus ſymptomatibus colligebat, aegram pleuritide affectam eſſe, pulſus tamen mollis, debilis abſentiaque febris et linguae habitus, aliam cauſſam huius morbi ſubeſſe Noſtro indicare videbantur. Inſtituto itaque examine, laborabat aegra veris doloribus oſteocopis, qui a morbo venereo, ante 40 annos male curato, nunc oriebantur, et in brachio dextro, capite, collo, pectore, ſcapulis, dorſo et femoribus, maculae, magnitudinem duplicis groſſi aequantes, colore purpureo liuidoque diſtinctae, reperiebantur. Interim prae doloris vehementia nullum membrum mouere poterat. Quae cum ita eſſent, Noſter rationem vſitatam in eiusmodi morbis, veritus, ne aegra ſuccumberet, noluit adhibere: qua de re vſum cicutae, quam Cl. STOERCK in eiusmodi morbis bono cum euentu adhibuit, experiri conſtituit. Praemiſſo itaque purgante, mane et veſperi duas pilulas, granorum trium pondere, ex extracto cicutae compoſitas, exhibuit, ſimulque infuſi ſcolopendrii vaſculum, in quo grana octo nitri ſoluti erant, ſuperbibendum dedit. Die ſequente, cum dolor aliquo modo mitigatus eſſet, tres doſes aſſumere iuſſit. Die 27 ianuarii in pede ſiniſtro cum dolore maculae eiusmodi, vti in aliis partibus, efflorеſcebant: hinc quaeuis doſis pilula vna aucta eſt. Die proximo aegra melius paululum ſe habuit, et quiete vti, et membra denuo mouere potuit: vſu itaque harum pilularum, nec non infuſi ſcolopendrii cum nitro continuato, maculae non ſolum euanuerunt, ſed aegra quoque die 16 martii reſtituta, tantum de edendi appetitu deprauato queſta eſt, qui et ipſe per vſum granorum decem rhabarbari et

tan-

tantundem corticis Peruuiani reſtitutus dicitur. p. 429.
Obſ. 2. Die 19 ianuarii 1767 quidam per duos iam menſes tumore in latere ſiniſtro laryngis ſuper cartilaginem thyroideam, piſi magnitudinem aequante, qui vehementer dolebat, et qui, poſt aliquot dies ſponte ruptus, ichorem foetidum effundebat, affectus erat, cuius labia calloſa vaſis varicoſis, ſanguine nigro repletis, praedita erant, doloremque ſummum, qui propagabatur ad muſculum vſque orbicularem et oculum ipſum eiusdem lateris, percipiebat. Sanato quotidie vlcere, aqua cicutae et ſaponis, adhibitoque emplaſtro baſiliconis et venaeſectione, ad plethoram imminuendam ophthalmiamque auertendam, quotidie granum dimidium extracti cicutae eo cum ſucceſſu dedit, vt initio martii, vlcere conſolidato, aeger ſanitate priſtina gauderet. Hi ſunt morbi, in quibus Noſter cum fructu cicutam adhibuit; quam fruſtra dedit, 1) in obſtructione lienis, iuſſu alius medici, per plures annos obſtructione permanente; 2) in podagra; 3) in vlceribus narium nec non 4) in femina, vlceribus ſcrophuloſis laborante.

6) Cl. NOLLESON *obſeruatio de aneuryſmate vero arteriae popliteae cum tumore complicato, tandem ſuppurante.* p. 464. Menſe octobri anni 1757 miles tormentarius, tumorem in genu flexura pedis dextri, magnitudine parui fructus melonis, habuit, in quo cum nec rubor, calor, pulſatioque reperirentur, is, ortus a lympha ſtagnante, ab alio chirurgo perito ad ſuppurationem per cataplaſmata emollientia eſt perductus: die octauo fluctuatione in locis duobus percepta, die ſequenti tumore aperto, pus ſanguinolentum foetidum eſt effuſum: adhibita, quae in eiusmodi caſu requiritur, deligatione conueniente per tres dies; poſtea denuo emollientia ad ſuppurationem vtilem excitandam ſunt vſur-

vſurpata; ſed die ſexto haemorrhagia magna eſt oborta, quae nec ab aegro ipſo, nec ab adſtantibus prius percepta fuit, quam aeger conuulſionibus correptus moriretur. Sectione in loco morboſo inſtituta, Cl. Auctor inuenit arteriam popliteam diſtentam ad magnitudinem oui gallinacei, tunicasque valde tenues et ruptas, nec non inter muſculos puris copiam etiam tum reperit.

Menſe decembri.

p. 503. 3) *Epiſtola* Cl. LABROUSSE ad Cl. RENARD *de virtute hyoſcyami.* Puellam, per tres iam annos doloribus vagis rheumaticis vexatam, contra quos multa remedia ſine fructu adhibita fuerunt, cataplaſmate ex foliis hyoſcyami et mica panis albi et lacte compoſito partique dolenti ſaepius impoſito, ſanauit. Eodem modo feminam reſtituit, quae tremore per totum corpus conatuque vomendi ac ſudore faciei afficiebatur: quae ſymptomata dolorem vehementem paralyſinque in femoribus reliquerant. Multis quoque adhibitis remediis fruſtra, tandem Cl. Auctor aegram, applicato hoc cataplaſmate, per tres dies, ſanauit.

p. 551. 10) *Quaeſtio medico-chirurgica de aſcite* Auctore Cl. RENARD. Puella, circiter trigeſimum annum agens, conſtitutione corporis debili per plures annos tempore vernali balneis tepidis vſa eſt. Interea maior edendi cupiditate ſanitateque meliore frui videbatur. Initio vero autumni cum fluxus menſtruus, nullum ordinem ſeruans, cum abdominis inflatione et induratione inſequerentur, medicus, quem conſulebat, morbum hunc a plethora ortum eſſe arbitratus, venaeſectionem ſuaſit, quam adhibere noluerunt; ſymptomatibus vero auctis febreque per interualla accedente, tandem ſecta eſt vena; ſed ſine aegri leuamine. Medicus itaque,

cum

cum ſanguis cruſtam inflammatoriam oſtenderet, ſanguinis miſſionem repetere ſuaſit; ſed hac recuſata, purgantia ſunt adhibita, morbusque quotidie peior eſt redditus, vomitusque adeo vehemens ortus, vt omnia, et aqua ipſa, reiicerentur, vrinaeque parua copia ſecerneretur, ac in abdomine, quod in immenſam magnitudinem increuerat, fluctuatio perciperetur. Adhibitis medicamentis reſoluentibus internis et externis, diaphoreticis diureticisque, vomitu ceſſante, euacuationes quoque bene proceſſerunt, febreque remiſſa et abdomine ab aqua liberato, iam ſanata videbatur; tumore tamen in regione hypogaſtrica perſiſtente, quo quotidie aucto, poſt aliquot ſeptimanas abdomen denuo aqua quam maxime repletum erat, quae nullis diureticis educi poterat: hinc punctione ſuſcepta, circiter octodecim librae aquae turbidae, ac ſalſae, ſunt euocatae; abdomen tamen adhuc multam aquam, quae per cannulam non educi poterat, retinuit. Itaque denuo diuretica purgantia et reſoluentia, ſed fruſtra ſunt adhibita: hinc, conditione morbi quotidie in peius ruente, aegra tandem ſuccubuit. Quaeritur itaque, an venaeſectio in initio adminiſtrata hydropem aſcitem produxerit?

In tom. XXX. haec notatu digna deprehenduntur. Tom. XXX.

Menſe ianuario 1769.

2) Cl. ROUX *obſeruatio de hydrocephalo interno.* Frater Cl. Auctoris, viginti annos natus, temperamento melancholico inſtructus, de dolore capitis, cum febre coniuncto, conqueſtus, venaeſectione mox in initio bis in brachio inſtituta, dolorem aliquo modo leniri ſenſit; ſed torpore manuum affectus eſt, vomitorio autem altero die ex tartaro p. 20.

emetico cum aqua cinnamomi ei dato, magnam aquae copiam, bile tinctam, euomuit. Aeger per duos dies bene ſe habuit, tertio vero accedebant motus conuulſiui, qui fere totum corpus corriperent, et excretio ſpumae ſanguinolentae ex ore: quibus motibus ſummum animi deliquium, a quo valde irritatus, tanquam perterrefactus, per breue tempus, excitabatur. Reſpiratione difficili ſubſequente, praecipiente altero medico, qui in conſilium altero die vocabatur, adminiſtrata fuit venaeſectio in pede, exhibito ſimul per vices, cum aeger os firmiter clauderet, vomitorio ex tribus granis tartari emetici et drachmis duabus ſalis Ebshamenſis in aqua ſoluti, per quod ſemel tantum vomitum paſſus eſt, ſed ſine conuulſione, quae per diem aliquoties aegrum vexabant, idque animi deliquio non remiſſo. Hinc verſus veſperam inciſa vena iugularis, emeticumque denuo, ſed ſine effectu et cum motuum conuulſiuorum exacerbatione, adhibitum eſt, veſicatoria ſuris et nuchae applicata ſunt, nec non clyſmata immiſſa. Nec aliam tamen morbi mutationem reperit medicus, niſi, quod motus conuulſiui non adeo crebro, vſurpatis his remediis aegrum inuaderent; ſed die ſeptimo acceſſerunt motus conuulſiui, qui totum corpus occuparent, adeo vehementes, vt aeger iis ſuccumberet. Sectione cadaueris ſuſcepta, viſcera in thorace atque infimo ventre omnia ſana reperiebantur, niſi, quod hepar, colore fuſco inductum, et bilis veſiculae felleae ſubnigra a conditione naturali quodammodo aberrarent. Vaſa vero cerebri ſanguine diſtenta erant, et ventriculi cerebri aqua turgidi, nec non inter cerebellum eleuatum et duram matrem canalemque ſpinalem aquae turbidae ſanguinolentae magna copia inuenta eſt: in qua etiam Cl. Auctor cauſſam omnium ſymptomatum mortisque ponit. Noſter praeterea

monet, Cl. WHYTT *) in hoc morbo non adnotaſſe, torporem manuum doloremque cutis faciei, eumque etiam hoc neglexiſſe, quod aqua, quae et colore diuerſa, non ventriculis cerebri tantum contineatur, ſed etiam in canali ſpinae dorſi effuſa reperiatur.

4) Cl. DE ROUGERES *obſeruationes de morbis quibusdam cum vermibus coniunctis.* *Obſ.* 1. Vnus ex fratribus Cl. Auctoris in infantia prima, quinque annos natus, paralyſi cum immobilitate omnium membrorum doloreque vehementi, cum tangeretur, laborabat; ceterum ſanus erat. Adhibitis, cum vermes adeſſe viderentur, tam intrinſecus, quam extrinſecus anthelminticis, poſtquam magnam eorum copiam reiecit, conualuit. *Obſ.* 2. Cum puer quatuordecim annorum, de dolore vehementi lateris vnius punctorio conquereretur, venaeſectio in brachio eiusdem lateris inſtituta dolorem non diſſipauit, ſed aeger delirare incepit, abdomineque, quod tenſum et obſtructum erat, laxato, poſtquam foeces copioſas foetidas excreuerat, dolor punctorius in latere remiſit; abdomen vero vehementer doluit: hinc etiam euacuatio aluina per remedia conuenientia adiuuabatur; malum tamen augebatur et poſtquam haemorrhagia narium copioſa afficiebatur, quae per ſuccum vrticae a parentibus cohibita fuit, mox in ſoporem adeo profundum incidit, vt nullum vitae ſignum, niſi, cum tangeretur, vel in vnum aut alterum locum moueretur, exhiberet: in qua conditione per tres dies manſit, et tertio, poſtquam ſudor copioſus, qui per 24 horas durabat, acceſſit, cum per aluum, p. 44. p. 46.

B 2 quae

*) Obſ. on the dropſy in the brain, by ROBERT WHYTT cetr. vid. commenatr. noſtr. Vol. XVII. p. 225.

quae tunc ſoluebatur, quadraginta vermes amplius excreuiſſet, conualuit. *Obſ.* 3. Homo quidam die 28 octobris 1766, lapſus in latus dextrum dolorem vehementem, inter vltimam veram et primam ſpuriam coſtam percepit, qui per ſe paululum mitigatus per duos menſes leuior fuit; hoc tempore vero praeterlapſo ſubito, adeo vehemens denuo dolor lancinans eum inuaſit, vt in lecto manere cogeretur. Poſt purgationem vero factam, ope agarici trochiſcati melius ſe habuit, ſed paullo poſt febre tertiana, tuſſi ſicca, nec non vomitu affectus eſt, per quem quotidie, praecipue ſi latus dextrum, in quo cauſſa doloris, premeretur, circiter tres libras materiae viſcidae, ſanguine tinctae, excreuit. Ita manſit vsque ad diem 20 ianuarii 1767; quo dolor per vomitum, ab infuſo ſcordii excitatum, aliquot lumbricis eiectis, ceſſare videbatur. Die vero 8 februarii et 19 martii omnia peiora reddebantur; nam tuſſi conuulſiua, per quam materiam foetidam, ſanguine tinctam, cum difficultate exſpuebat, nec non dolore vehementer in hypochondrio dextro aucto valde, cruciabatur. Exhibita potione purgante ex ſemiuncia agarici trochiſcati, taeniam decem vlnarum excreuit, et paullo poſt ſanitas ei eſt reddita. *Obſ.* 4. Vir viginti ſeptem annorum de dolore ſummo capitis et punctorio lateris conquerebatur. Sanguine ſatis copioſe miſſo ex brachio, dolor quodammodo ſopiebatur; poſt viginti quatuor horas vero maiori cum vehementia dolor capitis rediit, coniuncta cum nauſea haemorrhagia narium, pulſu intermittente; nec non aluus, hactenus clauſa, aperiebatur, quae etiam aperta, per emulſiones ſale mirabili GLAVBERI addito ſeruabatur; ſed aeger, etſi per aliquot dies melius ſe haberet, denuo, pulſu frequente ſpaſmodico accedente, delirare incepit, cum ſubſultu tendinum et ſopore

pro-

profundo, abdomen tenſum dolebat, vrina parca flammea excernebatur, oculi prominentes in gyrum agebantur: quae omnia durauerant, donec aliquot vermes mortuos, fere exſiccatos, reiiceret. Continuatis itaque anthelminticis, ſexaginta vermes amplius expellebantur, et aeger, etſi tarde, priſtinam tamen ſanitatem recuperauit. *Obſ.* 5. Puella quatuordecim annorum, ſaepius motibus epilepticis, abdomine tenſo, doloreque ſummo ad ſcrobiculum afficiebatur; ſed cum, adhibitis per aliquot dies anthelminticis, multos vermes excreuiſſet, motus epileptici, quibus quinquies et ſexies per diem vexabatur, ſedati, vſu anthelminticorum, per totum menſem continuato, prorſus deſeruerunt. *Obſ.* 6. Femina ſexaginta octo annorum, per plures annos ex improuiſo quotannis bis vel ter functionibus omnibus deſtituta, pulſu celeri et ſpaſmodico, debilitate ſumma, obſtructioneque aluina afficiebatur: vermes, quos eo tempore ſurſum et deorſum reddere ſolebat, vſum anthelminticorum indicabant continuum, quibus proſpero cum euentu adhibitis, nonnunquam vna vice centum ſexaginta amplius vermes ſunt excreti. p. 51.

7) Cl. GOSSE *epiſtola de vſu olei lini in haemoptyſi.* Cl. Auctor ſecundum rationem, a Cl. MICHAL *) praeſcriptam, oleum lini cum ſyrupo, ex althaea et papauere albo compoſito, exhibendi in haemoptoicis optimo cum effectu adhibuit in femina quinquaginta ſex annos nata, quae per tres dies ſanguinis ſpumoſi vncias circiter quatuor reiecit, cui quotidie cochlearia duo huius olei exhibuit, atque ſic eam ſanauit. p. 83.

 Menſe

*) Vid. Journal de Med. Tom. XVII. et commentar. noſtr. Vol. XIII. p. 235.

Menſe februario.

p. 127. 3) Cl. PLANCHON *obſeruatio de immerſione in aquam frigidam ſynocho ſimplici vtili.* Anno 1760 aeſtate, cum calor magnus ſaeuiret, vidit Cl. Auctor iuuenem vegetum octodecim annorum febre hac laborantem, cui etſi per venaeſectiones nonnullas ex brachio ſatis magna ſanguinis copia educta, et purgantia, clyſmata et nitroſa applicata eſſent, ille tamen delirio adeo vehementi correptus eſt, vt die ſeptimo morbi ex improuiſo e lecto proſiliret et furibundus praeceptorem ſuum, terrore permotum ac fugientem, cultrum manu tenens, in hortum inſequeretur. Praeceptor, cum paululum ad ſe rediiſſet, aegrum fortiter allocutus in fugam denuo coniecit, qui vehementer inde perterrefactus, ne verberibus affligeretur, ſe in puteum praecipitauit, in quo paullulum commoratus ob frigus aquae ad ſe rediit, et, vt extraheretur, vehementer petiit: quo facto in lectum denuo repoſitus, ſtatim ſudore copioſo prorumpente a febre ſanatus eſt.

p. 134. 4) Cl. COSTA *obſeruatio de ſeminibus hyoſcyami nigri, intrinſecus aſſumtis, nocentibus.* Homo quidam doloribus vehementibus, profectis a tumoribus haemorrhoidalibus, laborans, ſuaſu cuiusdam ad eos ſanandos, tanquam remedium ſpecificum, tres vncias ſeminum hyoſcyami in vino albo gallico aſſumere conſtituit; ſed vnam eorum, ſimul tantum aſſumtam, mox haec ſymptomata inſecuta ſunt: nimirum calorem ſummum per totum corpus, grauedinem capitis cum nauſea ſumma, viſusque obnubilationem ſenſit, et paullo poſt furibundi ritu maximo cum clamore de dolore capitis et abdominis conqueſtus eſt: facies apparuit liuida, oculi rubri, torui, ſplendentes, venae iugulares et extremitatum, nec non totius faciei ſanguine maxime turgebant: deinde motibus conuulſiuis et deliriis

adeo

adeo vehementibus affectus eſt, vt a nemine in lecto ſuperari poſſet; tempore vero, quo hi motus remittebant, muſcas captabat et flocculos legebat, prurituque adeo vehementi cruciabatur, vt cutem perfricare cogeretur, ceterum omnia potulenta, quam maxime abhorrebat. Pulſus celer et debilis interdum impediebatur, reſpiratio vero naturalis erat. Ad aegrum ſic affectum Cl. Auctor duas horas poſt aſſumtionem huius ſpecifici accerſitus, neſciens cauſſam horum ſymptomatum, donec inſtituta diſquiſitione longa inueniret reſiduum infuſi ex ſeminibus parati et cognoſceret, haec eſſe ſemina hyoſcyami nigri: exhibitis itaque mox emeticis clyſmatibusque, aeger omnia ſemina aſſumta ſurſum et deorſum excreuit, ſymptomataque paululum remittebant, ac, cum ſudor ſequente die tempore matutino prorumperet, copioſo praecipue in extremitatibus inferioribus, qui per duos dies continuo ſine virium debilitate durabat, relictaque per aliquot dies viſus obnubilatione, priſtinam ſanitatem recuperauit.

5) *Obſeruatio* Cl. BALLAY, *de morte hominis, ex fulmine non procul ab Aurelia ſubito inducta.* Anno 1768, die 1 ſeptembris cum per totam noctem fulguraſſet, tempore matutino circa horam ſeptimam, ictu fulminis vehementi obſeruato, renunciatum eſt, feminam eo in via publica eſſe interfectam, quae ad vendenda legumina, quae in corbe capiti impoſito portabat, oppidum tendebat. Inſtituta poſt horas duodecim cum Cl. MONNIER ſectione cadaueris, haec inuenta ſunt: capillorum capitis ne vnus quidem combuſtus erat, his remotis, in integumentis in parte laterali ſuperiori dextra capitis vulnus leuiter contuſum magnitudine ſemioboli repertum eſt, ex quo parua ſanguinis coagulati copia effuſa, caput ad modum laquei, ſex trans- p. 147.

 verſos

verſos digitos longi, et duas lineas lati circumdabat: facta inciſione in integumentis capitis ad examinandum locum contuſum, odor fortis ſulphureus, qui ſequente die adhuc verſus veſperam in conclavi aderat, perceptus eſt; vulnus vero, ſub quo aliquot vnciae ſanguinis fluidi inter integumenta et muſculos repertae ſunt, non penetrabat vsque ad oſſa: ceterum vaſa pericranii et faciei omnia ſanguine fluido, qualis in homine viuo eſſe ſolet, maxime diſtenta et repleta erant. Diſſecto et remoto cranio ſub hoc et dura matre, nec non in oppoſita parte contuſionis menſura fere dimidia ſanguinis rarefacti reperta eſt, omnia quoque vaſa cerebri, cerebelli, durae et piae matris ſinusque ſanguine eiusmodi maxime diſtenta erant, nec non ex ore, naribus, auribusque ſanguis effluebat: ceterum oſſa caluae, nec non pericranium, vti et viſcera thoracis abdominisque ſana reperta ſunt. His expoſitis, duas quaeſtiones Cl. Auctor propoſuit, quarum prima eſt haec: Quomodo tanta ſanguinis ex vaſis effuſi copia in cerebro nata ſit, cum ictus fulminis nullam aperturam, nec fracturam in cranio fecerit? altera, cur duodecim poſt mortem horis ſanguis fluidus adhuc fuerit?

p. 152. 6) Cl. SAULQUIN *obſeruatio de efficacia mercurii contra hydrophobiam.* Inter permulta remedia, quae contra morſum animalium rabidorum laudantur, Cl. Auctor mercurium cum Cl. DESAULT *) omnibus praefert. Qua de re obſeruationes nonnullae, de hominibus, ab animali eiusmodi laeſis, mercurioque ſanatis recenſentur: nimirum

*) vid. PIERRE DESAULT diſſertations ſur les maladies vénériennes; avec deux diſſertations, une de la rage, l'autre ſur la Phthiſie, Tom. II. à Bourdeaux, 1733. 8.

mirum ante aliquot annos, cum homines nonnulli a lupo rabido laeſi eſſent, vnus ex iis in facie, brachio et manibus vulneratus, mox a chirurgo perito, vulnere loto et depurato, drachma vna et dimidia vnguenti mercurialis camphorati inunctus eſt: quam inunctionem tertio quouis die repetitam, ſex ſeptimanas amplius continuauit, adhibitisque, vt ſaliuatio praecaueretur, purgantibus, venaeſectione cet. reſtitutus eſt. Alter vero ab eodem lupo laeſus, cum alia remedia inutilia adhiberet, rabidus periit. Tres ruſtici quoque, laeſi a cane rabido, quorum vnus ſpecifico communicato vſus, periit; reliqui duo vero, inunctione mercuriali conſeruati ſunt. Ceterum contendit Cl. Auctor, mercurium eiusque praeparata, et intrinſecus adhibita certiſſimum in hoc morbo eſſe auxilium, ſed vſum eius diuturnum requiri.

Menſe martio.

4) Cl. DURAND *obſeruatio de morbo ſingulari.* p. 258. Femina triginta ſex annorum, die 9 aprilis 1761, partum naturalem edidit, fluxumque lochiorum copioſum habuit, vsque ad diem 26 eiusdem menſis, quo ſubito, ſine cauſſa manifeſta, ceſſarunt, atque ipſa die ſequente colica vehemente affecta, nec non febre, qua per tres menſes fere laborabat. Die 28 chirurgus quidam in conſilium vocabatur, qui duobus prioribus menſibus duas venaeſectiones ſuaſit, decies aluum purgauit, quadraginta clyſmata amplius adhibuit, ac per menſem integrum emollientia fomentationesque abdomini applicuit. Qua ratione vsque ad menſem maium continuata, menſe iunio clyſmata tantum nonnulla, ex iusculo confecta, nec non medicamenta, febrem propellentia, vsque ad menſem iulium, quo aegra omnia remedia recuſabat, exhibuit. Quo tempore aegra re-

 ſtituta,

ſtituta, menſtruaque denuo per decem menſes iuſtum ordinem ſeruare viſa ſunt; ſed circa hoc tempus loco fluxus menſtrui fluor albus, nec non dolor infimi ventris, qui quotidie vehementior fieret, apparuit cum tumore, qui oui magnitudinem referebat, in hypochondrio ſiniſtro; et ex vno latere in alterum, aegra ſe vertente, mouebatur. Menſe februario 1767, abdomen adeo tumere incepit, vt aegra ſe grauidam eſſe crederet: abſente chirurgo, quo per alias occaſiones vti ſolebat, alterum aduocauit, vt conditionem ipſius examinaret, qui dicebat, aegram ſcirrho vterino laborare; quod cum aegra nollet credere, alius chirurgus vocatus, affirmauit, illam grauidam eſſe tempusque partum edendi accurate definiuit; ſed hoc praeterlapſo, potius abdomen magis tumere incepit, tuſſisque adeo violenta menſe ianuarii 1768 eam inuaſit, vt nulla quiete vti poſſet. Tandem cum Cl. Auctoris auxilium menſe februario imploraſſet, ille inuenit pulſum debilem, frequentem, abdomenque magnitudine admirabili maximeque durum, et in eo paſſim partes induratae apparebant; praeterea vero nullam fluctuationem percepit. Corpus macie, quam maxime confectum faciesque cadauerosa, nec non pedes oedematoſi erant, ac circa vmbilicum dolor lancinans, et inflammatio conſpicua ineunte menſe martio, integumentorum eleuatio ad pugni magnitudinem, omphalocelem referens, quae digitis preſſa recedebat, obſeruabatur: ceterum maculis nigricantibus, vehementer dolentibus, tumor obſeſſus erat, reductionemque chirurgus fruſtra tentabat: hinc Cl. Auctor ad gangraenam, quam timebat, praecauendam, fomentationes crebro repetitas ex cortice adhibuit. Medio martio, excoriatione in parte inferiori tumoris orta, humor limpidus copioſus exſudabat, ſed ſine imminutione tumoris

abdo-

abdominisque. Reſpiratio tunc oriebatur quam difficillima, nec non ſyncope, ita, vt aegra, morti proxima videretur: quibus ſymptomatibus paullulum mitigatis, ineunte menſe aprili, ex tumore circa vmbilicum rupto, maſſa carnoſa ex vlceribus paruis, ichorem fere rodentem fundentibus, quam late patet pollex vnus prorumpebat, ac ſequente die a chirurgo leuiter trahendo ad longitudinem pedis vnius et dimidii extracta fuit: quae maſſa in initio mollis erat; poſt horam vero dimidiam, quam maxime dura volumineque maior fiebat, et tacta adeo doluit, vt aegra prae doloris vehementia extractionem vlteriorem non ferre poſſet. Gangraenam huius maſſae Cl. Auctor metuens continuo eam decocto corticis fouendam curauit. Cum vero corruptio eius quotidie augeretur, atque ea gangraena iam afficeretur, metuens, ne viſcera infimi ventris ea inficerentur, amputationem eius die 16 aprilis, iniecta prius ligatura, non procul a ligatura ſuſcepit, quam haemorrhagia non adeo magna ſecuta eſt, vulnerisque deligatio tantum ſicca inſtituta eſt in initio; ſequentibus diebus vero et poſtquam reliqua maſſa denuo in cavum abdominis receſſiſſet, iniectiones ex cortice factae, ac vulnus digeſtiuis eſt obtectum, inſecutaque ſuppuratione bona, tumor non ſolum eſt imminutus, ſed cicatrix quoque poſt tres dies formari incepit. Accedente vero initio menſis maii diarrhoea magna, reſpirationeque quam maxime difficili, cui adiuncti erant ſyncoptici inſultus frequentes, quae ſymptomata omnia per octo menſes continuos durauerant, aegra miſerrime eſt excruciata; ſed circa hoc tempus denuo, quod mirum videbatur, omnia in melius mutabantur; aegraque omnibus doloribus liberata, viribus nouis acquiſitis, incedere poterat; tumore tamen abdominis venis varicoſis

ricoſis copioſiſſimis in ſuperficie inſtructo, laborans viuebat. Hiſtoriam vlteriorem exitumque huius morbi proxime Cl. Auctor tradere promiſit.

Menſe aprili.

p. 355. 7) Cl. LAUGIER *obſeruatio de duabus operationibus tumoris cancroſi in ſcroto. Obſ.* 1. Menſe iunio anni 1762, vir 56 annorum, cadendo ſcrotum teſticulumque compreſſit. Dolor non adeo magnus mox euanuit; teſticulus vero ſenſim tumere incipiebat, et adeo increuit, vt aeger ob ponderis magnitudinem anno 1766, menſe maio, lecto ſe continere cogeretur. Quem tumorem artem veterinariam exercens diſcutere promiſit; ideoque cataplaſmata applicuit ex helleboro parata, vnde in tumore dolor perterebrans ſuppuratioque oriebantur. Die 17 iulii Cl. Auctor aegrum inuenit febre lenta laborantem, et quam maxime extenuatum debilitatumque, ac ſcrotum magnopere intumefactum, quod in parte inferiori exulceratum fungoſumque erat, et continuo ſanies foetidiſſima effluebat, aegerque Noſtrum, vt operationem inſtitueret, vehementer implorauit. Applicatis tumori foliis nonnullis belladonnae per aliquot dies, nec non analepticis exhibitis, die 21 operatio ſuſcepta eſt: in regione perinaei inciſione facta ſurſum duarum linearum interuallo, a glandula proſtata vrethraque directa: tumorem exſtirpauit, et applicatis compreſſis ſiccis ex telis linteis, quae per decem horas apprimebantur a homine ope diſci lignei: aegro, qui debilitate ſumma pulſuque, qui vix ſentiebatur, laborabat, intrinſecus potiones analepticae exhibebantur, atque, cum ſequente die melius ſe paululum haberet, vulneris deligatio cum digeſtivis ſuſcepta eſt. Suppuratione vero finita, menſe octobris aeger priſtinam ſanitatem recuperauit.

Obſ.

Obſ. 2. Menſe iunio anni 1767 homini natus p. 359.
eſt in teſticulo dextro tumor paruus, nulla cauſſa externa violenta, vti aeger dicebat, excitatus, qui quidem quotidie ſine dolore augebatur. Menſe decembri vero, cum ligna ſcinderet, accidit, vt ad malleolum pedis ſiniſtri dolabra laederetur, ex qua laeſione dolor vehemens ortus, vsque ad teſticulum tumefactum, qui et ipſe maxime dolebat, propagabatur. Itaque die 9 februarii Noſter in conſilium adhibitus, aegro ſuaſit operationem, quam ipſe, vti in hernia fieri ſolet, inſtituebat, ligatis nimirum vaſis ſpermaticis, teſticulum ſeparauit vulnusque linteis ſecundum artem curauit, ita, vt ſpatio menſis vnius aeger ſanaretur.

9) Cl. TILLOSOY *obſeruatio de reductione* p. 370.
colli oſſis femoris fracti. Puella aetatem 5 annorum aſſecuta, collum oſſis femoris ſiniſtrum, rota currus traiecta, oblique fregit: quae fractura cum vulnere in regione inguinali complicata erat. Repoſitis oſſibus Cl. Auctor vſus eſt apparatu, a Cl. MARTIN *) ad fracturam huius oſſis ſanandam inuento, eo quidem cum ſucceſſu, vt intra duos menſes puella prorſus conualeſceret.

Menſe maio haec habentur.

3) Cl. PLANCHON *obſeruatio de maraſmo ſin-* p. 422.
gulari (éthiſie abdominale) infantis quinquennis. Menſe maio anni 1767, Cl. Auctor curam infantis quinquennis ſuſcepit, qui inde a menſe nouembri maraſmo valde extenuatus erat, abdomine vehementer tumido, ac febre lenta tuſſique vehementi laborabat. Regio hypochondriaca dextra omnium maxime eleuata erat. Praeſcripſit Cl. Auctor ſyrupum rhabar-

*) vid. Journal de Méd. 1768. menſ. febr. et comm. noſtr. Vol. XVII. p. 255.

rhabarbari, medicamenta, vermibus expellendis apta, et leniter aperientia, quae omnia aeger recuſabat; hinc ſalem Deppenſem (*Dieppe*) quotidie ad drachmam dimidiam, quam aeger ſine incommodo aſſumebat, exhibuit, huiusque vſu per ſeptem ſeptimanas continuato, ſanatus eſt.

p. 440. 6) Cl. BOUEIX *obſeruatio de epilepſia, a ſuppreſſione menſtruorum orta.* Puella, aetatis annum viceſimum primum agens, plethorica, ſanitate plena praedita videbatur, donec motibus epilepticis, quos per ſex ſeptimanas iam experta erat, laborare inciperet. Inſtituto examine, Cl. Auctor reperit, menſtrua iam per aliquot menſes non fluxiſſe, aegramque, ac eo tempore doloribus capitis vehementibus, haemorrhagia narium, vertigine, colica cetr. laboraſſe. Veruntamen poſt aliquot ſeptimanas dolor capitis, cum viſus debilitate adeo auctus eſt, vt aegra, poſt haemorrhagiam narium magnam, ſenſibus omnibus deſtituta, per horae quadrantem iaceret; poſtea vero, cum ad ſe rediiſſet, quid paſſa eſſet, neſciebat. Qui paroxyſmus quotidie ſemel interdum, et bis, nullo ſeruato ordine, eam aggreſſus eſt. Cum Cl. Auctor cauſſam huius morbi a plethora nimia, menſtruisque ſuppreſſis oriri, motusque epilepticos a dilatatione nimia vaſorum cerebri, ſubſtantiam eius comprimentium, proficiſci perſpiceret, mox inſtituit duas venaeſectiones in brachio, potionemque purgantem cum amaris iunctam exhibuit: ac decoctum, potus quotidiani loco, ex herbis aperientibus paratum dedit, nec non ad menſtrua denuo prouocanda balnea et pediluuia tepida, ad vaſa abdominalia vterinaque relaxanda, quotidie vſurpari iuſſit. Quibus omnibus adhibitis, paroxyſmos epilepticos intra octo dies, aliquoties experta eſt. Inſtituta itaque denuo venaeſectione in pede, ac quotidie propinatis tribus cyathis

aquae

aquae mineralis artificialis ſequentis modo compoſitae; nimirum ex limaturae martis vnciis tribus, cremoris tartari vnciis ſex, quae 4 menſuris aquae affuſis per quatuor horas in aheno ferreo coquendae et colandae ſunt, curam peragebat. Huius aquae tribus quatuorue cyathis quotidie cum vſa eſſet, per aliquot ſeptimanas, inſultibus epilepticis imminutis menſtrua iuſto ordine, et ſatis magna copia acceſſerunt aegraque ſanitatem priſtinam recuperauit.

5) Cl. MARTIN *obſeruatio de morbis nonnullis aurium.* *Obſ.* 1. Vir triginta ſeptem annorum, cacochymicus die 27 octobris 1764, qui ob ſuppurationem auris dextrae, qua laborabat, intermiſſam, et ob pondus nimium, quod in capite percipiebat, vix progredi poterat, Cl Auctorem conſuluit. Quae ſymptomata Noſter cum a ſuppreſſione vel reſorptione puris orta eſſe crederet, veſicatoria applicare iuſſit, per quae quidem aeger leuamen percepit, ſuppuratio vero hoc auxilio non reſtituta, ſed accedente febre, aeger mortuus eſt die 25 nouembris. Sectione cadaueris inſtituta, cerebrum eiusque membranas ſanas vidit, praeter quod dura mater paullulum eleuata ſuperficiei poſteriori oſſis petroſi adhaerebat. Separata itaque dura matre, totum os carie inuenit ita exeſum, vt ſtylus vbique ad aurem vsque immitti poſſet, ceterum materia gypſea repletum erat. Cauſſam vero huius morbi Cl. Auctor expiſcari non potuit. *Obſ.* 2. Feminae aetatis triginta ſex annorum, poſt febrem putridam ſuperatam, parotide dextra exulcerata, pus ex aure, cartilagine conchae exeſa, effluxit. Parotide adeo ſanata, pus quotidie ex aure profluere non deſtitit, aegraque quotidie magis magisque per febrem lentam debilitata moriebatur. Sectione cadaueris ſuſcepta, totam cauitatem meatus auditorii, nec non cellulas oſſis maſtoidei pure repletas

p. 453.

p. 455.

p. 456. pletas, ac carie paullulum exeſas inuenit. *Obſ.* 3. Praefectus nauis, natus circiter ſeptuaginta annos, cacochymicus, qui per quatuor iam annos mari derelicto dolore auris, non adeo magno per duos annos vexabatur. Menſe aprili vero Cl. Auctorem conſuluit, qui aegro, vitae ſedentariae dedito, ſuaſit motum corporis, parcum cibi vſum, atque alui interdum purgationem. Quae omnia cum aeger neglexiſſet die 8 auguſti ex aure, quae antea tantum dolebat, magna copia materiae purulentae quotidie effluxit, atque aeger ita debilitatus eſt, vt non, niſi adiumento aliorum hominum, incedere poſſet: Cl. Auctor, qui iam de aegro deſperabat, alios conſulere medicos voluit; ſed ille Noſtri tantum auxilio ſe acquieſcere velle contendit. Applicatis itaque veſicatoriis intra ſcapulas factisque iniectionibus in aure ex decocto radicis althaeae, purgantibusque lenioribus adhibitis, nihil effecit, ſed aeger, accedente febre mortuus eſt die 29 ſeptembris. Cadauere ſecto, partem petroſam, tubam ac os ſphenoideum pure repleta, carieque adeſa inuenit.

Menſe iunio.

p. 552. 6) Cl. DE ROUGERES *obſeruatio de abuſu ſuturarum.* Puella aetate triginta annorum, in labio inferiori, quod cancro exulceratum erat, laborabat, qui partem ſiniſtram mediam labii plane occupauerat. Cl. Auctor antequam operationem inſtitueret, alia remedia ad eum ſanandum per tres menſes ſine fructu adhibuit. Qua de re aegra ipſa Noſtrum rogabat, vt operationem ſuſciperet: quam quoque ſequente die peregit, atque faſcia peculiari modo applicata intra 8 dies nulla adhibita ſutura, vulnus coaleſcere vidit, aegramque reſtituit. Ita quoque Cl. Auctor faſcia tantum adhibita, tendines digitorum manus ſiniſtrae diſſectos, ſpatio trium

ſepti-

ſeptimanarum ſanauit. Nec non alius laeſi muſculum cubitalem externum, maxima parte diſſectum, faſcia applicata, ſpatio quindecim dierum ſanauit. Hinc colligit Noſter, plerumque melius et tutius faſcias, quam ſuturas adhiberi.

7) *Obſeruatio de ſuppreſſione vrinae* Cl. MARESCHAL. Puellae, quae ad aetatem triginta circiter annorum peruenerat, die 10 auguſti 1765, cum ophthalmia leui laboraret, Cl. Auctor venam brachii ſecare iuſſit. Die vero 14 eiusdem menſis aegra de ſuppreſſione vrinae, nec non de cruditate, doloreque renum, quotidie aucto, querebatur. Vena bis ſecta, balnea et purgantia per aliquot dies ſine fructu adhibebantur, et die decimo dolor renum adeo augebatur, vomitusque crebriores accedebant, ita, vt non, niſi cochlearia aliquot iuſculi carnium et ptiſanae, propinari poſſent. Die tandem decimo octauo aegra cochlear vnum vrinae limpidae, non ſine dolore vrente reddidit: a quo tempore per aliquot dies vrinam, quamquam dolore renum non remittente, ſecreuit: quae etſi denuo ſupprimebatur, illa tamen tandem, vſurpata aqua de *Pougues*, et menſtruis accedentibus, hoc malo liberata, ſanitate priſtina potita eſt. p. 555.

II.

Bibliotheca Botanica, qua ſcripta, ad rem herbariam facientia, a rerum initiis recenſentur. Auctore ALBERTO VON HALLER, Domino in Goumoens, le Jux, et Eclagnens, Praeſide Societatis Regiae Gottingenſ. Praeſide Societ. Oecon. Bernenſ. Sodali Acad. Reg. Scient. Pariſ. Acad. Reg. Chirurg. Pariſ. Acad. Imper. Nat. Cur. Boruſſ. Suec. Bonon. Arcadicae; Socc. Reg. Brit. Botanicae, Bot. Flor. Bauaricae, Altiſidior. Helueticae, Coll. Med. Edinburgenſ. in Suprem. Senatu Reip. Bernenſis Ducentum Viro. Tiguri, apud Orell, Geſſner, Fueſsli et Socc. 4 mai. Tom. I. 1771. pagg. 654. praet. praef. Tom. II. 1772. pagg. 785.

Gratulamur non ſolummodo rei herbariae, ſed et omnibus bonarum artium cultoribus de hoc ſtupendi laboris, aſt etiam inſignis vtilitatis opere, ab Ill. Auctore dudum promiſſo, nunc demum confecto atque abſoluto. Hiſtoriam litterariam medicinae in deliciis ſemper habuiſſe Nobilem Virum, omnia eiusdem teſtantur opera: et praecipue luculenter apparuit ex methodo Boerhaauiana, ante viginti circiter annos, eius curis edita atque multum aucta. Continuauit eadem indefeſſo labore ſtudia, ſumptibusque maximis inſtructiſſimam, quae vndecim voluminum millia, et decies millenos minores libellos comprehendit, bibliothecam ſibi comparauit, eodemque ſuppellectili non ad oſtentationem; ſed ita feliciſſime vſus fuit, vt omnium librorum contenta, auctorumque inventa

venta et placita penitus cognoſcere, in epitomen redigere, cuilibet ſuum reddere, eorumque merita vere diiudicare poſſet.

Neque hic ſubſtitit incomparabilis Viri induſtria, verum et alienis praeſidiis notitiam ſuam auxit, et alia conſuluit opera, in quibus medici ſcriptores recenſentur: vt ſunt diaria, biographiae, bibliographi, et catalogi bibliothecarum priuatarum et publicarum. Hinc omni parte perfectam totius medicinae litterariam hiſtoriam ab HALLERO, et ſolummodo ab Eodem, expectare debuimus: cum hactenus nullus, iisdem ſubſidiis inſtructus, eademque et multifaria eruditione ornatus, ad ſimile opus conſcribendum acceſſerit, neque forſan vnquam accedere poterit.

Cum vero ſit ampliſſimus medicinae ambitus, placuit Nobili Viro per partes euulgare hanc bibliothecam, et cuiuslibet, praecipuae inprimis, quae ad medicinam ſpectant, ſcientiae hiſtoriam proprio opere exponere. Initium itaque fecit cum re herbaria, eiusdemque fata et auctores a primis ad noſtra vsque tempora duabus quaſi periodis recenſuit: priori ſcilicet a primordiis mundi ad annum Chr. 1697, quo tempore inprimis TOURNEFORTIUS inclaruit; poſteriori ab Eodem Viro ad ann. 1771 ſtabilita. Ordinem vbique elegit chronologicum, et auctores eo tempore nominauit, quo primum inclaruerunt; licet eorum ſcripta diuerſis ſaepe annis edita fuerint: et ita in hac bibliotheca ſimul hiſtoriam artis, eiusque progreſſus et inuenta, per ſua tempora ſibi ſuccedentia expoſuit: citauit forte omnes, qui ſcriptis hanc artem illuſtrarunt, de illis, quorum libros coram habuit, et perlegit, copioſius plerumque diſſeruit, aliorum modo titulos annotauit; neque tractatus, et ſchediaſmata, ſeorſim edita, tantum recenſuit, ſed et eas commemo-

rauit commentationes, quae diariis, ephemeridibus, ſocietatum variarum actis, aliisque collectionibus inſertae fuerunt; neque ea, quae botanica modo continent, et ad rem herbariam vnice ſpectant, ſcripta excitauit; verum et hiſtoriae naturalis, et materiae medicae, et rei diaeteticae, artis coquinariae, et pharmaceuticae generales ſcriptores, itineraria, et quaecunque alia opera, et, ſi modo particulam quandam, ad plantarum notitiam ſpectantem, continerent, ne quid deeſſe videretur, laudabili conſilio, reliquis copioſe immiſcuit; neque tandem typis exarata modo opera, ſed manuſcriptos quoque codices adduxit, et, in quanam bibliotheca iidem aſſociarentur, ſollicite monuit.

Haec omnia praeſtantiam huius operis declarabant egregie; eiusdem autem multum augebitur dignitas, dum animaduertimus, non modo titulos librorum, editionis annos, et reliqua, quae ad externum quaſi habitum ſpectant, commemoraſſe Nobilem HALLERVM; ſed etiam auctorum, clariſſimorum praecipue, breuem vitae et meritorum hiſtoriam dediſſe, ac primaria operum et commentariorum contenta recenſuiſſe, ſuum cuique tribuiſſe, hosque laudaſſe, vituperaſſe molliter alios; eademque iudicia omnium facile applauſum promereri, dum eadem, vt ipſe faſſus fuit, *ſibi ſcripſerit, nullo adfectu motus, vt neque ſectae faueret, neque ſerviret odiis; incorrupta autem eſſe, ex re ipſa nata, nunquam ex ira, nunquam ab aliis mutuo ſumta;* ideoque nihil omiſiſſe, quicquid ad pleniorem notitiam ſcriptorum, huc pertinentium, aliquid conferre poſſet. Denique monendum, bibliothecae propriae libros et editiones aſteriſco ſignaſſe, vt plenior eſſet de iisdem fides, alienis, vbi neceſſarium videbatur, ſuum teſtem addidiſſe.

Ex

Ex his, etſi praecone non indigeat egregium opus, praeſtantiam eius facile cognoſcimus; attamen illud non completum et ex omni parte perfectiſſimum eſſe, ipſe de HALLER vidit et lectores monuit. En eius verba: *Non tamen velim lectorem quidquam a me pleni exſpectare. Non poteſt eo hominis induſtria ſola pertingere. Vitam integram oporteret huic labori dedicare, et ſubinde, poſt aliquot annos, alias in vrbes principes migrare, Pariſiis viuere, Londini, Romae, et ſi alibi pleniores ſunt bibliothecae. Neque indiligens fuerit, etiam cum his opportunitatibus, qui intra quinquaginta annos vitae ſuae huic ſoli labori impenſo, tolerabile opus compilaverit. Omnes praterea linguas callere neceſſe fuerit, omniumque artium peritum eſſe, quarum ſocia opera medicina conſtat. Mihi huiusmodi nihil contigit. Vixi extra patriam annis viginti quinque; ſed alii mihi labores incumbebant, in quibus plus eſſet officii. Nunquam liber fui, niſi forte nuper liber ſum: alieni, nimii labores me per totam vitam diſtraxerunt.* Praeterea nonnulla, quae lubenter conſulere voluit, praeſidia, omni adhibita opera, obtinere non potuit, vt eſt catalogus M. S. codicum Arabicorum bibliothecae Scorialienſis, Sloaniani theſauri, et ditiſſimae Trewianae bibliothecae. Verum typis fere exarato altero huius operis volumine, et hunc defectum ex parte ſuppleuit, aliudque ac nouum ornamentum eidem apponere Ill. Auctor potuit. CASIRIANI enim Arabicorum codicum catalogum, cura I. A. MURRAY, aliumque librorum, in Hiſpania et Luſitania editorum, et ad rem naturalem facientium, ex humanitate ANTON. CAP DE VILLA obtinuit, et ſic a pag. 618. ad 711. et denuo a pag. 777. ad 785. partim varia emendauit, partim auxit. Indicem auctorum alphabeticum, itemque anonymorum realem, quos in fine a pag. 712. ad 777. addi-

 dit,

dit, cuilibet gratiſſimos fore, facile coniicere licebit.

Praemiſſis his, quae ad notitiam operis ſpectant, generalioribus, nunc et ad ſpecialiora tranſire deberemus. Verum obruimur rerum copia; et ſelectum inſtituere, difficillimus eſt labor: hinc modo ſciagraphiam adhuc repetamus et paucula inſpergamus.

Tom. I. p. 1. *Libro I.* de auctoribus *Graecis* diſſeruit: primordia rei herbariae a primis generis humani temporibus praecipue repetiit ideo, quia homines primaeui victum animalem ſibi comparare nondum didicerant, sed terrae fructibus vitam ſuſtentare debuerant. De variis, quorum ſcripta perdita fuerunt, breuiter; deinde vero copioſius de HIPPOCRATE egit, et inter alia monuit, eundem per elaterium non valide agitans quodcunque pharmacum, vti SCHVLZIVS exiſtimabat, ſed omnino ſuccum cucumeris ſylueſtris intellexiſſe; nominauit poſtea ARISTOTELEM, THEOPHRASTVM, ARETAEVM, DIOSCORIDEM, GALENVM plurimosque Graecorum veterum alios, etſi nonnullorum ſcripta non amplius exſtent. Inter Graecos etiam CATONEM, VARRONEM, VIRGILIVM, CELSVM, COLVMELLAM, PLINIVM, PALLADIVMque, licet Latino ſermone ſcripſerint, retulit: nimis enim pauci ſunt ex veteribus Latini ſcriptores, et ſua plerumque a Graecis ſumſerunt: hinc ſeparare noluit.

p. 6.

p. 171. *Libr. II. Arabes* commemorauit, et in genere monuit, per eosdem Indica aromata et medicamenta mitiora innotuiſſe quidem; non vero botanicem amaſſe, nec eius gratia labores aliquos ſuſcepiſſe, ſolo excepto EBN. BEITHAR; deſcriptiones parum vtiles dediſſe: DIOSCORIDEM non optime intel-

intellexiſſe, et nimis ſibi ſimiles eſſe, vt, ſi vnum legerimus, omnes teneamus. Addidit in fine Chinenſium quosdam libros botanicos.

Libr. III. Arabiſtas recenſuit; inter quos CAROLVS MAGNVS, STRABVS, MACER, CONSTANTINVS AFRICANVS, IOHANNES MEDIOLANENSIS, HILDEGRANDIS, ALBERTVS MAGNVS, CRESCENTIVS, BARTHOLOMAEVS ANGLICVS, et alii barbari occurrunt. p. 214.

Libr. IV. Inſtauratores collegit, qui, vergente ſeculo XV. litteras, remque herbariam in Europa colere coeperunt; GEORGIVS VALLA primum, DORSTENIVS vltimum hic tenet locum. p. 255.

Inuentorum, quos *Lib. V* continet, ducem conſtituit VALER. CORDVM, quem excipit, vno anno minor, CONR. GESNER: laudauit hunc merito, et inprimis epiſtolas Eius commendauit omnibus, quicunque elegantiorem rei herbariae peritiam amant. MATTHIOLI optima et praeſtantiſſima editio eſt Latina Veneta 1565, cum magnis iconibus. FAB. COLVMNA, licet inter inuentores locum ex primis mereatur, vltimum, ſecundum tempora, hic obtinuit. Icones plantarum aeneas primo omnium dediſſe, et accuratiſſimas, monuit HALLERVS; petalorum nomen floris partibus primum dicauit, ſtylum et ſtamina nouit, ſtylique diviſiones et varietates fructuum deſcripſit, et a flore, fructu, ac ſemine adfinitates plantarum deſumſit. p. 281. p. 380.

Libro VI. ad *VIII. Collectores* comprehendit, et quidem *Libr. VI.* BAVHINOS et aequales tempore; VII. Eos, qui poſt BAVHINOS ad RAIVM; et VIII. ab huius tempore ad TOURNEFORTIVM inclaruerunt. p. 382. p. 432. p. 500.

Tomus ſecundus duos modo libros continet, et
p. 3. Lib. IX. TOURNEFORTIUM ac reliquos ad LIN-
a p. 244 NAEI tempora, atque Lib. X. LINNAEVM et
ad 617. recentiores, omnes comprehendit. Huius botanices reformatoris merita rite aeſtimaſſe Nobilem Au-
p. 244. ctorem, ſequentia declarabunt: *Hoc anno* 1732 *primum* CAR. LINNAEI *opuſculum prodiit, viri, qui maximam in vniuerſa* 12 *herbaria conuerſionem molitus eſt, et qui omnino pene integre ſuo fine eſt potitus. A natura ardente animo inſtructus, acerrima imaginatione, ingenio ſyſtematico, opportunitatibus inprimis poſteriore ſuae vitae parte vſus copioſiſſimis, cum ex vniuerſo orbe vndique ad eum certatim naturales theſauri confluerent, omnibus ſui animi viribus, quas poſſidet maximas, in nouam rei herbariae conſtitutionem incubuit; ſeque viuente et ſuperſtite placita ſua a plerisque ſuis coaetaneis recepta vidit. Neque diſſimulari poteſt, multo accuratius, quam prius ſolebat, ab eo ſingulas plantae partes definitas eſſe, multas magis naturam exprimere, quae nunc dantur, deſcriptiones: etſi nouam fere linguam ad eam rem excogitatam fuiſſe fatendum ſit.* De ſingulis archiatri ſcriptis ſpeciatim egit, et e. g. de *ſpeciebus*, et quidem *edit. ſecun-*
p. 252. *da* 1762. euulgata, ſequens tulit iudicium: *Iterum paſſim aliquas ſpecies recepit, quibus fidem negauerat, et tamen in pluſculis pergit in ſententia, quam nuper demum deſeruit, vt plerasque nunc pro ſpeciebus agnoſcat, quas inter varietates relegauerat. Maximum opus et aeternum plenius futurum, ſi aliis, etiam plantarum gnaris viris, fidem habuiſſet, qui in regione magis auſtrali plantas, ſeptentrioni a natura negatas, recentes et florentes viderunt.*

Recentiorum auctorum, exterorum quoque, ſcripta vltimo libro copioſiſſime notata inuenimus, vt, ſi vno quaſi intuitu ſcire vellemus, quaenam inter Suecos KALM, BRAVN, GADD aliique, vel

inter

inter Gallos DU HAMEL, BUCHOZ pluresque,
aut inter Anglos HILL, ARTHUR, YOUNG et
reliqui ediderint, opus ipſum modo euoluere de-
beremus. Neque neglexit bibliopolarum fraudes
detegere; prodiit e. g. Syſtema naturae Hag. Com.
1765. fol. anglice, belgice, et gallice; quod pro
LINNAEI opere venditum fuit, ſed plane non eſt; p. 552.
potius icones modo ſunt plantarum, cum nomini-
bus alieniſſimis, et tanta vbique animaduertitur in-
ſcitia, quantam hoc noſtro aeuo nunquam expectaſ-
ſemus. Denique monemus, remediorum inuen-
tionem quandoque accuratius determinaſſe, ita ex
PHIL. FERMIN deſcript. de la Colonie de Suri- p. 555.
nam 1769 edit. notauit Ill. Auctor, Quaſſiam du-
dum ante Aethiopem Quaſſi notam, et radicis cor-
ticem in omni febre, continua etiam, vtiliter adhi-
bitum, addiditque HALLERVS generum ſuum,
Tribun. Legion. LVD. BRAVNIVM iam an. 1742,
cum epidemica febre laboraſſet, eo, tanquam vulgo
noto remedio, vſum fuiſſe.

Annunciamus quoque, duo proxime ſub pre-
lum datum iri opera Ill. Auct. ſcil. 1) Agroſtogra- p. 785.
phiam IOH. SCHEVCHZERI, ineditis eius viri
epiſtolis itinerariis, et itinere Rhaetico auctam, cum
vita SCHEVCHZERI, et ſynonymis nuperis grami-
num, et nouarum ſpecierum, ab auctore non ta-
ctarum, faſciculo. 2) Numeroſas epiſtolas, quas pe- p. 425.
ne a dimidio ſeculo a doctis viris accepit, et inter eas
quoque floram Carlsbadenſem, a b. HAENELIO
collectam; poſſidet quoque ipſas, in eadem nomi-
natas plantas; inter quas et Orchis radice multiplex.
Conſeruet Deus Praeſidem Illuſtrem, quo in maxi-
mum rei litterariae commodum hos aliosque labo-
res perficere valeat.

III.

Socken-Apothek och nagre Hus-Curer, utgiſne under Kongl. Collegii medici öfverſeende och beſſörjande. Andra Uplagan, nagot förbättrad. Stockholm, tryckt hos Carl Stolpe, 1771. in 8. pl. 19.

i. e.

Pharmacopoea pagana, cum remediis quibusdam domeſticis, edita moderante et curante collegio R. medicorum Holmienſi. Editio ſecunda, paullum aucta.

Auctorem hic liber, cuius quoque germanica verſio *), ſecundum primam editionem adornata, prodiit, Cl. IO. ANDREAM DARELIVM, collegii medici aſſeſſorem, agnoſcit, et pertinet ad illos, qui ruri ſub defectu medicorum conſilia curandorum morborum ſuppeditant. Ad conſcribendum illum anſam dedit oeditimus quidam, ex pago quodam Holmiam miſſus, vt, rudimentis medicinae imbutus, caſibus ſummae neceſſitatis aegris auxilio eſſe poſſet. Hunc Noſter inſtruendum, hac in re ipſe ſuſcepit, et, quicquid ille calamo notauerat, Cl. Auctor dein in ordinem redegit, auxitque, vbi neceſſe erat. Reſpiciunt omnia collectionem definitam pharmaceuticam, qua variolis conſultum eſſe cupit. In quinque capita librum hunc Cl. Auctor diſpoſuit; quorum primum, quicquid ad vſum pharmacopolii huius tutiorem pertineat, exponit; alte-

*) *Landapothek, nebſt einigen Hauscuren, unter der Aufſicht des königl. Collegii medici herausgegeben, überſezt von* I. C. WEBER. *Kopenhagen*, 1771. 8.

alterum medicamenta potiora cum viribus eorum enumerat; tertium quaeſtiones de morbis neceſſarias continet; quartum morbos ordine alphabetico ſiſtit, e quorum numero nec chronici excluſi; quintum formulas compoſitas, nec niſi a pharmacopola parandas, adnectit. Prolixitas ſtylusque ruſticorum intellectus vi maxime accommodata ſunt. Et in delectu medicamentorum ratio ſedulo curtae eorum ſuppellectilis habita. Interim indicia de morbis et remediis exercitatum medicum haud difficulter produnt.

Quum non ſcopus fuerit huius libri, artem no-
vis inuentis ditandi, difficile eſt, exempla proferre.
Quaedam tamen delibanda dabimus. Pilulae ex p. 54.
fece cereuiſiae exſiccata commodae ad aluum ſol-
vendam pronunciantur. Sub nomine theae Sue- p. 77.
canae miſcela ex herbis meliſſae, menthae criſpae,
hyſſopi et ſaluiae, ad partes aequales ſiccatis, vel,
quod praeſtat, vſtulatis deſcribitur. Contra am-
buſta dauci radices conquaſſatae laudantur. Cereui- p. 107.
ſiam non lupulatam in ſyrupi ſpiſſitudinem Cl. Auctor
redigit, et, loco ſacchari, mellis, ſyrupi ex ſaccharo,
adhibet ad electuaria; et linctus, et potus varia gene-
ra per eandem dulcia reddit. Quidam in phthiſi le-
vamen perceperunt, eiusdem cochlearibus duobus
vel tribus, bis per diem epotis. Formulae nobis ob
ſimplicitatem et efficaciam arrident. Boli contra p. 252.
calculum parantur ex ſapone Alicantino, calce viua
teſtis ouorum, fructibus cynosbati vſtis et ſale
tartari; hique praeferuntur bolis matronae STE-
PHENS.

IV.

Tal om de på Djur anſtäldte Röns och Förſöks opalitelighet vid tillämpningen pa Människans kropp; hållet, i Hans kongl. Majts Höga Närvaro, för kongl. Vetenſkaps Academien, vid Inträdet, den 4 Martii, År 1772, af JOHAN ANDERS MURRAY, D. Med. & Bot. Prof. ord. vid Kongl. Acad. i Göttingen och Ledamot af Kongl. Vetenſk. Societ. därſtädes. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius, 1772, pgg. 24. 8.

i. e.

Sermo de ſuſpecta obſeruationum et experimentorum in brutis captorum, quoad applicationem ad corpus humanum, fide, habitus in conſeſſu Academiae Reg. ſcientiarum Suecicae, quum coram locum inter membra eiusdem occuparet IOANNES ANDREAS MURRAY.

Quum poſt duodecim fere annorum intercapedinem reuiſere per hiemem patrios lares Cl. Viro contigerit: noluit gratam praetermittere occaſionem, obſeruantiam ſuam erga academiam ſcientiarum Suecicam, cuius ante aliquot annos membrum factus erat, publica oratione teſtandi. Celebrem hanc vel maxime reddidit Regis GVSTAVI III, decoris gentium, praeſentia. Quo vero amore Noſter adhuc in patriam ducatur, et oratio declarat, qua Regem allocutus eſt, et iſta, qua Regiam academiam ſcientiarum compellauit.

Quae

Quae per abſentiam eius, in ſcientiarum et artium incrementa, nouiter in Suecia inſtituta fuerunt, paucis initio exponit; ex quibus apparet, varios Cell. viros ad litterarum elegantiorum, muſices, oeconomicae et religionis cultum magis perficiendum, in totidem ſocietates coiuiſſe, librorum commercium et artem typographicam maiori iam ſollertia ibidem comprehendi: exſtare artifices inſtrumentorum aſtronomicorum et phyſicorum cuiuslibet generis dexterrimos, aliosque in arte pingendi et ſculpendi, nummosque cudendi peritiſſimos: merita Regum et aliorum celebrium virorum in iuſta exiſtimatione haberi, vnde ſtatua metallica in honorem GVSTAVI I, ab indigena fuſa, et monimenta, forma nummorum, in LINNAEI, KLINGENSTIERNAE, SVABII, et aliorum quorundam memoriam inuenta. Laudat praeterea Cl. MURRAY peritiam, in vaſis aureis et argenteis, fabricandis, gemmis affabre ſcalpendis et condurandis, pannis laneis texendis, horologiis, ſpeculis, vaſis murrhinis et opificiis ſcriniariorum conficiendis: in quibus omnibus ciues ſuos Cl. Auctor medios ire arbitratur inter frugiles Gallorum lautitias et durabilem Anglorum ſimplicitatem. Inter rei medicae augmenta autem commemorat noſocomium pro inſitione variolarum, auctum membrorum collegii medici numerum, curam pro aegris egenis Holmiae aegrotantibus, aedes balneis cuiuscunque generis dicatas; nec minus placet Cl. Viro, quod medici in curatione morborum curatius ad Anglorum normam ſeſe accommodent. p. 4.

Hiſce praemiſſis ad ipſum, cuius titulum indicauimus, argumentum ſe confert Cl. Auctor. Vt nimirum ſtructura noſtri corporis et vires tot alimentorum, medicaminum et venenorum penitius explo- p. 9.

explorarentur: innumerae in brutis obſeruationes et experimenta inſtituta ſunt. Nec carere hiſce poſſumus, quum et lex diuina, et humana, et proprius noſter ſenſus hominis corpus incidere vetet, et pariter culpabile ſit, hominum valetudinem vel vitam ſubmittere experimentis medicaminum iuſto fortiorum; vel eorum, quae ſub inertia ſua morbum ſinant ruere, quorſum velit, et eatenus, inſtar veneni, conſiderari mereantur. Conſtitit vero, quadrupeda et aues ad hanc indaginem inprimis aptas eſſe, vtpote, quae animalia ſtructura humanae naturae propiora exſtant, etſi alia non omnino excludantur. Multa horum adiumenta in phyſiologia inuenta grauiſſima, vel omnino nouiter facta ſunt, vel vlterius confirmata; quorſum pertinent circuitus ſanguinis cordisque motus, abſentia aëris inter pulmones et pleuram, vis ſenſilis et irritabilis, vaſa lymphatica RVDBECKII, experimenta HALLERI circa ouorum incubatum, et generatio oſſium, rel.

p. 12. Quicquid horum ſit, inſigne tamen diſcrimen in multis, quoad hominum brutorumque naturam, percipitur. Etenim quibusdam horum partes quaedam competunt, quibus homines deſtituuntur, vel quae aegrius in hiſce deteguntur, cuius generis eſt ventriculus quadruplex animalium ruminantium, vel carnoſus auium graniuorarum, membrana allantois, pori ampli in ſuperficie pulmonum externa.

p. 13. Sunt et alia animantia, in quibus defectus obtingat partium, quibus hominum corpus inſtruitur; prout veſica fellea in nonnullis quadrupedibus, vti et quibusdam auibus et piſcibus deeſt; in nonnullis cor vnum modo ventriculum et vnam auriculam habet, in aliis deeſt vtraque auricula; piſces priuantur pulmonibus, taenia capite, polypi ipſo corde.

Multa

Multa rurſus exſtant momenta, quae quibus- p. 14.
dam animalium ſpeciebus priua ſunt. In vniuerſum animalibus, quae magnitudine et pondere ad noſtram naturam propius accedunt, maius robur firmitasque adſcribitur, quae diuerſitas praecipue pendet a minori gradu ſenſibilis et irritabilis potentiae, ad quam fortior et continuata magis fibrarum neruearum et muſculoſarum actio bruta diſponere, vel, quoad minimum, ab hac ipſa cauſa ali videtur. Quoad nimium robur, quum in ipſum cerebrum cadat: non poſſunt non vires quoque animi longe in hiſce eſſe torpidiores. Antecellunt nos tamen canis odore, vlula auditu, animalia herbiuora guſtu. Canes et aues, fortaſſis etiam feles ſudare nequeunt, equi et cuniculi vomere; quaedam tenaciori vita inſtruuntur, vt antlia pneumatica de ranis, lacertis, teſtudinibus et multis inſectis, et euulſio cordis in ranis docet; alia, vt vrſus, erinaceus, cricetus per hyemem otio ſomnoque ſopita ſunt; alia, vt lepus, ſciurus et quaedam aues in ſeptentrionalibus regionibus colorem mutant; felium pilis magna vis electrica ineſt; chamaeleon et cochleae diu vitam absque nutrimento protrahere poſſunt, cet. Horum omnium cauſſa merito in ſtructura vel totius corporis, vel quarundam modo partium diuerſa quaeritur.

Prout autem ſtructura animalia a nobis diſcre- p. 15.
pant: ita etiam non poſſunt non effectus venenorum, medicamentorum et nutrimentorum differre. Non poteſt igitur concluſio fieri ab vno animali ad aliud, ab hiſce ad nos. Diſplicet merito noſtro ſeculo via per ſignaturam, quam vocant, et aſtrologiam virtutes medicaminum detegendi. Exſpectare vſque dum caſu virtus detegatur, ob moram, moleſtum eſt. Similitudo inter morbos vel medicamina mutua ſaepe lumen accendit; ſed ſaepe nec ingenio

genio ſagaciſſimo ſufficit. Senſuum a medicamentis affectio magis anſam experimentis praebet, quam de effectu eorum nos condocefacit. Cognationes ſtirpium adminiculo crebro quidem ſunt, ſed ob exceptiones nimias et diſcrimen graduum, quibus operantur, non ſemper ſatis fidae. Et chemiae ſane in hac ipſa re minimum meritum eſt. Experimentis cum medicaminibus, extra corpus inſtitutis, maius omnino pondus ineſt, modo idem caloris gradus, eadem menſtrua, idem motus ceteraeque vires in viuo corpore obuiae eſſent, quorum vſus in muſeis noſtris et officinis fit: et niſi, ob longitudinem viae, quam ſaepe capere remedium oportet, antequam ad morboſam partem perueniat, et commixtionem partium peregrinarum vis valde infringeretur vel omnino ſufflaminaretur. Non alia igitur tutior, ſi a corpore humano diſceſſeris, proſtat via ad explorandas virtutes medicamentorum, quam experientia, in brutis capienda.

p. 17. Id vero iam ſcrupulum mouet, quoad animalia, quod non ſatis manifeſte, quid ſentiant, certe non ſenſum exquiſitiorem, indicare queant. Sunt praeterea multa homini innoxia plane; animalibus tamen, quorum natura fortior iudicatur, veneni inſtar infeſta. Recenſet Noſter inter haecce amygdalas amaras, vulpes, ſues, feles, et pleraſque aues necantes; piper ſcrophulas ſuibus excitans, baccas ſambuci gallinis noxias, ſemen anethi graueolentis loxiam pyrrhulam trucidans etc.

p. 18. Alia e contrario ſunt, praecipue e vegetabilium cenſu, quae quibusdam modo animantium ſpeciebus vim inferunt, aliis vero nihil damni excitant. Caprae minus in delectu ſtirpium ſollicitae, quam alia animalia; nec iſtae cynogloſſum, daphnen, lycoctonum, pulſatillam, ſcrophulariam reſpuunt. Et capras hac in re oues imitantur, quae nec

detre-

detrectant lolio temulento, oenanthe crocata, conio maculato veſci. Plura exempla ſtirpium, quae quibusdam modo animantibus noxia ſunt, inuenimus in hyoſcyamo, phytolacca, kalmia latifolia, veratro albo. Mirum quidem videtur animalia minutiora, vt aues quaedam et inſecta, multas acres ſtirpes ingerere ſine damno; prout loxia cardinalis ſemina capſici, pſittacus quidam ſemina carthami, gallinae petiueriam deuorant, et varia inſecta ranunculos, nerium, ricinum, iatropham et veratrum album. Phalaena neuſtria euphorbiam conſumit, et ptinus fur ne in moſchi quidem pilam oua ponere dubitat, et nicotianae puluerem ſternutatorium acrem, ſibi in cibum vindicat.

Plures quidem cauſſae ſunt effectus in variis animalibus varii. In plantis ſaepe vim mutat ſolum, clima, aetas. Facilius illa ſeſe exſerit in animali iuniori, quam ſeniori. Multa ingerit fame impulſum, quae ſpernit iam ſatiatum. Multa non curat ſub miſcela nutrimenti praeſtantioris, nec ventriculus alimentis et ſordibus refertus tam facile effectum percipit, ac vacuus. Saepe vitium in minus commoda doſi conſiſtit, et repetitione opus eſt. Sed, etiamſi in hiſce omnibus nihil vitii ſubſit: ſpe euentus tamen ſaepe excidimus. p. 21.

Experientia igitur, in ipſo corpore humano capta, certiſſimum iudicium de vi medicamentorum fert. Quomodo haec ipſa tutiſſime perficiatur paucis Cl. Auctor declarat, hacque adhuc opus eſſe iudicat ad explorandam commodam medelam contra epilepſiam, maniam, phthiſin, hydropem, cancrum et ad miaſma varioloſum, in minimo germine exſtinguendum. p. 22.

Habita hac oratione, academia ſcientiarum ore Ill. Equitis A ROSENSTEIN, qui tum praeſidis

munere fungebatur, teſtimonium animi ſui erga Cl. Auctorem dedit valde honorificum.

V.

Nouae ſpecies inſectorum. Centuria I. Auctore IOANNE REINOLDO FORSTERO, S. A. S. Londini, apud T. Dauies, 1772. 8. pl. 7.

Inſecta a Cl. Auctore, qui iam iter in Auſtrales regiones inſtituit, hic deſcripta partim Angliae ſunt indigena, partim ab exteris oris aduecta, ex India ſcilicet, China, America ſeptentrionali et freto Gaditano. Plurima noua ſunt, vel antehac nondum ſatis verbis depicta, omnia vero in nouiſſima editione ſyſtematis Linnaeani deſiderantur. Tabulas addere Cl. Auctor ſuperuacaneum duxit, cum deſcriptiones tanta cura et diligentia exarauerit, vt icones minus neceſſariae ſint. Secundam centuriam ſe proxime publicaturum eſſe pollicetur. Plurima ex inſectis ad coleoptera pertinent, pauciſſima ad lepidopterorum ordinem, nulla ad apterorum.

VI. Hi-

VI.

Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences et belles lettres, Année 1762, à Berlin, chez Haude et Spener, 4. 1769. 2 Alph. 18 pl. 10 tab. aen. Année 1763. ibid. 4. 1770. 3 Alph. 1 pl. 7 tab. aen. Année 1764. ibid. 4. 1766. 2 Alph. 15 pl. 5 tab. aen. Année 1765. ibid. 4. 1767. 3 Alph. 9 tab. aen. Année 1766. ibid. 4. 1768. 2 Alph. 22 pl. 19 tab. aen. Année 1767. ibid. 4. 1769. 2 Alph. 16 pl. ſine tab. aen. Année 1764. ibid. 4. 1770. 2 Alph. 16 pl. 2 tab. aen. Année 1769. ibid. 4. 1771. 2 Alph. 15 pl. 6 tab. aen.

h. e.

Hiſtoria Academiae regiae ſcientiarum et elegantiorum litterarum Berolinenſis. Ann. 1762. 1763. 1764. 1765. 1766. 1767. 1768 et 1769.

Variae omnino cauſſae, quas hic enarrare nimis longum foret, per ſatis longum temporis ſpatium impediuerunt, quo minus de commentariis academiae regiae Berolinenſis ad Lectores noſtros referremus; quibus remotis iam ea, quae ex octo hic commemoratis voluminibus propius ad nos pertinent, breuiter hic indicabimus.

In commentariis anni 1762 continetur primum obſeruatio *de ranis, quae ex ſopore, quo hyemem alias tranſigere ſolent, excitatae fuerant.* Notum eſt ranas, vt alia frigida animalia, vel in aqua, vel extra A.1762 p. 3.

 aquam

aquam per omnem hyemem ſopitas quaſi eſſe. In his ex LEVWENHOECKII obſeruationibus vis contractilis cordis et arteriarum valde debilitata eſt; actiones naturales animales penitus ſilent; vitales vero debiles ſunt. Eiusmodi ranas, quae mortuae quaſi ex aqua extractae fuerant, Cl. GLEDITSCH caloris gradu ſenſim aucto exponens, eo ita dispoſuit, vt excitatae nutrimentum quaererent, imo inter ſe coirent, et quidem frequentius, quam vernali tempore ſolent. Poſt coitum tamen, viribus exhauſtis, mortuae ſunt.

p. 27. Cl. LAMBERT *experimenta circa pondus ſalis et grauitatem ſpecifica variarum ſolutionum ſalium* (*ſaumures*).

p. 90. *Coniectura phyſica de variis mutationibus ſuperficiei globi terreſtris*, Auctore Cl. SVLZER. In omni globi noſtri ſuperficie plura veſtigia occurrunt, quae eum magnas mutationes olim ſubiiſſe oſtendunt, cum fere vbique variis ſtratis tegatur, quae ex lapidum, cryſtallorum cet. fragmentis proiectis et arena conſtant, nec in eo loco, vbi reperiuntur, nata, ſed e longinquo huc translata fuerunt. Saepe in locis a mari longe remotis corpora marina reperiuntur, atque haud raro ſtrata, de quibus diximus, non eo ordine, quem grauitas corporum, quibus componuntur, ſpecifica neceſſarium reddebat, ſibi incumbunt; ſed ſaepe leuiora inferius, grauiora ſuperius ſita ſunt. Hoc phaenomenon, quod vbique ſe intuentibus offert, plurimis hypotheſibus anſam dedit, quibus phyſici illud explicare tentarunt. Cum vero eae omnes Auctori Cel. non ſatisfecerint, nouam hic proponit, cuius idea in itinere, ad montes Herciniae ſiluae ſuſcepto, ei nata eſt. Aſſumit nimirum, omnem terram olim aqua tectam fuiſſe, ita tamen, vt

vt iuga montium altiſſimorum v. c. alpium, pyrenaeorum cet. quos vt primogenios montes conſiderat, tanquam totidem inſulae e mari vndique eminerent, et lacus varios, in vallibus inter hos montes exiſtentibus incluſos, haberent, in quos riuuli, e montibus defluentes, effunderentur. Iam ſi vnus ex his lacubus, fundo eius a lapidum fragmentis, e montibus in eum delabentibus, ſenſim eleuato, aquam omnem non continere potuit, aut terrae motu catena montium, qua ab alio ſeparabatur quodam in loco, disruptus ſit: aqua, hac apertura facta, ad vicinum lacum, et ex hoc ad mare fluxit, fundum eius fragmentis lapidum, quae ſecum adduxit, impleuit et ita eleuauit, vt continens ſeu planities ad radicem montium poſita oriretur: quae, vti notum eſt, ſtratis variis tegitur, quae ex ruderibus montium, vi maris deſtructorum, compoſita ſunt.

Deſcriptiones duorum aethiopum alborum (negres-blancs) communicatae a Cl. CASTILLON. Harum prima ex litteris Cl. CASTEL, altera ex epiſtola Cl. FERMIN eſt. Confirmatur his, id quod aliae ſimiles hiſtoriae demonſtrant, naſci ex aethiopibus perfecte nigris nonnunquam homines, quorum cutis alba, cerae inſtar, ſit, et qui crines et reliquos pilos albos habeant. Iris igneum quaſi colorem oſtendit et in tenebris lucet; coniunctiua autem pluribus vaſis rubris pingitur. Noctu melius ac interdiu vident. p. 99.

Commentarius de coagulatione quadam ſingulari, auctore eodem Cl. CASTILLON. Aqua ſimplex deſtillata, quam Cl. Auctor in vaſe vitreo frigori menſ. Decembr. 1767 exponebat, congelata eſt ſingulari modo, ita, vt nucleus in medio eius oriretur, p. 106.

ex quo vndique radii egrediebantur. Hoc phaenomenon pluribus experimentis, a Cl. Auctore accurate inſtitutis, occaſionem dedit, ex quibus cognouit, aquam non coctione ſingularem hanc congelandi proprietatem acquirere, ſed tantum ſi in vapores reſoluta, i. e. deſtillata fuerit.

A.1763 Ex commentariis a. 1763 ad nos pertinent:

p. 77. Cl. GLEDITSCH *diſſertatio botanica de carpobolo* MICHELI. Fungus hic eſt: *Lycoperdon radiatum* LINN. quem MICHELI in *nou. plant. gen.* p. 221. tab. 201. n. 2. nomine carpoboli aurei, volua alba, fructu obſcuro, ſeminibus ſubrotundis albicantibus deſcripſit, et quem Noſter *lycoperdon* (carpobolum) volua calyciformi, limbo radiato colorato patente: veſicula ſeminali proiectili vocat. In ſyluis obſcuris naſcitur et eam ſingularem proprietatem habet, vt veſiculae, quibus ſemina continentur, maturae diſrumpant, et baſi veſiculae ſubito conſtricta, ſemina haec eiiciantur, eaque ratione diſſipentur. Contractio haec et ſeminum eiaculatio ex Cl. SVLZERI obſeruatione ab exhalatione liquidi, his veſiculis contenti, pendet, qua penitus fere facta, quod ſupereſt liquidi in vapores diſſoluitur elaſticos, quorum vi veſicula disrumpitur, qua contracta et filo, quo ſemen capſulae adhaeret, disrupto, illud proiicitur.

p. 87. *De variis inſtrumentis acuſticis* Cl. LAMBERT diſſerit, et calculis mathematicis figuram determinat, qua eiusmodi inſtrumenta praedita eſſe debent, vt effectum maximum edant.

p. 125. *Commentarius primus de ambra griſea.* Commentarius hic cum ſequente nuper a Cl. FELDMANN,

MANN, medico Ruppinenſi, ad Cel. MARGGRAFF miſſus eſt. Continet vero relationem Ill. ABELEVEN, gubernatoris Ternatenſis. Ex hoc patet tres ambrae dari ſpecies, quarum prima cinerea ſit, maculis ſeu radiis fuſcis inſtructa, quae optima eſt, et ſuauem colorem habet. Reliquae duae magis impurae et obſcuro colore praeditae ſunt, ac odorem ingratum ſpargunt. Putat vero Cl. ABELEVEN, (id quod per experimenta chemica, in ſecundo commentario relata, magis adhuc confirmatur,) ambram griſeam ex petroleo oriri, quod ex fundo maris ad ſuperficiem eius defertur ac ibidem ſale marino et ſolis calore induratur. Hanc ambram griſeam aues, et praecipue piſces, et inprimis cetacei auide deuorant, in ventriculi vero calore funditur, et ita mortis eorum cauſſa eſt, aut eos ſtupidos reddit, ita, vt ad ripos delati facile capi queant. Haec ratio eſt, cur in ambra griſea ſaepius teſtacea, lapilli, inſecta, auium roſtra reperiantur, et cur tam ſaepe inſignia fragmenta ambrae e piſcibus extrahantur. Optimum ſignum, quo puritas ambrae cognoſcitur, eſt, ſi aqua puluis eius ſubtiliſſimus in fundatur, vt herba theae, cui aquae puluis hic ſupernatare debet.

Secundus commentarius *analyſin chemicam ambrae griſeae Moluccenſis* continet a Cl. KRIELE, qui Batauii in India orientali medicinam exercet, factam. Sumſit nimirum duas vncias ambrae puriſſimae, ab omnibus corporibus alienis repurgatae, easque calore 180 graduum thermometri Fahrenheitiani deſtillationi in balneo arenae ſubiecit, quem caloris gradum ſub fine deſtillationis ad gradum 500 dicti thermometri et vltra auxit. Obtinuit vero ſcrupulos quatuor liquidi pellucidi acidiuſculi, olei pellucidi flaueſcentis vncias tres cum ſemiſſe et p. 126.

 grana

grana ſedecim, tandemque olei obſcurioris coloris et grauioris drachmas ſex. In fundo cucurbitae drachma vna materiae durae, nigerrimae et ſplendentis remanebat. Magna tamen olei portio per fiſſuras luti penetrauerat. Nullum ſal volatile obtinuit, quod ſe obtinuiſſe Cl. GEOFFROY refert.
p. 132. Vnciam deinde ſemis ambrae cum vnciis quindecim aquae pluuialis purae cucurbitae incluſit, vt in experimento priore deſtillationem fecit, quam eo vsque continuauit, donec liquidum, in cucurbita contentum, fortiter ebulliret, et dimidium eius in recipientem iam tranſcendiſſet. Tunc in recipiente aquam leui lacteo colore imbutam, ambrae odore praeditam, nullum vero oleum reperit. Cucurbita autem decoctum leuiter fuſco colore tinctum, et turbidum continebat, ſapore amarum, odore autem fere penitus deſtitutum, cui oleum profunde fuſcum, tenax et vitro adhaerens ſupernatabat: quod ipſa ambra, ſola in aqua coctione mutata, erat, quae tamen odorem ſuum ſpecificum retinuerat. In fundo cucurbitae nulla materia terreſtris reperiebatur. Ambram ſolutam infundebat iterum aqua pluuiali eamque deſtillabat, idque tertia vice repetebat. Decoctum tunc fere nullo colore amplius tinctum erat; collecto vero omni liquido, quod in tribus hiſce deſtillationibus in cucurbita remanſerat, illud inſpiſſauit et extracti gummoſi paruam portionem amaricantem, nullum vero ſal volatile obtinuit. Ambram liquidam miſcuit fiſtulis, quibus ad ſugendum fumum tabaci vtuntur, contuſis, ex eaque ignis vi oleum empyreumaticum obtinuit. Reliqua experimenta, quae ambram in ſpiritu vini
p. 134. penitus diſſolui docent, praeterimus. Ex omnibus vero Cl. Auctor concludit: ambram, cum oleum eius cum aqua non tranſeat, ſed in retorta remaneat, non ad vegetabile regnum, ſed ad minerale perti-

pertinere. Subſtantia vero gummoſa, quam Auctor ex decocto obtinuit, vix pondus grani vnius habebat. Cum ambrae deſtillatio nullum veſtigium ſalis volatilis alcalini oſtendat, ea animalis proſapiae non eſſe poteſt; odor vero empyreumaticus, quem varia producta habebant, ſale marino impuro et inprimis principio eius ammoniacali adſcribendus eſſe videtur, quo ambra in aqua marina fluctuans, in qua tanta animalium copia reperitur, imbuitur. Hinc ad minerale regnum pertinet, et a ſuccino differt, licet ſal volatilis acidus in deſtillatione eius non repertus ſit, qualem tamen ambrae inhaerere ſapor acidiuſculus extracti gummoſi probat.

Initium commentariorum a. 1764 facit: a. 1764.

Cl. MARGGRAFF *Commentarius, quo demonſtratur ex tartaro ſal alcali fixum, ope acidorum, ſine igne educi poſſe* *). Tartarum ſal acidum vegetabile eſſe, omniaque ſalia alcalina fixa vegetabilia ignis ope demum generari, omnes fere chemicorum ſcholae docent. Interim Cl. Auctoris hic recenſita experimenta oſtendunt: tartaro, in aqua ebulliente, ſoluto, ſi terra cretacea vel terra quoque alia alcalina ad ſaturationem admiſceatur, et lixiuio huic filtrato acidum nitroſum eo vsque affundatur, donec nullus tartarus amplius praecipitetur, ex hoc lixiuio nitrum puriſſimum obtineri. Cum igitur nitrum ex acido ſuo et alcali fixo conſtet, hoc alcali vel natiuum iam tartaro inhaeſit, vel ſine ignis ope produci poteſt. Magis hoc confirmat alio experimento. Drachmam enim vnam cremoris tarta- p. 3. p. 5.

D 5

*) vide Cel. MARGGRAFF *kleine chymiſche Schriften*, Vol. II. p. 49 ſeq.

tartari in duabus drachmis ſpiritus nitri diſſoluit, et in hac ſolutione, poſt quatuordecim dies, veras cryſtallos nitroſas reperit. Sic acidi quoque ſalis ope ex cremore tartari *ſal commune* (an non potius
p. 11. *ſal digeſtiuum Syluii?*) obtinuit. Tartarum autem vitriolatum ope acidi vitriolici parare non potuit, cum ſubſtantia mucilaginoſa, quae tartaro ineſt, vnionem acidi vitriolici cum tartaro impediret. Creta tamen adhibita, quae cum acido vitriolico ſuperfluo ſelenitem formabat, id tandem bene praeſtitit. Interim alio loco iam monuimus *) Cl. DE MACHY negare cryſtallos, a Cl. MARGGRAFFIO in hoc experimento productas, verum nitrum eſſe easdemque pro cremore tartari plane non mutato habere, qui acido nitroſo baſin praebeat, et cuius figura nitrum referens, ab hoc acido nitroſo pendeat; vt itaque cauſſa et natura huius phaenomeni notatu digniſſimi omnino vlterioribus experi-
p. 13. mentis diſquirenda ſit. Ex ſale quoque acetoſellae, nec non ex raſura variorum lignorum et acido nitri, nitrum Cel. MARGGRAFF obtinuit. Plures quoque ſucci plantarum expreſſi, v. c. foeniculi, borraginis cet. ſi leniter euaporantur, cryſtallos dant, ſali communi ſimiles, quae vero baſin alcali vegetabilis habent, cum acido nitroſo admiſſo ve-
p. 16. rum nitrum cubicum ex iis producatur. Alcali hoc vegetabile plantarum cum alimentis in humores noſtros receptum, nullam mutationem ibidem ſubit, cum idem Cl. Auctor etiam in vrina adhuc repererit.

p. 18. Eiusdem Cel. MARGGRAFF *obſeruationes circa inſectum, quod in foliis iſatidis contuſis et putreſcentibus reperitur, iis veſcitur, partes coeruleas, quae*

haec

*) Commentar. noſtr. Vol. XVII. p. 265.

haec planta continet, extrahit, et eundem coloremaſſumit. Cum Auctor Cel. varia tentamina cum foliis iſatidis inſtitueret, quo pigmenti, quod ex iis praeparatur, praeſtantiam augeret, inter alia folia quoque haec contuſa putredini in aere libero expoſuit. Poſt nouem dies in iis plures vermiculos ſeu larvas albas reperit, quae nigram ſtriam in medio corpore oſtendebant, de reliquo vero perfecte pellucidae erant. Haec ſtria, octo diebus praeterlapſis, coeruleum colorem adquiſiuit, quo deinde totum inſecti corpus tingebatur. Quatuor ſeptimanis praeterlapſis, in chryſalides mutabantur, ex quibus muſcae vulgaribus ſatis ſimiles egrediebantur. In p. 22. fine de pigmento, quod ex iſatide obtinetur, monet, principium tingens huius plantae, non in gummoſis eius partibus, ſed in iis latere, quae aqua non ſoluuntur, quae vero putredinis vi deinde per aquam affuſam expanduntur.

Diſquiſitiones circa hypociſtiten veterum, Auctore p. 25. Cl. GLEDITSCH. Plantam paraſiticam Cl. Auctor deſcribit, quae in Europa auſtraliore in radicibus ciſti creſcit, et quam LINNAEVS ad *Aſarum* refert, cui vero Cl. GLEDITSCH in ſyſtemate ſuo nomen *Thyrſines* dedit. Habet ea *radicem* paraſiticam perennem: *caulis* eius eſt ſcapus annuus, aphyllus, rectus, teres, glaber, coloratus, ima parte nudiuſculus, reliqua veſtitus ſquamis amplexicaulibus, integerrimis, ouato-lanceolatis, alternis glabris coloratis, apice rotundatis, primo magis vel minus imbricatis. *Flores* terminales inſident pedunculis filiformibus breuiſſimis, quorum ſingulum inueſtiunt bracteae binae, alternae amplexantes, ouato lanceolatae, concauae, tenuiſſime ſerrulatae, et glabrae. *Calyx exterior* diphyllus et perſiſtens eſt, foliolis oppoſitis, lanceolatis, ſerru-

ſerrulatis ac obtuſis, perianthio breuioribus. *Interior* ſiſtit *perianthium* monophyllum, campanulatum, ſemiquadrifidum, coriaceum, coloratum, perſiſtens: laciniis erectis ouatis, integerrimis, obtuſis. *Corolla* caret. *Filamenta* nulla adſunt, ſed *antherae* ſedecim lineares, parallelae, biualues ſtigmati externe adnaſcuntur. *Piſtillum* germen ouatum calyci adnatum ſiſtit. *Stylus* cylindraceus et breuis, *ſtigma* vero ſubrotundum octofidum eſt. *Pericarpium* eſt bacca coronata, ſubgloboſa, coriacea, intra ſubſtantiam calycis octolocularis, quae *ſemina* plurima, minutiſſima et ſubrotunda conti-
p. 35. net. Ex his omnibus vero Cl. Auctor concludit, hanc plantam ſingulare genus naturale conſtituere, quod ab omnibus aliis diſtinctum ſit, huicque deſcriptioni tabulam aeneam addit, in qua fructificatio eius delineatur.

p. 37. Cl. DE FRANCHEVILLE *diſſertatio de origine ambrae griſeae.* Opinionem Cl. KRIEL ſuperius (p. 55.) commemoratam, ambram ſcilicet petroleo affinem eſſe et ad minerale regnum pertinere, nec nouam, nec veritati conſentaneam eſſe demonſtrare annititur. Vix tamen argumenta eius iis, qui argumentis ex chemicis experimentis deductis magis, quam ſolis ratiociniis conuinci ſolent, ſatisfacient. Putat enim ambram nequaquam ex regno minerali eſſe poſſe, cum omnia ſuffimenta ſuauia ad vegetabile regnum pertineant, cum naphtha tamen et ſuccinum contrarium probent. Deinde non comprehendere poteſt, qua ratione petroleum fluidum ſe in aqua in corpus ſolidum condenſare poſſit. Cum tandem, vt aſſumit, aqua marina magnam bituminis copiam contineat et amarities eius ab hoc bitumine oriatur, (quod vtrumque tamen recentiorum multi negant), neceſſario ex Au-

ctoris

ctoris Cl. mente ſequeretur, vt idem hoc bitumen vel in ambram griſeam condenſaretur, vel haec ambra ſoluta in aqua marina, vt reliquum bitumen, maneret. His propoſitis, aliam hypotheſin ſtabilire tentat. Ambram ſcilicet griſeam apum eſſe opus putat, quae alueolos ſuos in ſcopulorum ad mare ſitorum fiſſuris exſtruant: et conſtare itaque ambram ex melle et cera, quae ſolis calore coquantur et in mare delabantur, in eoque natantes vlterius perficiantur.

Relatio breuis de foecundatione artificiali truttarum et ſalmonum, quae experimentis fide digniſſimis confirmatur, a dexterrimo quodam phyſico inſtitutis, Auctore Cl. GLEDITSCH. Attentione maxime dignum eſt, hoc experimentum a Cl. IACOBI factum, quod foecundationem ouorum piſcium in aqua ipſa fieri admixtione ſeminis marium probat. Sumſit enim feminas ſalmonum et truttarum viuas, earumque ventrem leuiter preſſit manu ita, vt ouorum maturorum pars, ſponte ab iis euacuaretur. Haec oua in ciſtam aliquam collegit, ita fabrefactam, vt riuuli cuiusdam aqua eam tranſire, nec tamen oua haec ſecum abripere poſſet. Tunc mares ſumſit horum piſcium, quae etiam, ventre eorum leuiter preſſo, ſemen, quo turgebant, in aquam ſubiectam, in qua oua erant, emiſerunt. Hinc oua haec impraegnata ſunt ita, vt Cl. Auctor poſt aliquot ſeptimanas viuos piſciculos, ex hac artificiali foecundatione productos, laetus conſpiceret. Incrementum eorum, pro vario caloris gradu cet. retardatur, vel acceleratur. Cautiones, quae hac in re obſeruandae ſunt, omittimus. Monet Cl. Auctor inter piſciculos, qui hac artificiali foecundatione producuntur, plures eſſe, qui monſtroſam fabricam oſtendant; omnes tamen hos poſt breue tempus mori. p. 47.

Ma-

Maxima denique admiratione dignum eſt, oua piſcium demortuorum, imo ſemen marium per ſatis longum tempus vim prolificam conſeruare, ita, vt ex miſtione ouorum horum cum ſemine etiam viui piſciculi prodeant.

Diſquiſitiones anatomico-phyſiologicae de cauſſis fatuitatis (folie), quae ex vitiis partium internarum corporis humani oriuntur, auctore Cl. MECKEL. Saepe cauſſam morborum animi corpori inhaerere, et in primis varia cerebri vitia ſenſus internos, licet alii quoque corporis morbi ſimilem effectum nonnunquam producant, vario modo laedere, notiſſima res eſt. Inprimis vero Cl. Auctor experimentis accuratiſſimis cognouit, pondus ſpecificum ſubſtanſtantiae cerebri, in cerebro hominis ſani et fatui vel melancholici inſigniter variare. Cubus ſex linearum in homine ſano pondus drachmae vnius et granorum quatuor ad ſex vsque habet, cum illud pro vario gradu, quo vaſa repleta ſunt, variet. In melancholicis et maniacis vero ſecundum Cl. Auctoris experimenta cerebrum ſaepius maiorem duritiem et ſiccitatem oſtendit, et ſpecifice leuius eſt. Saepe tamen etiam cum hoc vitio vniuerſali particulare aliquod, vt calculus v. c. in cerebro etc. coniunctum eſt. Lymphae tandem coaceruationem, ſanguinem acrem et maiorem eius affluxum, compreſſionem encephali, pus cerebrum irritans, irritationem neruorum inteſtinalium cet. tales morbos quoque efficere variis obſeruationibus Cl. Auctor probat *).

a.1765. Inter commentarios anni 1765, qui noſtram
p. 25. attentionem inprimis merentur, *diſſertatio* eſt Cl.

COTHE-

*) Cerebrum maiorem duritiem et ſiccitatem in maniacis et melancholicis oſtendere Cl. GREEDING negat.

COTHENII, in qua *de remediis prophylacticis variolarum exponit.* Variolas nouum eſſe morbum, non ab HIPPOCRATE deſcribi, nec eſſe morbum hereditarium cet. monet, et de inoculatione diſputat, cui non fauet. Cum vero omnia, quae hic contineantur, iam centies dicta ſint, haec ſicco pede tranſimus.

Noua experimenta phyſica de motu vegetabilium externo, eorumque a directione perpendiculari verſus horizontem declinatione, auctore Cl. GLEDITSCH. De his experimentis, quae opuſculis germanicis Cl. Auctoris inſerta etiam ſunt, alio loco iam diximus *). p. 52.

Cl. MECKEL *obſeruationes anatomicae de glandula pineali, ſepto lucido et origine paris ſeptimi neruorum cerebri.* Glandula pinealis non modo petiolis ſeu funiculis medullaribus cylindricis thalamis neruorum opticorum ita adhaeret, vt illos intret, ſed et poſterius e baſi eius lamina medullaris egreditur, quae eam cum commiſſura cerebri poſteriore coniungit, quam a nemine antea dictam, primus deſcripſit hic Cl. Auctor. In glandula pineali, fere ſemper grana calculoſa reperit, quae ſine dubio ex ſtagnatione lymphae oriuntur. Septum lucidum ex duplici lamina medullari cerebri componitur, quae poſterius a ſe paullulum diſtant, sed deinde inter ſe coniunguntur ope ſtriae medullaris tandemque ita confluunt, vt vnicam tantum laminam conſtituant. Nonnunquam inter has laminas lympha effuſa eſt. Anterius hae duae lamel- p. 91. p. 94.

negat. vid. Aduerſ. med. pract. Vol. II. Pars III. p. 534 ſeq.

*) Comment. Vol. XVI. p. 298 ſeq.

lamellae iterum a ſe inuicem ſecedunt. Nulla communicatio inter ventriculos cerebri anteriores ſeu tricornes exiſtit, ſed ii, ope ſepti lucidi, perfecte a ſe inuicem ſeparantur. Fornix ſepto lucido breuior eſt, quod anterius inter duo crura fornicis cerebro, non fornici incumbit. Altitudo ſepti non vbique eadem eſt, cum illa minor ſit verſus poſteriorem finem, quam verſus anteriorem. Reliqua, quae ad fornicis deſcriptionem ſpectant, omittimus.

p. 99. Quod tandem ad originem nerui acuſtici attinet, notum eſt plurimos diſſectores putare, partem eius mollem procedere e quarto ventriculo cerebri, et quidem ex fibris medullaribus transuerſis, ex calamo ſic dicto ſcriptorio prodeuntibus. Accuratius vero Cl. Auctor hoc examinauit, viditque illum oriri e margine poſteriore pontis VAROLII, ſeu potius e pedunculis cerebelli; ſed filo a radice nerui duri plane diuerſo, quippe quae propius verſus medullam oblongatam ſita ſit.

a. 1766. Initium anni 1766 facit *commentarius* Cl. GLE-
p. 3. DITSCH, *de vero charactere naturali et generico plantae* Zietenia *dictae.* Characterem eſſentialem huius plantae; quam in honorem Ill. DE ZIETEN, qui Trebnizii in Marchia hortum botanicum egregium inſtruxit, Cl. Auctor ita nominauit, iam in *ſyſtemate plantarum a ſtaminum ſitu* expoſuit *). Planta eſt quam TOURNEFORTIUS iam deſcripſit, cui *galeopſis orientalis lauendulae folio, calyce villoſiſſimo* dicitur, in cuius herbario viuo, quod Berolini extat ſiccata etiam reperitur. BVXBAVMIVS vero eam nomine *ſideritis paruis floribus purpureis* deſcripſit. Hoc commentario vero Cl. Auctor oſtendit *Zieteniam* differre a reliquis ei ſimilibus plan-

*) vid. comment. Vol. XII. p. 359.

plantis: calyce hypocrateriformi, limbo patenti lineari longiſſimo, corollae labio inferiori laciniis lateralibus reflexis, media complicata, ſemineque ſemper vnico, perfecto in quouis calyce, ad cuius baſin tria abortiua minima, ſeu potius rudimenta tantum conſpiciuntur, vt in *Collinſonia*. In vniuerſum proxime ad *Stachyn* accedit; maxime autem differt a *Galeopſide*, *Sideritide* et *Betonica*, quae genera ex Cl. Auctoris mente omnino ſeparanda ſunt. In tabulis adiectis ſpecioſa haec planta egregie delineatur.

Commentarius de oleo quodam vegetabili, loco olei oliuarum in omnibus iis regionibus adhibendo, quae frigidiores ſunt, quam vt olea in iis creſcere poſſit, Auctore Cl. DE FRANCHEVILLE. Oleum ex fructibus fagorum loco olei oliuarum commendat, variasque cautiones addit, quae in praeparatione eius obſeruandae ſunt. p. 11.

Inter commentarios an. 1767 tantum ad nos pertinet: a. 1766.

Relatio de foecundatione artificiali, tertia vice optimo ſucceſſu in horto botanico academiae regiae Berolinenſis reiterato, Auctore Cl. GLEDITSCH. Cum palma dactylifera nunquam fructus maturos exhibeat, niſi puluere antherarum fuerit foecundata, Cl. GLEDITSCH, vt alio loco indicauimus *) ſpatham floridam ex planta mare, quae in horto Lipſienſi Boſiano extat, ſibi transmitti curauit, et femineis flori- p. 3.

*) Conf. *Hamb. Magazin, V Band*, p. 529. Comment. Vol. I. p. 257. it. Hiſt. de l'Acad. de Berlin, 1749. p. 103. Comment. l. c. p. 401 ſeq. it. Comment. noſtr. Vol. IV. p. 298.

floribus, puluere antherarum conſperſis, fructus maturos obtinuit. Hoc experimentum anno 1749 factum, non ſolum a. 1750 eodem ſucceſſu reiterauit, ſed etiam a. 1768 puluere antherarum, ex horto Carolsruhenſi a Cl. KOELREVTER transmiſſo, vſus, ſimilem euentum obſeruauit.

a.1768. Anni 1768 primus commentarius eſt:

p. 3. Cl. MARGGRAFF *obſeruationes de volatiliſatione partis illorum lapidum, qui fluores* (Flüſſe) *dicuntur, ope acidorum effecta.* Diſtinguendi ſunt hi lapides ab ea ſpecie, de qua Cl. MARGGRAFF in Tom. V. et VI. commentariorum horum diſſeruit, quae etiam *flus-ſpath* dicitur, et ex qua phosphorum idem ille praeparauit *). Lapides vero, de quibus hic exponit, ſunt *fluores* ſic dicti *minerales* cryſtalliſati, qui variis coloribus tincti in officinis *pſeudo-ſmaragdi*, *pſeudo-amethyſti* e. ſ. p. dicuntur. Illi nullum acidum vitriolicum continent. Cum vero Cl. MARGGRAFF ſedecim vncias calcinati huius lapidis cum vnciis duabus olei vitrioli miſceret et deſtillationem inſtitueret, ſublimatum obtinuit album, quod butyro antimonii ſimile erat, et, pruna admota, liqueſcebat. Liquidum, in recipiente contentum, odorem acidi formicarum habebat. Proportione olei vitrioli aucta, etiam ſublimati copia augebatur. Eadem fere phaenomena, acido nitroſo, acido ſalis marini, et ipſo acido phosphori ac aceti adhibitis, obſeruauit, ita, vt haec volatiliſatio, quae ope acidorum obtinetur, inter praecipuos characteres horum lapidum referri mereatur.

p. 12. Cl. GLEDITSCH *diſſertatio phyſico-oeconomica, de vſu, quem variae ſpecies* caricis LINN. *inprimis*

*) Pertinet haec ſpecies ad *gypſum ſpatoſum* CRONSTAEDTII.

mis in viis, per loca vliginoſa et paludoſa munien-dis, praeſtant. Plurimas caricis ſpecies, quae in Marchia creſcunt, deſcribit, et vſum oeconomicum earum indicat. *Caricem arenariam* L. ſaſſaparillae loco adhiberi poſſe, imo ei praeferendam eſſe monet. Radices vero caricis, in locis vliginoſis creſcentis, ita inter ſe concreſcunt, vt maſſas ſatis duras forment, quae in fruſtula minora diuiſae viis, per loca paludoſa muniendis, optime inſeruire poſſunt.

Cl. COTHENII *diſſertatio de neceſſitate ſcholae veterinariae et ratione, qua ea inſtitui debeat.* Vtilitatem et neceſſitatem eiusmodi ſcholae pluribus commendat, et, quae in ea doceri debeant, exponit. Quae tamen omnia, cum cognita iam ſint, omittimus. p. 42.

Iam ad annum 1769 accedimus, in quo Cl. GLEDITSCH, *characteres generum Albucae et Alethris* LINNAEI *corrigit*, quarum plantarum flores Ill. LINNAEVS ex ſiccis tantum ſpeciminibus deſcripſit. Cl. vero GLEDITSCH deſcriptionem hanc hic ita emendat, vt doceat: *Albucam* non monopetalam, ſed hexapetalam eſſe, nullum in ea nectarium reperiri a corolla diuerſum, ſtamina omnia inter ſe eiusdem longitudinis eſſe, cet. Quod ad *Alethrin* attinet, notat, ſecundam ſpeciem LINNAEI, ſeu *A. Capenſem*, quam hortulani *Brunſwigiam* dicunt, ab *Alethri* L. charactere differre. Nouum igitur genus ex ea conſtituit, illamque *Veltheimiam* in honorem Ill. DE FELDHEIM, qui hortum celeberrimum Harpkenſem, prope Helmſtadium inſtruxit, vocat. Deſcriptionem vero characteris huius generis ita exprimit Noſter, vt doceat, *Veltheimiam* habere *calycem* nullum; *corollam* ei a. 1769 p. 57.

eſſe monopetalam, tubuloſam, oblongam, hypocarpiam, marceſcentem. Tubus eſt nonnihil angulatus, baſin verſus incuruus. Limbus erectus, breuiſſimus, ſexfidus, patens, laciniis ouato-obtuſis, in apice craſſiuſculis. *Stamina:* Filamenta ſex, ſubulata, verſus latus inferius inflexa, tubo corollae paullo breuiora, eodemque tubo infra mediam ſui partem ſecundum longitudinem adnata, et in fundum decurrentia. Antherae incumbentes, oblongae, didymae. *Piſtillum.* Germen oblongum, trigonum, triſulcum. Stylus ſubulatus, ſtriatus, ſitu et flexura ſtaminum, iisque breuior; ſtigma obtuſum. *Pericarpium* capſula tumida, ouato-oblonga, ſuperius attenuata, tribus alis notata, trilocularis, triualuis, apice dehiſcens. *Semina* in ſingulo loculo ſolitaria, obouata, arillata, receptaculo columnari affixa.

VII. Sele-

VII.

Selectus medicamentorum rationalis tam ſimplicium, quam compoſitorum in duas partes diuiſus: ſcripſit CHRISTIANVS PHILIPPVS HERWIGIVS, med. doct. ſeren. princ. ab Hohenlohe etc. a conſiliis et terrae Waldenburgicae praefecturarum phyſicus, academ. caeſ. nat. cur. collega, et regiae Francof. ad Viadr. aſſeſſor. Ienae, apud Chriſt. Henric. Cuno, 1771. 8. pagg. 156. praeter dedicat. praefat. cap. argum. et indic.

Inter alios huius generis libellos non vltimum locum hic promereri nobis videtur. Ac potiſſimum quidem, cum recentiorum inuenta hic quoque ſint commemorata, inprimis Stoerckiana, quorum et nonnulla laudauit, multaque obſoleta et inutilia remedia praetermiſſa. Plane enim omiſit terras lapidesque omnis omnino generis: item marina. Pauca e mineralibus et animalibus, plurima e vegetabili regno repetiit remedia, hiſtoriamque naturalem et chemicam explicationem ideo neglexit, quod practicam materiae medicae partem hic ſolummodo curat.

Inter acria reſoluentia, quae primum caput ſiſtunt, inuenimus quoque caſtoreum, moſchum, aſſam foetidam. Caſtoreum Noſtro nociuos edidiſſe effectus, non ſemper vtiles videtur. Vetuſtum enim et rancidum plerumque occurrit, ventriculum hinc onerat, bilem exaltat et putrida generat. Moſchus apud Noſtrum eſt incidens, nervinum et cordiale, guſtuque acre remedium. Aſſa foetida eſt incidens, roborans vermibusque inimica. p. 1.

p. 12. Dein ſequuntur acria purgantia et emetica, adſtringentia, ſubadſtringentia, aromatica ſ. aromata, balſamica, partim reſoluente gummoſo benigne balſamico, partim oleo et reſinoſo fragrantiori ſtipata; ſubadſtringentia diſſoluenti acido ſaponaceo iunctis, vt tamarindi; vel diſſoluentia ſaponaceae indolis dulcia, quibus adſcribit Noſter mannam, mel, paſſulas; diſſoluentia ſaponaceae indolis amaricantia; amara fortiora tonica, inter quae reperimus amygdalas amaras; reſoluentia mineralia inſipida, ex quibus cinnabarim natiuam e. gr. commemoremus; leniter reſoluentia, humectantia nutrientia, mucilaginoſa ſ. emollientia et tandem narcotica, quibus adnumerati ſunt a Noſtro flores papaueris erratici, ſemina papaueris albi. Nos vero, cum non omnia quaeque poſſimus hic breuiter, vti conſtituimus, tradere, de nonnullis ſingulis videamus.

p. 30. Cortex Peruuianus ſpecifice agit contra morbos periodicos omnes. Solus exhibitus totam quidem paginam ſaepius abſoluit, ſed magis efficax redditur, ſi cum aliis commiſcetur. Ita in febribus exanthematicis putridis cum camphora et acido quodam, in malignis intermittentibus et tuſſi conuulſiua cum ſulphure antimonii aurato et moſcho, in inflammatoriis cum nitro, in lue venerea et verminoſa cauſſa cum mercurio dulci, in viſcerum labe et obſtructione cum rheo et marte, in ſcabie cum floribus ſulphuris et in tumoribus cum ſquilla. Hic cortex ſolus magnum remedium, nec vnquam noxium eſt. Non tamen ſingulo indiuiduo, neque omni morbo medetur: innocuum quidem, at non vniuerſale eſt remedium. Plethora et primarum viarum ſaburra corticis effectui officiunt. Cum Ill. A ROSENSTEIN externe imponit ventriculo corticem, cum vino ſ. aqua in pultis formam coctum, porro et in enematibus eum commendat.

Staphi-

Staphilini, alias dauci, interne in morbis pectoris, p. 40.
ictero et hectica abdominali praeſto ſunt, nec non externe in cancro dolores leniunt. Semina hyoſcyami in mania proſunt. Huic ſimile eſt remedium ſtramonium. Conuenit mulierculis, quae opium non ferunt, clauo hyſterico laborantibus.

In parte ſecunda compoſita et praeparata continentur. Atque hic acria reſoluentia; emetica, purgantia et laxantia; adſtringentia; ſubadſtringentia aromatica, balſamicaque; ſubadſtringentia, diſſoluente acido ſaponaceo; diſſoluentia ſaponaceae indolis dulcia, et acido dulcia; diſſoluentia, ſaponaceae indolis amaricantia tam gummoſa, quam ſalina; amara fortiora tonica; reſoluentia mineralia; leniter reſoluentia, humectantia et nutrientia; mucilaginoſa ſeu emollientia, denique narcotica. p. 57.

En quaedam exempla: Aqua e. gr. vulneraria mineralis, quae conſtat ex ſaccharo ſaturni, camphora et aqua fontana laudatur in cancro aperto mitigando, eique limites ponendo. p. 86.

Infuſum picis liquidae eſt liquor balſamicus, blande reſoluens, vrinam potiſſimum promouens, conducit morbis pulmonum, arthriticis, ſcabiei, obſtructionibus abdominalibus etc. Doſis eſt mane et veſpere ab vnciis quatuor ad ſex et vltra. Componitur ex aqua communi et pice liquida Noruegiae, vel ex reſina pini puriſſima. Aqua terebinthinae acida picem liquidam puritate et virtute balſamica antecellit. p. 110.

Oleum cerae commendatur externe in fiſſuris labiorum et papillarum, tumoribus et pernionibus. p. 117.

Cremoris tartari partes quatuor et vna boracis ſiſtit cremorem tartari ſolubilem, cremori tar- p. 125.

tari, praeter ſolutionem promptiorem et faciliorem, non abſimilem quoad effectus.

Finem imponit huic libro index nonnullorum librorum chemicorum, pharmaceuticorum practicorumque, in vſum huius libri perluſtratorum.

VIII.

GERARDI L. B. VAN SWIETEN commentaria in HERRMANNI BOERHAAVE aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis. Tomus quintus. Lugd. Batau. apud Ioannem et Hermannum Verbeek, 1772. 4. cum priuilegio praepotent. ord. Holland. et Weſtfriſiae, pagg. 691. praeter praefationem, indices Auctorum atque rerum. Nec non HERRMANNI BOERHAAVE libellus de materie medica et remediorum formulis, quae ſeruiunt aphoriſmis de cognoſcendis et curandis morbis.

Abſoluit itaque b. VAN SWIETEN *) hoc opus intra triginta fere annorum, cuius vtilitas omnibus conſtat, cuiusque lectio neminem poenitebit. Incipit quintus hic tomus a variolis, praefatione praemiſſa, quae quadam ex parte inſitionem variolarum, curam praeparatoriam, quam non nimiam eſſe oportet, atque vſum liberi aeris in naturalibus aeque, atque artificialibus ſpectat. Dein morbi epidemici pertractantur, nec non de calculo, lue venerea, rachitide, rheumatismoque agitur. Nos vero, vti cum praecedentibus eſt **) factum, de nonnullis ſingu-

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 159 et 543.
**) ib. Vol. III. p. 457. Vol. XIII. p. 392.

ſingulis videamus, ſalvis breuitatis legibus noſtris.

Omnis omnino aetas variolis eſt obnoxia. Vidit Noſter ſexagenarios et octogenarios ſenes varioloſos. Sed nunquam b. SWIETEN in numeroſa praxi triginta annorum ſpatio, bis variolis laborantem aliquem vidit. Id quod tot affirmant, quot negant medici. Grauidas porro variolis laborare expertus eſt, nec non fetum in vtero. Id quod etiam negatur *). p. 8.

Varioloſus morbus ſanguini talem inducit ſpiſſitudinem, qualis in morbis maxime inflammatoriis obſeruatur. Quapropter optimum pro hoc morbo, naturali et artificiali modo cum corporibus communicato, tolerando vitae ſtadium videtur eſſe, quod inter quartum annum abſolutum ad pubertatem fere intercedit. Praeterea et tunc dentitio nequit mala augere. Interim tamen et ſenes, rigida fibra praediti, ſatis frequenter ex hoc morbo emergunt, quamquam mollis et laxae temperiei hominibus mitior ille contingat. p. 14.

Inter multas ſententias de contagio varioloſo, quo ſine dubio variolae propagantur, habet et Cl. HAHNII **) opinionem, quae potius Noſtro ingenioſa, quam vera, non prorſus inutilis tamen videtur. Lectu digna inprimis corollaria ſunt de contagio, quae addit b. SWIETEN. Contagium varioloſum diu et ſuperatis variolis nocet. p. 16.

De pabulo ſeu fomite varioloſo cum agitur a Noſtro, videtur ei contagium varioloſum non aſſimilare ſibi tantum certas quasdam humorum mole- p. 34.

 culas,

*) v. COTTVNNIVS, de ſedib. variol. comment. noſtr. Vol. XVIII. p. 417.

**) v. aduerſar. medic. practic. quae Lipſ. prodeunt, Vol. I. p. 215. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 497.

culas; ſed omnia fluida et ſolida corporis poſſe corrumpere. Id quod et ex inſitione variolarum quodammodo patet.

p. 43. Semper b. SWIETEN ſuſpectum fuit in praxi, ſi variolarum morbus cum acri et immani lumbagine inciperet, ita, vt aegri, prae doloris acerbitate, corpus mouere non poſſent, ſi ſubinde miteſcit et per interualla recrudeſcit, praeſentibus febricula leni, et pulſu paruo et debili ſine celeritate. Prodit enim haec lumbago maximam variolarum malignitatem.

p. 54. Vltimus inflammationis exitus, in ſcirrhum nempe, in morbo varioloſo proprie non obſeruatur quidem; attamen habet et ille locum, ſi pars inflammata glanduloſa eſt. Variolarum enim ſpecies obſeruatur, vti et Noſter in ſequentibus docebit, in qua papulae non ſuppurant, ſed indureſcunt et verrucas calloſas referunt, ſicque vtcumque ſcirrhos imitantur. Inde et apparet, morbum varioloſum inflammatoriis adſcribi poſſe, licet multa habeat peculiaria, per quae ab aliis inflammatoriis diſtinguatur. Notat vero Noſter, tum contagium febrim acutam calidam excitare oportere; non autem virium proſtrationem, et frigoris potius ſenſum, quam aucti caloris inducere.

p. 55. Largitur quoque Noſter febrem varioloſam ſine variolis. Conſtat porro, variolas oriri a contagio, quod applicatum corpori, venenorum inſtar, agit. Ex hiſtoria autem venenorum probabile videtur, ſingulum habere ſuum antidotum. Quapropter poterunt varia tentari circa varioloſum experimenta, et forte inueniri quid, quod hoc venenum domet, ſicque morbum hunc varioloſum in ipſis incunabulis ſuffocet.

p. 61. In variolis profuiſſe mercurium dulcem exempla hic enarrantur, ex quibus patet, variolas vel paucif-

pauciſſimas, vel nullas ſequi mercurii dulcis vſum. Nec minus ſtibii vires huic morbo conueniunt, inprimis, ſi cum argento viuo, ſeu eius praeparatis vnitur, vt aethiope minerali *), cinnabari antimonii e. ſ. p.

Venaeſectionem, quam b. VAN SWIETEN et ipſis maculis varioloſis iam apparentibus ſine vlla eruptionis turbatione inſtituit, dirigere oportet febris vehementiam. Nec putat Cl. Auctor, omnes papulas ſuppurare, ſed multas apparere quidem, ſine ſuppuratione tamen reſolui. Pari modo febris varioloſae impetus et vehementia methodi medendi electionem iuuant. Antiphlogiſticam medendi rationem plerumque exigunt variolae, interdum tamen eſſentia alexipharmaca STAHLII, quam et BOERHAAVIVS ſuaſit, vel tinctura croci, a Noſtro cum fructu propinata, ad variolas formandas requiruntur, febre minus valida, quam opus eſt, praeſente. p. 67.

Variolas et internas corporis partes occupare, videtur Noſter aſſerere, id quod non omni omnino exceptione maius eſt **). Quando numeroſiſſimae ſunt variolae in cute capillata capitis, et, capillis denſis tectae, vix apparent, tunc obſeruauit Noſter deliria ſatis valida et capitis intenſos dolores. p. 73.

Tum Noſter criſes variolarum acceſſorias pertractat, diarrhoeas, haemorrhagias ſaliuationemque. Haemorrhagias narium non adeo timet Noſter, nec menſes; grauidis autem ingens periculum imminere credit, ſi variolis corripiantur. Abortiuerunt plerumque et perierunt quoque. Vnius grauidae narrat Noſter hic rarum exemplum, quarto menſe grauiditatis variolis affectae, quae conualuit, p. 88.

et

*) vid. comment. noſtr. Vol. XVIII. p. 414.
**) vid. ib. p. 411.

et debito tempore ſanum ſatisque robuſtum fetum peperit, licet ipſa tenella eſſet ſaliuationemque copioſam a die nono morbi vsque ad diem vigeſimum cum aphtis faucium et oris, laeſaque deglutitione toleraret: item ſequebatur per triduum diarrhoea valida, quid, quod ſanguis incepit fluere de vtero vigeſimo ſecundo die, ſequenti ceſſabat, quarto die redibat.

p. 90. Has euacuationes ſanguineas, variolis ſuperuenientes, plerumque ſalutares eſſe, ſymptomata lenire minuendo calorem et febrim largitur Noſter, modo nullam humorum reſolutionem prodant. Qua occaſione de ſtillante ſanguine ex oculo, e. ſ. p. in variolis, nec non ex ipſis papulis differit, ſanguinemque per vomitum, vrinam aluumque exiiſſe in varioloſis monſtrat.

p. 97. Videntur Noſtro ſaliuatio et tumor manuum pedumque inter diuerſas vias, quas natura affectat in materia morbi varioloſi e corpore eliminanda, numerari debere inter ſalutaria haec naturae, morbo medentis, conamina: licet ignoretur cauſſa, cur haec criſis acceſſoria varioloſa per ſaliuales ductus fiat.

p. 99. Variolas diſcretas, paucas, benignas, piſi ſubgrandis magnitudinem aequantes, Noſter vidit, nec non maculas liuidas, letales, variolis diſcretis malignis interſperſas. Porro obſeruauit benignas variolas, nono die morbi ſuppurantes et arefactas, decidere. Variolas bonae indolis materiam, puri ſimilem, continere oportet: ſemper periculoſum eſt, ſi ab hac conditione recedit, vti apparet ex cryſtallinis, ſiliquoſis, verrucoſis et id genus aliiis *). Intumeſcentia partium variolis obſeſſarum, prodit vires vitales validas. Miliaria rubra et alba variolas vel comitantur, vel eas ſequuntur, non raro ſine periculo.

*) vid. l. c.

culo. Plerumque hoc euenit, euacuatione primarum viarum non curata, de qua in omnibus exanthematicis morbis olim magnopere timebant.

Bona fide teſtari poſſe Noſtrum legimus, quod in numeroſa praxi pulcherrimos effectus viderit opiatorum in curandis variolis: idem nouit contigiſſe aliis egregiis medicis, quibuscum hac de re ſaepius egerit. Aluum conſtipari a narcoticorum vſu certum eſt; ſed clyſmata, ſerum lactis cum tamarindis facile hic iuuant. Etenim alui perpetuam conſtipationem in variolarum curatione valde noxiam iudicat. p. 112.

Pus varioloſum, a venis bibulis reſorptum, et circulantibus humoribus traditum, poteſt ſanguini purulentam cacochymiam inducere, plurimaque mala producere, vt febres peſſimae indolis, deliria ferociſſima, ſuffocationem ſubitaneam, tabem, vomitum, dyſenteriam, hepatitidem, quam Noſter poſt peſſimas confluentes natam vidit, et icterum. Diverſitas horum malorum pendet praecipue a partibus et cauis corporis humani variis, in quae derivatur haec purulenta materia. Felicior vero puris varioloſi reſorpti metaſtaſis eſt verſus exteriorem corporis ſuperficiem, aut artus. Vidit cubiti et genuum anchyloſin, anthraces, vlcera ſinuoſa et curatu difficillima, aliaque. Merito cum MORTONO pro ſigno ſuſpecto habendum eſt, ſi, variolis exſiccatis, aegri non appeterent, et hecticus maneret in corpore calor. p. 114.

Octenni puellae, peſſimis variolis decumbenti, ſexto morbi die difficultas reſpirandi erat cum tumore colli, turgidam columbarum ingluuiem referente et cedente, quamdiu externe premeretur. Moritur aegra et tumor dein ſubſidet. In cadauere inueniebatur interſtitium ſeptimi et octaui annuli cartilaginei aſperae arteriae eroſum. p. 117.

p. 119. Ad tenſionem inflammatoriam minuendam, et ad ſuppurationem puſtularum varioloſarum promovendam vſus eſt Noſter emplaſtro de meliloto, et Cl. ALEXANDER SUTHERLAND ſuadet totum corpus hoc emplaſtro inuolui et nonnullis exemplis, quorum a Noſtro hic mentio iniecta eſt, confirmat huius emplaſtri vtilitatem magnam. Porro pertuſionem variolarum maturarum, quam alii volunt, alii nolunt, omnino, ſi cum abſceſſu comparetur, concedi poſſe Noſter arbitratur. Nec timet de foueolis et deformitatibus in cute per inciſionem variolarum. Non exſpectat Noſter, vti TVLPIVS et HOFFMANNVS ſunt experti, ab acidis mineralibus in variolis profundiores foueas et acrius pus, modo caute et moderata doſi adhibeantur.

p. 133. Indicatione curatoria quadruplici in ſtadio ſuppurationis propoſita, ac primum quidem, vt concilietur puri facilis exitus verſus exteriora, vt illud dein, quod iam reſorptum eſt, expellatur de corpore, vt tertio degeneratio humorum in putredinem, hic metuenda quam maxime caueatur, vel nata ſi iam ſit, emendetur, quantum fieri poteſt et tandem, vt febrilis impetus in debito retineatur moderamine, non inutile b. VAN SWIETEN iudicat quaedam addere de ſymptomatibus nonnullis, hunc morbum quandoque comitantibus. Inter haec ſunt conuulſiones, quas non adeo noxias credit et inprimis profuiſſe obſeruauit, ſi caueretur, ne infantes dorſo incumberent ſupini, ſed in alterutrum latus conuerſi iacerent. Porro inter haec referuntur a Noſtro dolores ſubiti et moleſtiſſimi in externis partibus: item glandularum inguinalium tumor, ſemel a Noſtro obſeruatus, qui ſimul cum morbo euanuit: vrinae ſuppreſſio, mictusque cruentus periculoſum ſymptoma.

Deni-

Denique breuiter recenſentur rationes, quae Cl. Auctorem permouerint, vt nemini variolarum inplantationem ſuaſerit. p. 142.

Peſtis quandoque in aliis morbis latet. Id quod vidit Noſter anno decimo tertio huius Seculi, cum Vindobonae graſſaretur. Etenim peſtis ſaepius occultabatur ſub pleuritidis, catarrhi, et anginae ſpecie. Non diu autem poſt prodibant bubones et carbunculi, certiſſimi teſtes peſtis. Pleuritis ex propria natura per ſudores interdum ſoluitur. Cauſſas morborum epidemicorum manifeſtas eſſe, et in aere poſſe quaeri a Noſtro oſtenditur, et multorum Auctorum, qui inprimis de peſte ſcripſerunt, exemplis illuſtratur, illudque, quod aeri inhaereat, et morbis epidemicis generandis ſeruiat, explicatu difficillimum iudicatur. Accedit et hoc, quod morboſum epidemicum aeri inhaerens varium ſit. Porro diſquirit: num per inſecta noxiaque paludum effluuia, illud contagium propagetur? Contagium ſemel natum efficax eſſe, idem et mora acrius forte fieri poſſe, mutata etiam aeris viciſſitudine; attamen ſine praediſponente cauſſa in corpore ad morbum contagioſum producendum non ſufficere. Contagium, in aere natum, non ſemper huius ope communicari probat Cl. Auctor ex inplantatione variolarum, quae tum, cum nullum varioloſum contagium aeri ineſt, pure varioloſo in corpus immiſſo, excitari poſſunt. Epidemicus morbus in alios intercurrentes et ſtationarios habet imperium, ac omnino magna profecto cautione, atque perſpicuitate opus eſt in morbis epidemicis curandis. Id quod Cl. Auctor, iis medendi rationem tradens, clare monſtrat, et multis exemplis ex SYDENHAMO aliisque, additis ſuis ipſis obſeruationibus practicis illuſtrat. p. 152.

p. 201. Hic de calculo agitur a Cl. Auctore. Calculi rudimenta adſunt etiam in vrina hominum ſaniſſimorum. Vidit Noſter in linteis neonatorum infantum, ceterum ſanorum, copiam ſabuli nephritici, ſatis duri. Atque hoc ſabulum, in vrina ſaniſſima apparens vocari poſſe Noſtro videtur calculus natiuus, felicesque illos praedicat, in quibus hoc tardiſſime fiat. Licet vero calculi materialis cauſſa ſeu rudimenta non tantum vrinae, ſed et aliis corporis humoribus inſunt; tamen ex his ſolis, alia cauſſa non accedente, maior facile naſci calculus non videtur. Atque hanc cauſſam occaſionalem praebet corpus quodcunque inſolubile, ſiue illud ſit animale, vegetabile, aut foſſile; ſiue in corpore ipſo formetur, ſiue in illud extrorſum deferatur: cuidam corporis parti inhaerens, ad ſe trahens elementa calculi, etiam in homine, in quo nuſpiam vlla diſpoſitio ad calculum obſeruata eſt, et baſin nucleumque creſcentis calculi efficiens. Vidit Noſter calculum renum fuiſſe factum nucleum calculi veſicae vrinariae.

p. 215. Credibile eſt, in bile et vrina maiorem copiam elementorum calculoſorum haerere, eaque ibidem facilius adunari poſſe; interim nec deeſſe in aliis corporis humoribus calculorum rudimenta, omnesque omnino corporis cauitates calculos continere obſeruationes docent. Omnia enim caua corporis exhalant tenue quoddam liquidum, quod, niſi a venis abſorbentibus denuo recipiatur, ſtagnat et hydropem facit ibi, vbi colligitur. Si viui animalis abdomen thoraxue ſubito aperiuntur, fumus quaſi exhalat, qui manifeſte vrinoſum odorem ſpirat. Sanguis, e vaſis emiſſus ſanguiferis, ſimilis odoris halitum prodit. Vnde non temere creditur, exhalans illud, ſuburinoſum, aeque continere calculi elementa, quam vrinam, ac ſeruire eius formationi.

Id quod multis exemplis illuſtratur a b. SWIETEN, ex quibus facile intelligitur, vix loca in corpore humano eſſe, in quibus calculus non fuerit aliquando inuentus. Inter ea exempla, GAVBII quoque reperimus de calculis vterinis *), quod a Noſtro omni omnino exceptione maius iudicatur. Reliqua exempla hic nobis ſunt praetereunda partim breuitatis ergo, cuius rationem habeamus oportet; partim, quoniam iam multa eorum his noſtris commentariis ſunt inſerta.

Quaenam eſſet calculi materies, multum disputatum fuit. Relictis hypotheſibus hac de re excogitatis, conſtat materies calculi ſolidorum et fluidorum corporis elementis, quae vitae ſeruierunt, partes corporis fecerunt, et ad vitam inutilia reddita, abraſa motu vitali, ſeparata ſunt. Vnde patere Noſtro videtur ratio, cur tanta diuerſitas obſeruetur in calculis, prout diuerſam materiam in prima formatione ſua admiſerint, aut partes, calculum conſtituentes, diuerſa proportione inter ſe miſtae fuerint. p. 225.

Chemica analyſis calculorum id quoque, de quo nunc agitur a Noſtro, commonſtrat. Color calculorum fuſcus debetur oleo. Ferrum ineſſe humoribus corporis humani affirmatur, atque multis exemplis probatur; an vero baſin ac duritiem calculo dare poſſint ferreae particulae, dubitat Noſter. Calculoſae porro hae concretiones videntur magnam habere affinitatem cum tartaro vini. Vnde et calculus vocatur tartarus animalis. Id quod partim ex formatione calculi et tartari, partim ex ſolutione vtriusque in vnis iisdemque menſtruis probatur. p. 233.

His

*) Haarlemſche Maatſchappy, Tom. III. p. 604. comm. noſtr. Vol. IX. p. 21.

p. 245. His praemiſſis, ſequitur, vt conſiderentur illa, quae ad diagnoſin, prognoſin, et curationem calculi pertineant, cum in renibus, vreteribus, veſica aut vrethra haeret. De calculis veſicae felleae in capite de hepatitide et ictero multiplici dictum eſt. Quod ſi vero calculi in aliis viſceribus et locis corporis haerent; fere ſemper deficiunt certa ſigna diagnoſtica. Vidit Noſter hominem, qui ſingulis menſibus triginta, imo plures quandoque calculos, phaſeoli interdum minoris et piſi, interdum alius atque alius figurae, magnitudine, ſine magna moleſtia et ita, vt eorum deſcenſum ex renibus ſentiret, eorumque aduentum certo praediceret, emingebat.

p. 261. Obſeruatur in calculo veſicae laborantibus, inprimis magno, vrinam emingi, longe pallidiorem vrina ſana, peſſimeque foetentem. Calculi albi ſunt fere ſemper fragiliores reliquis; cinerei duriores; ferrugineum nigricantem colorem habentes vulgo ſunt duriſſimi.

p. 277. Inter ſigna calculi, cuius diagnoſis non ſemper adeo facilis eſt, inueniuntur et hic flocculamenta et fila mucoſa in vrina haerentia.

p. 281. Tenerae fabricae mulierem, a matre calculoſa genitam, obſeruauit Noſter emingere calculum triangularem valde acutum, paullo poſt vrinam ſubturbidam cum ramentulis albis et copia ſabuli nephritici. Atque haec femina ita conualuit, vt per plures annos nulla incommoda calculoſa pateretur, licet haereditaria ei ineſſet ad calculos diſpoſitio.

p. 282. Signa calculi renum moti maxime obuia haec ſunt: oritur ſaepe cito dolor punctorius in latere potius, quam in dorſo, cum nauſea, vomitu, inquietudine, perpetua mutatione corporis de loco

in

in locum. Si magnus eſt calculus, poſt motus mictus cruentus facile producitur.

Signum certum calculi veſicae vrinariae eſſe dicitur vrina alba cum ſedimento mucoſo, craſſo, multo, graueolente, quod alii pro pure habuerunt; Noſter vero illud non eſſe monſtrat. p. 287.

Tres indicationes curatoriae ſunt hic enumeratae, quae cernuntur in imminutione et expulſione calculi renalis, tandemque in auxiliis palliatiuis, quae ad malum, quod tolli nequeat, facilius tolerandum quid conferant. Nephrotomiam, quam non adeo difficilem iudicat cum nonnullis aliis G. TEN HAAFF *), qui notabilem curationem fiſtulae, ex adipe renum ortae, ibi commemorat, multis et inſuperabilibus premi difficultatibus Noſter putat. p. 300.

Iam ad lithontriptica Noſter progreditur. Cum nempe calculus humanus non ſit corpus homogeneum et ſimplex; ſed chemico igne examinatus, ſimilia det producta, atque ex aliis animalium partibus elici igne poſſint, nimirum ſal volatile, aquam, olea, et caput mortuum nigrum, et friabile, quod, omni oleo tandem expulſo, relinquit terram non amplius cohaerentem: non temere arbitrari videntur nonnulli, cohaeſionem partium, calculum conſtituentium, turbari poſſe, indeque calculos ſolui. Qua occaſione et Noſter aeris fixi poteſtatem ad cohaeſionem cum HALES, MACBRIDIO aliisque monſtrat: atque ideo cum aliis calcem viuam, vi praeditam expellendi aerem fixum ex calculo, laudat et magni nominis remedia lithontriptica ex ea parari poſſe autumat. Quapropter et hic IO. STEPHENS remedium lithontripticum proponit, cuius vis pendet a calce teſtarum ouorum et ſapone, p. 313.

 et

*) v. Verhandeling. te Haarlem, V. Deel, p. 168. comm. noſtr. Vol. XI. p. 124.

et omnino hic aqua calcis, lac et ſapo, vt optima quaeque lithontriptica remedia nominantur.

p. 333. Porro et agitur de immittendis lithontripticis iisdem remediis, inprimis calcis aqua in veſicam. Eſt quoque in hunc finem inſtrumentum inuentum, quod WILL. BUTLER *) deſcripſit.

p. 336. Vua vrſi inſigniter Noſtro profuit, in vlceroſis viarum vrinariarum malis, vbi nulla calculi ſigna aderant. Repetitis experimentis, et ſolo vuae vrſi vſu, certus Noſter factus fuit. Nihil enim praeterea b. SWIETEN exhibuit aegris, quam radicum altheae et liquiritiae decoctum largiter et copioſe, quod ab aegris potabatur ad imminuendam et inuoluendam vrinae acrimoniam. Vnde Noſter aſſerit remedium hoc laudem mereri, licet de eius vi lithontriptica nihil certi conſtet. Liquorem betulae et ſpiritum nitri reiicit Noſter. Nam ſpiritus nitri dulcis ſoluit calculum, ſed veſica non fert illum niſi dilutum, nec ventriculus: ideoque inefficax redditur. Magiſtra ſeu lixiuium ſaponis capitale, quod conſtat ſale alcalino fixo, igneo ac cum calce viua parato, aquâ diluto, non, niſi limitata doſi et dilutum molli liquido, adhiberi poteſt. Quae poſtremo habet Noſter de lithotomia, cuius euentum ſemper dubium iudicat, ea hic non poſſumus, ſaluis breuitatis legibus, vlterius perſequi.

p. 372. Iam veniamus cum Noſtro ad luem veneream, quae et ſiphylis dicitur a HIERONYMO FRACASTORIO, qui in carmine, quo luem veneream deſcribit, fingit ſiphylum, regis ALCITHOI greges paſcentem, et illorum numero et pulchritudine ſuper-

*) V. EIVSD. a method of cure for the ſtone chiefly by injections, Edinb. 754. 12. comm. noſtr. Vol. IV. p. 273.

ſuperbum inſultaſſe ſoli. Regnauit lues conſtanter et vno tenore vltra ducentos et ſeptuaginta annos, cum aliqua ſymptomatum mutatione. An vnquam hoc in alio morbo epidemico obſeruatum? Quapropter abludere penitus videtur lues Noſtro a more epidemicorum. Eſt contagium, quod ſeſe communicet cum corporibus alio atque alio modo.

Praecipuum ſignum diagnoſticum vlcuſculo- p. 385.
rum venereorum eſt, quod vulgaribus remediis pertinaciter reſiſtant; e. gr. vnguento pomato, ſebo candelarum, cet. Cicatricis quoque formatio p. 409.
in venereis vlceribus apparet, in medio vlceris fundo verſus omnem ambitum, in aliis ab ambitu vlceris verſus centrum, docente Cl. GOULARD. Lues venerea plerumque ſe manifeſtat in illa parte, qua communicatur, ſed non ſemper tamen, diuerſique malignitatis gradus in contagioſa materia luis obſeruantur, vti et Cl. ASTRUC notauit, quem, quoad ſedem huius morbi, quae non conuenit cum eius ſcala affinitatis, non iure a BOERHAAVIO diſſentire Noſter monſtrat. Contagium enim venereum in tunica celluloſa vel pinguedine adipoſa vel muco ſubpingui irretitur, et ſic partibus corporis variis adhaerens illas erodit, vi contagioſa, prolifera omnia corrumpit, dum quaelibet particula infecta nouae infectionis cauſſa euadit. Species quidem acrimoniae venereae non ſatis eſt definita hactenus; omnes tamen partes corporis, molles et duras, internas et externas, eam petere et corrumpere poſſe exemplis a Noſtro multis confirmatur.

Quibusdam de penis mirabilis fabrica praemiſ- p. 415.
ſis, partim ob corpora cauernoſa tria, cellularum et vaſorum ſanguiferorum multitudinem et nexum arctum rel., ad gonorrhoeam conſiderandam venit, eiusque ſpecies varias pertractat: cui dein iungit

ſimilem ſexus ſequioris morbum, fluorem album, ſeu gonorrhoeam muliebrem. Cuius varias quoque ſpecies hic Noſter perſequitur.

p. 431. Ophthalmiam veneream quandoque naſci non per metaſtaſin; ſed a contagio, oculis ipſis applicato, proficiſci, improbabile Noſtro non videtur, et exemplo confirmatur. Adoleſcens conſueuerat oculos vrina calente mane eluere, id quod et continuabat gonorrhoea virulenta laborans. Subito oriebatur ophthalmia grauis venerea, quae dein cum gonorrhoea ſimul curata eſt. Si ergo oculos digitis, qui materiam veneream e pene expreſſerunt, id quod ſaepe fit ab eiusmodi aegris, ob leuamen et dolorum lenimen, fricant hi aegri, vel nares fodicant, in periculum et ozaenae, et ophthalmiae venereae incurrunt. Solo itaque attactu materiae gonorrhaicae oculos inflammari poſſe ex ſuperiori exemplo patet.

p. 448. Carunculae, verrucae, aliae atque aliae excreſcentiae, in vrethra et viciniis, poſt gonorrhoeam non adeo frequentes, vt vulgo creditur, hic a Noſtro conſiderantur. Varie ſentiunt de his Auctores. Quapropter variae ad illas exſtirpandas occurrunt methodi. Inprimis hic candelulae, ſeu cerei JACOBI DARAN, in cenſum veniunt. Alii maluerunt vapores crudi argenti viui, ope infundibuli, in vrethram immittere, iisque praeferunt cereos. Inter quos et SHARPIVS eſt referendus, qui emplaſtra ex mercurio crudo adhibuit. Hac occaſione et de ſolutione plumbi *) in veſica per argentum vivum, a Cl. DARAN propoſita, disſeritur.

*) v. HEUERMANNS *vermiſchte Bemerkungen und Unterſuchungen der Arzneywiſſenſchaft, II. Theil,* p. 101. comment. noſtr. Vol. XVI. p. 83.

ſeritur. Denique pauca addit Noſter de cereis Cl. GOULARDI *).

De doloribus venereis oſteocopis notat Noſter, eos non augeri ad attactum, imo ſaepius a valida preſſione imminui. Arthritici vero id non ferunt. Quodſi vero oſſa in tophos venereos eleuantur duros, tactum et venerei non tolerare poſſunt. p. 472.

Sincere dicit Noſter, quae viderit in hoc morbo tractando: laudat eos, per quos profecerit, atque indicat rationes, ob quas nonnullorum curationes relinquat. Atque ſunt profecto hic multa in curatione huius morbi notatu digna vel collecta ab aliis, vel a Noſtro accurate obſeruata, quae legiſſe neminem poenitebit. p. 475.

De externo per inunctionem et ſuffitum, et interno cum et ſine ſaliuatione mercurii viui alio atque alio vſu Noſter tum agit, efficaciamque huius remedii in lue venerea domanda conſiderat; proponit difficultates, quae fecerint, vt crederet, argenti viui efficaciam et vim in corpore humano non poſſe explicari ex eius pondere, et diviſibilitate ſolis, ſed deberi ſingulari eius naturae, per experientiam ſolam tamen clarae, ceterum obſcurae tribui. Nam aurum e. gr. hydrargyro multo ponderoſius, nunquam excitabit ſaliuationem, aliaque metalla eorumque praeparata nihil efficiunt in lue venerea. Praeterea metallica corpora vix agere poſſunt in corpus humanum, niſi fuerint prius ſoluta in menſtruis ſuis, et ſic fluida reddita. Mercurius autem ex ſua natura fluidum eſt, omnesque omnino ideo humores adire poteſt. Quam ob cauſſam, malleabilitate ipſi deficiente, multi p. 519.

 credi-

*) v. EIVSD. tr. ſ. l. effets de préparat. de plomb. etc. comment. noſtror. primae decad. ſupplement. I. p. 113.

crediderunt improprie dici metallum, et appellarunt aquam metallicam. Quae cum ita ſint, ſufficit medico nouiſſe, quid agat mercurius, licet modum, quo agat, ignorauerit. Cur rheum aluum moueat, cur opium ſomnum faciat? et optimi, qui de viribus medicamentorum egerunt, neſciunt.

p. 531. His praemiſſis et in medio relictis, conſideratur a Noſtro, qua via, et qua methodo tuto hydrargyrum poſſit adhiberi in lue. Externam mercurii applicationem ob mala inde ſequuta, et a Noſtro hic collecta: item ob inconſtantiam huius methodi, quoad remedii quantitatem, atque eius effectus reiicit Noſter, eique praefert ſaliuationem, quam tutam eſſe expertus eſt, praeparatis mercurialibus interne datis excitatam, quae in corpore non diutius morantur, quam par eſt, nec ad varias corporis partes, in quibus mercurius tamen inuentus eſt poſt externam applicationem, deponuntur. Inter praeparata mercurialia ab initio mercurium praecipitatum album et mercurium dulcem ter ſublimatum prae reliquis elegit, et cum ſaccharo albo in puluere aegris exhibuit. Ad ſaliuationem, ſi opus eſt, per ſudorifera moderandam, commendat diaſcordium HIERON. FRACASTORII, eiusque compoſitionem hic tradit: doſin opii in eo definit atque cum eo comparat diaſcordium FRANC. DE LE BOE SYLVII, aliter compoſitum.

p. 547. Cum vero Cl. Auctor in morbis difficilibus curandis, circa ſolutiones metallorum olim multa tentauiſſet, quoniam putaret, vegetabilium et animalium partes vix non omnes citius vel ſerius ſubigi per vires vaſorum et viſcerum, ita, vt humoribus omnino aſſimilentur, tentauit et vitriolum mercurii, ſed dilutiſſimum, ſeu mercurium ſublimatum corroſiuum, quem cum aqua, ſeu ſpiritu vini, ſeu frumenti iisdem cum effectibus commiſceri

poſſe

poſſe putat. Hanc ſolutionem dici mixturam Swietenianam notum eſt, licet Cl. Auctor ipſe fateatur, ſe non eſſe huius inuentorem; tamen eam adhibuit et ſuaſit, aliis quoque medicis, vt LOCHERO Cl. *), inſimulque eam externe adhibitam mixturam, quadruplo aquae purae dilutam, laudat in nodis, verrucis exoſtoſibusque venereis, felicemque huius remedii externe, lauando adhibiti, vſum exemplis confirmat. Saliuatio raro ſequitur vſum mixturae Swietenianae ſic dictae.

Mirum profecto Noſter enarrat exemplum, quod docet, venereum contagium pertinaciſſimum, nec optime quibusque remediis cedens, elici poſſe ex locis corporis, expelli per ſudores validis laboribus ruri viuentium, calidoque aere excitatos, dum ſimul diaeta macilentiſſima ſeruetur, et copioſus liquidi ſoluentis potus ſudori aptum vehiculum praebeat. p. 560.

Duplicem porro Noſter modum, quo adhibeatur decoctum guaiaci, hic proponit. Item laudatur, inprimis ab Anglis decoctum ſaſſaparillae ad luem veneream domandam tam interne, quam externe linteis eo imbutis in vlceribus venereis, et membris inde dolentibus. Cl. STOERCK narrat memorabile exemplum feminae, omnibus remediis fruſtra contra luem tentatis, ſolo decocto ſaſſaparillae a lue venerea liberatae **). Nec non hic radicem chinae inter remedia antiuenerea vidimus. Quam ſanguinem depurandi habere vim Noſter putat, et eodem iure minus pretioſiorem radicem bardanae offert. p. 566.

 Tandem

*) v. EIVSDEM obſ. pract. c. luem veneream, epilepſ. etc. comm. noſtr. Vol. XII. p. 32.

**) v. EIVSD. ann. med. ſecund. p. 225. comm. noſtr. Vol. X. p. 277.

p. 573. Tandem de cicutae, aconiti et lobeliae contra luem veneream vſu Noſter agit; quorum autem remediorum virtutem, a nonnullis in lue venerea non fruſtra tentatam fuiſſe aliis locis *) iam diximus.

p. 578. Rachitis, morbus Anglicus cum duplicatis articulis, apud Gallos *enfants noués* dictus, perfecta et imperfecta ab aliis nominata, primum a GLISSONIO eſt deſcripta. Hepar ſatis magnum eſt in rachiticis infantibus, ceteroquin non vitioſum. Non largiuntur omnes medici nouitatem huius morbi. Interim in veterum medicorum monumentis rachitidis deſcriptionem non adeo obuiam eſſe aſſerit Noſter. Rachitidem non pro connato morbo habet; GLISSONIVS autem enarrat eiusmodi exemplum Raro ante nonum aetatis menſem hic morbus accidit. Alii, vt Cl. DUVERNEY, quintum vel ſextum ſtatuunt menſem a natiuitate. Lente hic morbus incedit, nec non in initio, vulgo ſaltem non cito cognoſcitur.

p. 604. Pluribus dictum eſt, ſoliditatem oſſium pendere a terra, debita proportione admiſta, qua ſublata, os mutari in cartilaginem elaſticam et flexilem. Atque hoc cadere in rachiticorum oſſa omnia phaenomena edocent. Quapropter et BOERHAAVIVS aſſeruit, cum vis mutandi aceſcentia in alcalia in corpore humano deficiat, tum oſſa, cartilagines, dentes, ligamenta, laxa, debilia, mollia, flexibilia, vti fit in rachiticis, reddi.

p. 607. Carioſi cum nigredine dentes concomitantur rachitidem. Tales aliquot vidit Noſter adoleſcentes, quorum morbus in initio negligentius tractatus

*) v. comm. noſtr. Vol. XI. p. 233. p. 237. Vol. XV. p. 525. Vol. XVII. p. 302. it. Vol. XVI. p. 82.

tus fuerat, qui edentuli manſerunt tota vita. Laudatur et hic Cl. BVCHNERVS *), qui aſſeruit in rachitide imperfecta dentes, carie eiectos, ſeptimo anno reparari; in perfecta vero non. Perfecta enim plane nullam admittit curationem ex ſententia Cl. BVCHNERI, qui miſeram vitam rachiticorum exemplis illuſtrat. Vidit inprimis miſerrimam rachiticam puellam, extremo vitae die adeo tetram ore exſpiraſſe mephitim, a qua ſaniſſimus volucris, cauea, quae puellae vertici perpendicularis imminebat, incluſus, mox enecatus eſt.

Rachitis itaque lente incipit, progreditur ita, vt anni requirantur, antequam corpus deſtruatur. Triplici modo finitur hic morbus: vel enim abit in ſanitatem, vel in mortem, vel definit in morbum alium diuerſum a priori, cui tamen, vt cauſſae, originem ſuam debet. Sic e. gr. gibboſi, nani, curui aut aliter deformes demum fiunt rachitici. In rachiticorum quoque cadaueribus omnes artus manent flexiles, carnes ſunt albae, molles, decolores: ſanguis eſt aquoſus, valdeque reſolutus et, vt Cl. BVCHNERVS **) obſeruauit, rutilus. p. 611.

Quod longe alia curatione, quam iam Noſter tradit, indigeat rachitis, quam lues venerea, imo, quod illa, quae ad virus venereum exſtinguendum laudantur, huic morbo minime proſint; non videtur lues venerea inter cauſſas rachitidis referri. Curatio rachitidis autem ſpectatur in elaſticitate et robore fibrae laxae et debilis, quibus deſtituta eſt fibra rachiticorum, reſtituendis. Sicciores et inde potius ſuadentur cibi. Cum cauſſa proxima porro rachi- p. 615.

*) IO. PETR. BVCHNER diſſ. inaug. de rachitide perfecta et imperfecta. Argentor. 1754. 4.
**) v. diſſ. laudat.

rachitidis conſiſtat in cacochymia inerti, mucoſa, frigida, vna cum laxa partium firmarum fabrica; prodeſt aer ſiccus, calidiuſculus, vtpote indoli morbi aduerſus.

p. 627. Inter remedia contra rachitidem reperimus quoque ens veneris a BOYLEO deſcriptum, quod cum decocto ſaſſaparillae et lacte muliebri ſi detur, laudatur: et Cl. BOERHAAVIVS flores ſalis ammoniaci martiales aeque efficaces iudicat, atque ens veneris. Noſter cum fructu eſt vſus in hoc morbo tinctura vitrioli martis aurea.

p. 635. Praemiſſis editionis Boerhaauianae varietatibus, cum prima et ſecunda non habeat capita de rachitide, et rheumatiſmo; ad rheumatiſmi conſiderationem ſeſe Noſter accingit. Huius nomen rarius occurrit apud veteres medicos; videntur tamen illum ſatis cognouiſſe, et ſub arthritidis nomine deſcripſiſſe. Rheumatiſmus dicitur agnatus arthritidi, podagrae et ſcorbuto. Item nominatur et arthritis vaga rheumatiſmus. Plura hoc de morbo reperiuntur in SYDENHAMO.

p. 645. Teſtatur PIETRO CORNACCHINI, ſe vidiſſe in rheumatiſmis chronicis effloreſcentiam ſalinam cutaneam. Experientia enim conſtat, vrinam rheumaticorum habere trigeſimam modo partem materiae ſalinae, quae vrinae ſanorum ineſſe alias ſolet. De cruſta ſanguinis in rheumaticis et arthriticis morbis legitur apud Cl. STOERCK *), qui febris continuae arthriticae et rheumaticae ſymptomata et curam diligenter eſt perſequutus. Tres aegros quoque, materia rheumatica ad interiora delata, periiſſe IDEM narrat, maximamque ſaepenumero

*) v. EIVSDEM ann. medic. ſec. p. 112. comm. noſtr. Vol. X. p. 274.

mero adeſſe difficultatem morbum detegendi, ſi cerebrum et pulmones occupat, Noſter in ſequentibus edocet.

Notatu dignum exemplum tradidit Cl. STOERCK *), p. 656. ex quo appareat, conſortium febris intermittentis cum rheumatiſmo quandoque contingere. Ad tumorem et ruborem partis, rheumatiſmo laborantis, quod attinet, meminit Noſter videre ſe articulum quendam, acerrimo dolore rheumatico afflictum, ſed non tumentem; cum poſtea in alium articulum migrabat malum, locus, prius affectus, ſubrubello rubore apparebat tumidus, inſimulque ibidem dolor leniebatur. Id quod et SYDENHAMVS notauit. Rheumatiſmus porro ex ſua natura non habet illos periodicos itus et reditus, vti in podagra et arthritide obſeruatur. Sunt, qui ſubito frigore admiſſo corpori calefacto, rheumatiſmum ſemel paſſi fuerint, nec, cauta refrigerii huius frequentiſſima rheumatiſmi cauſſa, rheumatiſmus rediit. Huius morbi ſedes non cernitur ſolummodo in articulis, ſed et muſculis illosque tegentibus membranis, nec non in membranis, neruos tegentibus. Quod ſi itaque ille morbus in articulo quodam duret, augeaturque; turbabitur naturalis ſecretio muci naturalis: porro et excretio olei medulloſi in cauum articuli: indeque ſaepe redditur totus articulus prorſus immobilis. Eiusmodi exempla Noſter enarrat de rheumatiſmo in ſpina dorſi, vbi flexo corpore, quod plane non poterat erigi, per totam vitam incedere oportuit miſeros aegros. Alia et alia, huc pertinentia Cl. SYDENHAMVS potiſſimum in agricolis, commemorat exempla. Eadem et Noſter expertus eſt, quae Cl. SYDENHAMVS de rheumatiſmo et ſcorbuto exhibet.

An

*) vid. l. c.

p. *661.* An rheumatiſmus abſolute nunquam in ſuppurationem abire poſſit, quaeritur; ſed ſatis certo conſtat, raro hoc contingere: Cl. TISSOT*) tale exemplum enarrat. Inprimis talis error Noſtro metuendus videtur in iſchiade, ne abſceſſum comitantes dolores pro rheumatiſmi cruciatibus habeantur.

p. *665.* De vtilitate venaeſectionis in cura rheumatiſmi quamuis ſatis conueniant medici; tamen prudentia hic opus eſſe videtur Noſtro, pro morbi diuerſitate et aegri conſtitutione. Id quod et SYDENHAMVS, qui quater venam ſecare in rheumatiſmo ſuadet, arbitratus eſt.

p. *671.* Meminit Cl. Auctor, ſe lumbaginem rheumaticam moleſtiſſimam, variis methodis tentatam fruſtra, curare cum vapore calido, per tubum ad locum affectum, ex infuſo thymi ſatis diluto mediae horae ſpatio: dein per quartam partem horae frictione. Nec veſicatoria hic ſunt ſpernenda. Interdum enim rheumatiſmus terminatur per metaſtaſin materiae acris ad crura, quae veſicas eleuat, aperte in vlcera degenerantes; quae non cito claudi debent quoniam facile redeunt rheumatici dolores. Natura ipſa itaque videtur Noſtro indicare veſicatoria in hoc morbo, nec non alia irritantia, vt ſinapiſmos, imo cauteria et moxam hic conducere. Cl. STOERCKII curationibus rheumatiſmi cum cicuta, aconito e. ſ. p. hic commemorandis, cum iam de iis dictum ſit, ſuperſedemus.

p. *679.* Suadent in rheumatiſmo diluentia et emollientia, addito nitro. Noſter largo nitri vſui in morbis acutis inflammatoriis indulſit, cum magna diluentium copia. Dedit nitri inter viginti quatuor horas ſex drachmas ſaepius; nec timuit de vi eius frigefaciente

*) Avis au peuple ſur ſa ſanté, chap. IX. comm. noſtr. Vol. XII. p. 546.

faciente, cum certo ſciret, illam vim tantum obtinere illo tempore, quando nitrum ſoluitur; euaneſcere ſatis cito, nitro ſoluto. Talis methodus non tentanda eſt, niſi incipiente rheumatiſmo inflammatorio.

Si rheumatiſmus coxae ac vicinorum regionem occupat, nuncupatur iſchias. Cuius curatio difficilior eſt, indeque pendet etiam curationis huius diverſitas. Egit hac de re inprimis Cl. COTTVNNIVS *), quem et Noſter laudat. p. 682.

Sequitur nunc index Auctorum et rerum. Finem autem huic libro imponit materia medica et remediorum formulae, quae ſeruiant his aphoriſmis Boerhaauianis.

*) vid. EIVSDEM commentar. de iſchiade nervoſa, Vienn. 1770. 8. commentar. noſtr. Vol. XVIII. p. 125.

IX. IOSE-

IX.

IOSEPHI QVARIN, Sacrae Caeſ. Reg. Apoſt. Mai. Inf. Auſtr. Regim. Conſil. Sanitat. et in noſoc. fratr. miſeric. phyſici, methodus medendarum febrium. Vindobonae, apud Rudolphum Graeffer, 1772. 8. pagg. 158. ſine dedicatione, praefatione et indice capitum.

Ex praefatione intelleximus, per viginti annos Cl. QVARIN obſeruaſſe morbos, atque febres feliciter curaſſe: quibus potiſſimum hunc librum dicat, proximeque ſe de morbis inflammatoriis et chronicis eſſe eodem modo ſcripturum. Hic hoc ordine febres perſequitur Noſter, vt primum de febribus in genere agat, dein ſynochum non putrem, febrem ardentem, putridam, malignam, miliarem, petechias, variolas, morbillos, eryſipelas, ſcarlatinam et poſtremo febres intermittentes conſideret. Finem imponunt huic tractatui formulae.

p. 2. Abit febris, quae eſt celerior ſanguinis motus cum laeſione functionis, vel in ſanitatem, vel in alium morbum, vel in mortem. Hinc nonnunquam mitiganda, interdum augenda, non raro ſibi relinquenda. Febres ſunt epidemicae, endemicae ſporadicae et topicae. Exempli loco ſit haemitritaea.

p. 6. Itaque a Noſtro traduntur febres haemitritaeae ſeu ſemitertianae, quo nomine CELSVS febres tertianas ſimplices et duplicatas vocat, quae, paroxyſmis admodum productis, continuas remittentes referunt. GALENVS haemitritaeam ap-

pellat

pellat febrim, ex quotidiana protracta et tertiana intermittente factam. Denique febris continua, cum tertiana ſociata, a quibusdam ad haemitritaeas refertur; quam vero alii rectius tritaeam, ſeu tritaeophiam nominant.

Quam diu vero pulſus ſatis durus eſt, etiamſi venaeſectiones ſint inſtitutae, primae viae purgatae et vires admodum proſtratae, cortex in febre ardente non prodeſt, imo morbum auget. Opii actio ſimilis eſt ac vini, quod certe nemo in arte peritus ſuadebit in motibus inflammatoriis ac omnino ferociori naturae impetu. Quapropter reiicit cum Cll. HOFFMANN, GORTER et PRINGLE opium, vigiliis, quae perſeverantes crebrius leue inflammationis initium in encephalo notant, accedentibus ad febrem ardentem. Opium enim facile auget hoc delirium, quoniam, eo ſumto, humores ad caput feruntur. Criſis in febre ardente eſt varia: per haemorrhagias narium, aluum, ſudorem, parotides et quandoque haemorrhoides. Vrina cum ſedimento lateritio potius pro criſis nuncio, quam critica euacuatione habenda. Quo enim ſedimenti citior et diuturnior depoſitio, eo perfectior criſis. Febris ardens raro vel nunquam ſoluitur rigore ſolo. p. 26.

Laudatur contra nimiam diarrhoeam radix ſalep, ſed tuto ſubſtitui poteſt orchis morio Ill. LINNAEI, ob gelatinoſas eius partes. Laete creſcit orchis in Auſtria. Prodeſt et in diarrhoea infuſum ex floribus rhoeados et ſambuci ſiccis, quoniam recentes ſambuci purgant. p. 33.

Non raro ſputa copioſa poſt febres ardentes corpora ita exhauriunt, vt reſpiratio ad motum difficilior cum purulentis ſputis notetur. Equitatio, aura ruralis, decoctum ex cortice et lichene Islan- p. 37.

dico, interpoſito lactis vſu, proſunt. Sudores nimios poſt ardentes febres compeſcit infuſum ſalviae aquoſum et vinoſum. Quod ſi vero aeſtum nimium excitet, cortex cum acidis mineralibus exhibetur a Noſtro.

p. 52. Spiritum vitrioli omninoque acida mineralia praeſcribit Noſter in febribus putridis vel ad gratiam, vel ad fortiorem acorem, ridetque eos medicos, qui decem vel quindecim ſpiritus vitrioli guttas librae vni aut alteri aquae admiſceant. Porro hic praefert ſinapiſmos veſicatoriis, quoniam a cantharidibus putredo augetur; eaeque nocent in magno humorum motu, teſtantibus Cll. VALCARENGHI et PRINGLE. Quod ſi vero malum neruis potius, quam ſanguini inhaereat, tum veſicatoria indicantur, ac plura quidem et repetitis vicibus. Ita enim ſymptomata, non raro ab vſu cantharidum orta, euitantur. In conſtitutione epidemica plurima loca veſicatoriorum fiebant gangraenoſa. Hic Noſter laudat inter alia et chinam chinam cum digeſtiuis externe, potensque remedium antiſepticum iudicat eam, cum alumine externe applicatam.

p. 57. Quamquam Cl. Auctor nec Cl. HOFFMANNO, nec aliis fidem denegat, neque eorum obſeruata de camphora, in larga doſi in dubium vocat; tamen fatetur, ſe nunquam vltra decem quindecim, ad ſummum viginti grana per nychtemerum praeſcripſiſſe. Obſeruauit enim ex maiori doſi camphorae letalia ſymptomata, vt phrenitidem, conuulſiones cet.

p. 72. Venaeſectio in maligna febre nocet peſſime, nec clyſmatibus in hoc morbo locus eſt. Potiora hic ſunt vtplurimum veſicantia, raro duo ſufficiunt.

In

In magno ſopore vtiliter nuchae applicantur. Diluentia aquoſa ſola non iuuant, ſed, quae ſtimulant et lentorem, neruis inhaerentem, corrigunt, vt infuſum menthae et florum ſambuci. Incerta eſt ad mortem et ad ſanitatem dies. Signa bona ſunt maior pulſus impetus et robur, vrina magis tincta, caput liberius. Interdum ſine notabiliore euacuatione terminatur hic morbus. Diarrhoea in febre maligna rariſſime eſt critica. Haemorrhagia quoque hic periculoſiſſima eſt.

Reprehenduntur ii, qui, cum in miliaribus p. 81. odor vappidi aceti attendatur, abſorbentia exhibeant, acidiuſculorumque et acidorum vſum plane interdicant. Cadauera enim eorum, qui miliaribus perierunt, cito intolerabiliter foetent et intumeſcunt. Ergo putredini reſiſtendum eſt. Retrogreſſis miliaribus, id quod ſaepe et facile contingit, inter alia maligna ſymptomata conuulſiones occurrunt, quibus nullum efficacius cum Cl. HUXHAMO opponere poteſt Noſter remedium, quam moſchum, qui ſine magno calore miliaria ad cutim deriuat, et aequalem, blandum et lenientem ſudorem, quem tranquillus excipit ſomnus, excitat.

Petechiae raro pedes occupant. Si in facie ap- p. 86. parent, periculo ſunt pleniores. Oriuntur ſaepius ex primis viis, non ſufficienter depuratis. Rariſſime petechiae cum leuamine cernuntur. Cl. SWIETEN et STOERCK autem criticarum petechiarum exempla enarrarunt. Frequentiſſime petechiae ſuperueniunt febri putridae, rarius malignae, rariſſime inflammatoriae. Quapropter quoque febris et primarum viarum ratio dirigit petechiarum curam.

p. 90. Variolae epidemicae vernali tempore ingrediuntur, aeſtate maxime graſſantur, minuuntur autumno et vix hyeme occurrunt. Sunt malignae et benignae. Sunt et variolae, verrucarum formam habentes, nec ſuppurantes, ſed exſiccatione fere vna terminantur. Periculoſiſſimas iudicat Noſter cryſtallinas, quarum puſtulae ichorea et glutinea materia repletae ſunt. Adultis et ſtricta fibra praeditis ſuadet Noſter ſerum lactis cum ſpiritu vitrioli, ad fortiorem acorem paratum, eiusque remedii vtilitatem laudat. Tentata eſt Viennae inſitio variolarum cum feliciſſimo euentu. Eius arcanum a Noſtro cum Cl. TISSOT in eo cernitur, quod varioloſum virus indatur corpori, omni rigiditate, laxitate, debilitate, obſtructione, cacochymia, viru, omni labe vacuo; breuiter corpori ſano, ſed non athletico.

p. 101. Morbilli regulares quarta die prodeunt, vt maculae paruae, pulicum morſibus ſimiles. Symptoma, quod maxime aegros turbat, eſt tuſſis, quam, ſi ſicca eſt, inſpiratio vaporis aquae calidae iuuat. Vbi morbilli palleſcunt et exſiccantur, ſunt purgantia antiphlogiſtica exhibenda. Cauendum etiam eſt, ne aegri luci exponantur ob oculos illachrymantes, morbillis ſuperuenientes. Oculorum enim labem et pectoris morbos cum tuſſi facile relinquunt morbilli.

p. 109. Eryſipelas in vlceratum, et non vlceratum diuiditur. Stibium diaphoreticum non ablutum commendat, illudque abluto multum praefert. Externe ſaturnina in eryſipelate, cum Cl. BRAMBILLA *) non commendat; ſed caute hic cum externis reme-

*) V. EIVSD. rifleſſioni fiſico-medico-chirurgiche. In Milano, 1769. 4. p. 24.

remediis verſandum eſſe monet, quoniam facile, vt oleoſa, pinguia reſinoſaque, eryſipelate retrocedente, gangraenae aliisque incommodis ſeruiunt.

Scarlatina eſt frequentior exeunte aeſtate, et iunioribus familiarior. Diuiditur in ſporadicam et epidemicam, malignam et benignam: circa aequinoctium vernale frequens et contagioſa cernitur ſcarlatina. Vberius eas deſcripſit Cl. PLENCIZ*). Non raro poſt fugatam ſcarlatinam valentes viribus labuntur, et leucophlegmatici fiunt, cum lotio, loturae carnium ſimili, interdum ſanguineo, cum et ſine febre leucophlegmatica, et niſi tumor leucophlegmaticus ſaepe per totum corpus cedat remediis, ſerum ad nobiliores partes fertur aegrique comatoſi, conuulſi, apoplectici aut ſuffocati pereunt. Pauca hic et Noſter de febre vrticata diſſerit. p. 115.

De cauſſa proxima febrium videtur Noſtro probabilis ſententia Ill. VAN SWIETEN, eam nervis et liquido nerueo ineſſe. Cauſſae remotae et praediſponentes variae ſunt. In frigore febrili tepida Noſter ſuadet, vt infuſum florum ſambuci, decoctum quinque radicum aperientium, ad transſpirationem promouendam. Autumnales febres potius purgantia ferunt, quam vernales. Vernales in ſanguineis facile in inflammatorias mutantur. Quapropter tum opus eſt venaeſectione. Sed et in autumnalibus vena eſt ſecanda, vrgentibus ſymptomatis. Varia doſis corticis Peruuiani eſt in febribus. In quotidiana ſex drachmae, in tertiana vncia, in quartana vncia vna et dimidia tempore apyrexiae dentur. De peſſimis malis timet Noſter ex intempeſtiuo laudati remedii vſu. p. 121.

 Inter-

*) EIVSDEM oper. phyſ. med. Tom. III. p. 1 comm. noſtr. Vol. XV. p. 137.

p. 134. Interdum febres intermittentes pleuritidem, choleram apoplexiamque mentiuntur, quae, redeuntibus grauibus ſymptomatis, ſubito cortice Peruviano ſunt debellandae. Conueniunt et opiata cum cortice in febre, a terrore, et animi pathematibus profecta, potiſſimum in hyſtericis et hypochondriacis.

p. 141. Viſceribus chylopoeis laeſis, frictiones, ieiuno homine, per totum abdomen pannis aſperis laneis mirabiles praeſtiterunt effectus, inprimis fumo accenſi ſuccini, maſtichis cet. addito. Id quod et b. VAN SWIETEN probat. Pertinent et huc inunctiones cum vnguento de althaea etc. in obſtructionibus infimi ventris, febres intermittentes comitantibus, vti ſupra a Noſtro eſt commemoratum.

X. Aduer-

X.

Aduerſaria medico practica. Voluminis II. Pars I. II. III. IV. Lipſ. 1771 et 1772. 8. c. fig. pl. 48.

Indicamus nunc alterum volumen huius continuati operis, cuius inſtituti rationem reddidimus, cum primi voluminis ſummam breuiter traderemus *).

Prima pars continet ſequentia: P. I.

1) *Obſeruationes de materiae arthriticae euolutione.* Monuit b. LVDWIG, ſe, dum in horum aduerſariorum primo volumine **) de euolutionibus corporis animalis in vniuerſum, et ſpeciatim de morboſis ageret, non, niſi generalem euolutionis ideam, delineaſſe, et ad veram euolutionum indolem definiendam omnino neceſſe eſſe, vt ſpecialius examen inſtituatur, varia euolutionis exempla in phaenomenis tradantur, inter ſe comparentur indeque vlterius definiantur. Quapropter ſecum conſtituit, ſelectas doctrinas, euolutionum ideam illuſtrantes, easque euidentes ſub examen vocare. Ac ad primum huius doctrinae ſpecimen edendum ſelegit Noſter arthriticum morbum, cuius indoles in mixtione materiae morboſae, admodum obſcura eſt, cum fixa ſit atque volatilis, aliis atque aliis cauſſis gignatur, et contagio haereditateque propagetur. Differentiae enim huius morbi profecto cernuntur in morbi arthritici geneſi eiusque varia euolutione, et habituali tandem confirmatione: indeque varietas ſymptomatum, huic morbo ſuperuenientium, pendet. p. 3.

*) v. comm. noſtr. vol. XVII. p. 488.
**) v. ibid. p. 502.

p. 5. Agit igitur b. LVDWIG primum de morbo, per varias generationes mutato: dein de morbo arthritico latente, ſub varia febrium ſpecie moto et euoluto, atque ita vtplurimum exitioſo: rurſus de materia arthritica, in ſenectute imperfecte mota, et ſub varia ſymptomatum ſerie tandem vita miſere finita.

p. 6. Progredimur ita cum Noſtro ad arthriticos morbos, per ſucceſſiuas generationes mutatos. Pater podagricus progenuit duos filios, nimis molliter a matre educatos, vino et veneri praematurae deditos. Natu maior ſine prole et in flore aetatis deſiit rebus humanis intereſſe, morbo Cl. Auctori non ſatis noto. Natu minor quiete, ſomno ac vino vsque ad ebrietatem, ter ſaepe de die expertam ac toties ſomno diſcuſſam, delectatus, variis podagricis inſultibus diuexabatur, et quadrageſimo aetatis anno apoplexia ita tangebatur, vt paralyſis inſanabilis ſupereſſet. Hic ex duplici matrimonio filium et filiam reliquit. In hac veſtigia morbi arthritici non deſunt, et in ſenectute, quam adepta eſt, eadem ſentit; ille vero ex podagra mota et retroceſſa optima aetate non diu poſt celebratas nuptias obiit.

p. 11. Feminae rarius quidem podagra quamquam laborant, nec vera morbi continuatio a matre ad liberos propagata Noſtro conſtat; tamen feminae reminiſcitur, et ſexageſimo ſexto circiter aetatis anno adhuc podagra et inprimis chiragra nodoſa affectae, cuius liberi, ante morbi ingreſſum nati, vegeti et ſani, poſt acceſſum autem morbi parti, ſine veſtigio quidem mali arthritici erant, imbecilles tamen a puero inter viceſimum et trigeſimum annum obibant.

p. 12. Morborum arthriticorum effectus quieſcere, vel ad tempus ſupprimi et latere, tandem tamen ex improuiſo ſaepenumero euolui, et ſubitaneam mor-

mortem inducere probat b. LVDWIG duobus exemplis, in quibus materia morbi arthritici latens nullo modo cognita eſſet. Alius poſt initum matrimonium febre continua, catarrhali ſimili, laborare videbatur; alius febre intermittente tertiana. Ambo autem ex materia arthritica tecta, ſubito euoluta et ad partes nobiliores delata, ſub variis febrilibus motibus, quorum ſummam attentionem ſuadet Noſter in his morbis arthriticis, mortui ſunt.

Qua occaſione etiam Cl. Auctor obiter monet, matrimonia ſenum, arthritico morbo affectorum, et in moderato vſu veneris arthriticos inſultus grauiores ac breui exitioſos reddere. p. 17.

Progreditur Noſter ad arthriticos morbos imperfecte motos, et ſub inſigni ſymptomatum varietate exitioſos. Vir vtplurimum ſub catarrhalium affectuum ſpecie patiebatur arthriticos dolores. Vagas enim praeter tenſiones, inprimis crurum laſſitudinem et immobilitatem, nihil habebat, de quo conquereretur. Paullo poſt herpete, cachexia, totius corporis inertia et aliis atque aliis ſymptomatibus, ſine vero inſulto arthritico viribus exhauſtus et languidus periit. p. 22.

Alius, mercaturae deditus, et idcirco itineribus ſaepe defatigatus, interea ſatis validos inſultus arthriticos patiebatur. Poſt annum autem quinquageſimum quartum quieti, cui ſeſe dicauerat, atque diaetae ordinatae adſcripſit, quod per decennium nulla arthritica incommoda percepiſſet. Bene enim interea valuit; iracundia tamen facile poterat commoueri, vsque ad ſexageſimum fere annum, quo de variis catarrhalibus affectibus conquerebatur: quibus et medicus occurrebat, nihil cogitans de cauſſa praediſponente arthritica. Accedentibus variis ſymptomatibus, languoribus ſine febre, noctibus inquietis, ſubitaneis ſenſuum obnubilationi- p. 26.

G 5 bus,

bus, ſcintillantibus radiis, oculum agitantibus, aliisque, b. LVDWIG conſilium exigebatur. Qui, in ſcrutinio cauſſarum verſatus, reſpexit ad materiam arthriticam antea praeſentem, nunc latentem, eique methodum medendi accommodabat. Nihilominus redibant ſymptomata capiti moleſta, inter quae vnum ab aegro ita deſcribebatur: non flamma eſt, ſed ſenſus halituoſi calidi, quale ex prunis vehementer incandeſcentibus ſurgeret, qui ex abdomine per pectus ad caput vniuerſum aſcenderet, nec niſi quiete in lectulo, et oculis, ſine ſomno clauſis, et liquore cornu cerui ſuccinato ſupprimi poſſet. Atque ita miſere et anxie vixit, et vires morbo, et ſenio proſtratae, nullos motus regulares permittebant. Interea autem calculos ducebat, ſuisque negotiis intererat vsque ad annum ſexageſimum octauum, quo languidiſſimus lectulo detinebatur, nec amplius nutrimenta concoquere poterat. Lenta autem mors et minus tranquilla continuis tenſionibus cum in vniuerſo corpore, tum in capite inprimis et incompletis conuulſiuis motibus vitam per plures annos traxit. Tandem clamores triſtes tantum emittebat, interdum eiulabat, nec placide ita exſpirabat.

p. 29. Ex ſequenti exemplo patet, vlcera crurum materiae podagricae vim ſupprimere.

p. 39. In ſenibus lenti et imperfecte moti morbi arthritici pariter occurrunt, quibus alias podagra regularis ſanitatis optimum praeſidium, atque longaeuitatis cauſſa cenſetur. Vidit Noſter ſenem, qui diaeta ordinata ad ſeptuageſimum ſecundum annum perueniſſet, ſub regularibus et annuis propemodum podagricis inſultibus, tandem autem morbo lento, ex incompletis crebrioribus podagricis paroxyſmis nato, anno ſeptuageſimo octauo aetatis ſuccubuit.

Com-

Commemoratis adhuc aliis exemplis ſuppreſſae materiae arthriticae in ſenili aetate, addit b. LVDWIG exemplum excitatae in ſene. Cum enim virum, ex haereditate arthriticum, accedente ſeptuageſimo ſecundo anno, imbecilliores ac antea quidem, attamen crebriores pati oportebat inſultus arthriticos, medicus diſſuadebat vini potum. A quo poſtquam aeger prorſus abſtinebat, paroxyſmi leviores quidem, ſed vires vitae imbecilliores reddebantur. Aduocatus tum b. LVDWIG vini optimi moderatum vſum ei concedebat, inde dolores arthritici acerbiores facti ſunt. Pertaeſus autem huius remedii, dolores augentis, rurſus a vino abſtinuit et inſultu apoplectico, a materia arthritica, ad caput delata, ex hac vita diſceſſit. Quapropter Noſtro videtur tutius, analepticum vini hauſtum, vt lac ſenum, iis propinare, et dolores ſubinde excitatos patienter ferre, nec diaeta ſtrictiſſima paroxyſmos imminuere. Morbus enim nihilominus ita ſupprimitur. p. 44.

2) *Oratio de neglectu contemplationis naturae, cauſſa neglectae medicinae, menſe maio* 1768. *in ſolemni doctoris inauguratione recitata.* Enarratis cauſſis, quae impediant naturae contemplationem, atque in vita varia hominum et inprimis educatione non ſemper probanda potiſſimum cernantur, b. LVDWIG ex neglecta naturae contemplatione, neglectum medicinae deriuat, idque ipſum ex methodo diſcendae medicinae, ratione eius faciendae et tandem cultura, a variis inuentoribus et profeſſoribus ſuſcepta, declarat. p. 46.

Neminem Noſter ad ſtudia ſeueriora, et diſciplinas altiores addiſcendas aptum iudicat, niſi ingenio ad res naturales contemplandas inſtructum, in quo omnis omnino doctrinae initia poſita ſunt. p. 52.

Ita

Ita enim tiro medicus grata rerum varietate, quas offert ſcientia phyſico mathematica, hiſtoria naturalis, anatome, chemia, et quae porro ad medicinam recte colendam, faciendam et docendam ſcitu ſunt neceſſaria, ſaepeque a diſcentibus pariter ac docentibus negliguntur, facile allicitur. Sed quam ſaepe educatio, opiniones, hypotheſes amorque ſingularis in hanc vel illam medicinae partem diſcentium et docentium impediunt rerum naturalium contemplationem, iisque neglectis, neglectum medicinae inſimul inducunt!

p. 58. Quemadmodum igitur in illuſtribus nonnullis academiis nullus ad altiores diſciplinas admittebatur, niſi ex ſcholis philoſophorum tentamine rite inſtituto dimiſſus eſſet: ſic nemini ad medicorum ſcholas aditus largiretur, niſi, qui in vera naturae contemplatione verſatus eſſet. Ita quidem pauciores forte medici dimitterentur, tales tamen, quales in vera ſyſtematis medici, ad naturae ductum compoſiti, conſideratione confirmati eſſent.

p. 69. 3) *De fallaci iudicio vulgi ſuper vi imaginationis maternae in fetum obſeruata quaedam* *). Cum de vi imaginationis maternae in fetum, cui vulgo omnes deformitates et laeſiones fetus adſcribunt, alio atque alio modo eruditi **) ſentiant, atque dubitent, b. LVDWIG nec in affirmatiuam, nec in negatiuam ſententiam tranſiens, iudicium ſuum hac de re potius ſuſpendit, atque hic obſeruata tantum quaedam proponit, ex quibus elucet, eſſe quasdam corpuſculi embryonis mutationes, quae, etiamſi imaginationi maternae adſcribi ſoleant, nihilominus

*) Eſt proluſio academica 1759 edita, paſſim aucta.

**) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 455.

hilominus tamen ab ea non repeti poſſe videantur: ideoque parum imaginationi maternae tribuitur.

Grauida, cum viſcera gallinae ſemiextracta ex abdomine vidiſſet, horrore perculſa fetum edebat, cuius inteſtina circa vmbilicalem regionem nuda quaſi conſpicerentur. Atque, praeter eam abdominalium integumentorum partem, quae circa vmbilicum ad duos pollices extenſa, adeoque flaccida et attenuata, tenuis et pellucida apparebat, vt viſcera abdominalia inprimis inteſtinorum tenuium gyri in vmbilicali regione tranſparerent, omnes embryonis partes naturali modo diſpoſitae inueniebantur. Viſcera, praeter flacciditatem, quae ab imbecillitate minusque iuſta nutritione proficiſcebatur, nullam praeternaturalem prae ſe ferebant mutationem. Ex his itaque patet, imaginationis maternae vim, ſi fuiſſet, viſcera nullo modo agitaſſe, ſed defectum ſolummodo nutritionis in vaſis, verſus vmbilicum tendentibus, hanc attenuationem integumentorum induxiſſe, et in ſimili hiſtoria, a Noſtro hic narrata, et huic praemiſſa, idem fortaſſe eueniſſe, licet ibi inteſtina, laeſis inuolucris propenderent. p. 72.

Praeterea mater fetum de reliquo ſanum et perfectum in lucem edebat, cum tumore obſcure rubicundo in oſſo bregmatis dextro, indubitato ab obſtetricis preſſione profecto, quo ipſo loco mater quarto propemodum grauiditatis menſe improuiſo, et fortuito caſu tacta fuerat baculo. Pariter vero putat b. LVDWIG, hunc tumorem inde non ortum eſſe, ſed vti reliquas maculas (*Feuermähler*) dictas, ſeu alias atque alias excreſcentias ex ſtaſi aliqua cruoris attenuati prouenire, quae ſaepenumero ſponte diſcutiantur, easque remanere et augeri, inprimis ſi nimiam remediorum externorum et haud raro irritantium applicationem varie tentant. p. 75.

His

p. 79. His ſubiungit Noſter obſeruationem, icone illuſtratam, cum ea defectum partis organicae prae ſe ferat, non ex imaginatione materna, ſed ex denegata ei parti nutritione declarandum. Militis vxor enitebatur infantem ceteroquin ſanum, cuius brachium ſiniſtrum ad mediam ferme oſſis humeri partem truncatum appareret, integumentis communibus circumcirca productis, nec laeſis. Papillae ſolummodo protuberantias molles integumentorum referebant, nec quidquam, praeter exiguam pinguedinis copiam, iis perquiſitis, inueniebatur. Arteria brachialis deſcendendo ita contracta in oculis Noſtri veniebat, vt in attenuatis filamentis euaneſceret. Atque ita et reliqua vaſa et nerui extenuati euaneſcebant.

p. 80. Deltoideus in tenello hoc corpore bene ſeſe habebat, minus vero brachiaeus internus. Coracobrachialis in media parte deficiebat, et in tendineam expanſionem ſeſe finiebat, quae cum vicinis partibus coaluerat, et ad latus finis oſſei humeri, quaſi abrupti, inſerebatur. Muſculi, teres maior et minor, nullam prodebant praeternaturalem inſertionem. Antequam vero tertia pars tricipitis vere ſibi vniri poſſet, in tendinem euaneſcebat, et fini humeri quaſi truncati annectebatur. Os humeri ſuperius non mutatum erat; deſcendendo autem attenuatum, cuius iam media pars in duo tubercula finiebatur, nulla cartilagine ſuperinducta, ſed quodammodo aſpera. Multi hanc deformitatem adſcribebant grauidae imaginationi, quae amputationi brachii in milite quodam adminiſtratae, durante graviditate, intereſſe dicebatur. Sed mater hoc negabat non ſolum, ſed nec vllam aliam quoque huius deformitatis cauſſam commemorare poterat. En dubiam vim maternae imaginationis in fetum!

Tum

Tum exemplum enarratur iuuenis viginti anno- p. 83.
rum, mutilatis extremitatibus vtrisque nati, earumque exiguo motu, qui curioſorum oculis a parentibus, hic Lipſiae monſtrabatur, et ex pago Latobrico (*Kletgau*), in Sueuia ſito erat. Nomen eius erat *Ioannes Heſs*: cuius mater, durante grauiditate terroris ſeu imaginationis laeſae cauſſam ignorauit. Denique addit de animalium brutorum mutationibus quaedam.

4) *Melancholico maniacorum et epilepticorum* p. 90.
quorundam, in ptochotropheo Waldheimenſi demortuorum, ſectiones tradit IOANNES ERNESTVS GREDING. Diuidit Cl. Auctor has commentationes in duas partes, hiſtoricam nimirum et anatomicam atque eadem ratione in his ipſis aduerſariis ſubinde communicat. Quod ſi vero relationes de morbis, minus perfectae irrepſerint, hoc tribuendum eſt imbecillitati mentis aegrorum, qui ſaepe confuſe, imo prorſus non ad quaeſtiones reſpondere poterant. Poſteriorem autem huius tractationis partem in tres ſectiones diſtribuit Cl. Auctor, atque in prima ea, quae in calua, meningibus et encephalo: in ſecunda ea, quae in pectoris cauitate, praecipue ratione pulmonum et cordis, et in tertia tandem ſectione ea, quae in imo ventre eiusque viſceribus propoſuit.

Omnes vero aegros, de quorum morbis in hi- p. 92.
ſtorica parte hic et in ſequentibus refertur, Noſter digeſſit in quatuor claſſes, quarum prima de melancholico maniacis, ſecunda de ſingulari et connata vtplurimum mentis imbecillitate laborantibus, ſtupidis fatuisque, tertia de epilepticis, et denique quarta de epileptico maniacis agit. Pluribus enim ſubdiuiſionibus iure Noſter ſuperſedere arbitratur.

Primam

p. 93. Primam claſſem diſpeſcuit in duas ſectiones, quarum prima eos complectitur, qui aliquo modo ante mortem reſipuerunt: altera, qui nunquam. Similesque aegros, vt meticuloſos, deſperantes, ſuperbientes, voluptuoſos, fanaticos cet.

p. 149. 5) *De morborum inprimis exanthematicorum ſucceſſionibus obſeruationes.* Attendiſſe iam medicos ad has ſucceſſiones primum, easque ſaepe a minus idonea medendi ratione pendere, iisque nec rarius eruditos medicos ex negligenti contraindicantium conſideratione occaſionem dare: item ex aegri regimine, morbo ſuperato, minus iuſto, proficiſci monſtratur. Dein reſpicit Noſter non pariter ad recidiuas ſolas, vt fieri ſolet ab intermittentibus febribus, ac potius ad nouos morbos, a prioribus diverſos, quorum geneſis ſaepiſſime in lentis febribus, alia atque alia ratione corpus afficientibus, cernitur. Ac hoc potiſſimum hic b. LVDWIG obſeruationes volunt, ex quibus nimirum apparet, etiam ex ipſa morbi, et materiae morboſae indole ſucceſſiuam euolutionem nouorum morborum, prioribus ſaepe grauiorum, oriri.

p. 156. Quamquam itaque hae obſeruationes exanthematicas potiſſimum febres ſpectant; tamen ex inſtituti ratione Noſtro a ſcabie ordiendum eſt, quae intempeſtiue repreſſa, innumeros morbos chronicos producit, et cauſſa eſt variorum morborum ſuccedentium. Exemplo febris peculiaris et tandem exitioſae, a ſcabie repreſſa ortae, a Cl. Auctore memorato, varia alia ſcabiei ſuccedentia exanthemata
p. 160. enarrantur. Nobilis iuuenis vel ſcabie vera, vel aliis puſtulis laborabat diu, dein hac dyſcraſia humorum quodammodo correcta, per aliquot annos bene valuit et ad iuſtam adoleſcentis proceritatem acceſſerat. Poſtea morbillos et variolas feliciter ſupera-

ſuperabat; relicta tamen ophthalmia, accuratiori diaeta et remediis, correctioni lymphae inſeruientibus, quoque ſublata. Nihilominus tamen paullo poſt ſcarlatina maligna accedebat cum diarrhoea, deliriis et continuis partium tenſionibus et artuum tremoribus, ab acrimonia ſubtili, neruis inhaerente, vti videbatur, deriuandis. Poſt triduum etiam erumpebant puſtulae miliares albae, adeo copioſae, vt corpus quaſi totum iis obtegeretur: quae quoque non recedebant, licet corpus ob continua deliria maxime inquietum, ſemper fere denudaretur, atque diarrhoea, inſcio aegro, continuaret. Miratus porro ſaepe eſt Cl. Auctor, veſicatoria in corpore tam emaciato, in quo cutis oſſibus quaſi adhaerere videbatur, continuam ſuppurationem effeciſſe, quae et poſt morbum feliciter ſuperatum continuabat. Summe debilitatus iuuenis dein iuſta diaeta et roborantibus medicinis quoque ad verum robur virile acceſſit.

Quapropter quaerit Noſter: in hoc iuuene vtrum poſt varioloſum morbum demum noua materia morbi collecta ſit, an aliqua particularum acrium collectio, a ſcabie relicta, adfuerit, per morbillos et variolas non extricata? Vltimum Noſter arbitratur et probat, inſimulque de acrimonia lymphae, quatenus vel velamenta neruorum, vel ipſum fluidum illorum petat, quaedam addit. p. 167.

Diſquirit porro Noſter: an non ex ſucceſſionibus morborum, quales in propoſitis exemplis nunc demonſtrauit, indoles materiae morbi quodammodo appareat? Sed, cum mixtio morboſa non ad ſanas humorum elaborationes referri queat, haec diſquiſitio Noſtro inanis videtur. Rurſus de ſucceſſionibus exanthematum dum hic diſputatur, tanta obſeruationum varietas Noſtro eſt, vt ſuadeat, p. 175.

 potius

potius ad progreſſum febris et ſymptomata, quam ad exanthemata ipſa reſpici debere.

p. 178. Denique de ſcarlatina, ſaepe epidemica, quaedam addit b. LVDWIG monita, quam poſt alios morbos iam ſuperatos prodiiſſe vidit. Duo infantes, ad cacochymiam diſpoſiti, variolas benignas patiebantur. Obſeruauit itaque partim ob cacochymiam, partim ob variolarum benignitatem, magna cum attentione conualeſcentiae tempus: et cum his per hyemem vagae cutaneae eroſiones cum ophthalmiis moleſtae eſſent, ſtrictiſſimum diaetae regimen iniunxit. Nihilominus tamen, cum ſcarlatina epidemice graſſaretur, hi duo infantes ea corripiebantur aeque grauiter, ac reliqui huius domus liberi. Atque ſcarlatina vix ſuperata, tumores glandularum colli, congeſtiones acris humoris ad aures accedebant, tandemque tumores ad parotidem ſequebantur. Lymphaticos humores itaque in his ſingulari acrimonia infectos fuiſſe, exanthematicisque morbis non raro ſuccedere obſtructiones glandularum lymphaticarum, ex hoc exemplo patet.

p. 183. 6) *Obſeruatio de abſceſſibus lacteis in infante poſt variolas obortis*, Poſtquam Cl. Auctor de affluxu lactis maiori in macilentis, quam in obeſis feminis: de neceſſitate, qua cogantur feminae, ob morbos, vt purpuram, lacteos abſceſſus, ſaepe ex temere denegato infantibus lacte oriundos, ipſae lactare, et de officio lactandi ſuos infantes, atque de cauta nutricis electione quaedam praemiſit: notabile exemplum infantis, abſceſſus lacteos illuſtrans, ab Eo enarratur.

p. 185. Infans octimeſtris copioſis benignis laborabat variolis, et a nutrice nimis copioſo lacte nutriebatur, vt, variolis ſuperatis, leuia mannata ipſum lac per

aluum

aluum ſubducerent. Accedente dein febre, brachium dextrum intumeſcebat, et abſceſſus, ad cubiti articulum latens, detegebatur. Similis tumor in crure dextro cum abſceſſibus ad malleolum externum et internum. Quibus inciſis, materia purulenta tenuis et ſanioſa cum lactis coagulo emanabat, nullaque inflammatione orta, lacteus hic humor vulneris ſanationem impediebat.

Tum magnus abſceſſus ſub clauicula dextra, et p. 188.
ſub muſculo pectorali formabatur, qui ad pleuram vsque penetrabat, mortemque infantis accelerabat. Noluit quoque mater, vt ille incideretur. Hi abſceſſus non ſub cute, ſed profundius ad perioſtium generabantur, et praecipue ad loca, articulis vicina. De aliis abſceſſibus poſt variolas Noſter in ſuperioribus egit *).

Iam ad quaeſtionem reſpondetur, vtrum teneri p. 190.
infantes, lac matris et nutricis ſugentes, in variolis vel aliis morbis acutis ablactari debeant nec ne? In ſexto menſe lactationis ſuadet ablactationem: nolunt autem plerumque matres. Quod ſi vero hoc fieri nequeat, nutrix non largo, ſed tenui et facile digerendo victu nutrienda eſt: nec cereuiſia ei largienda, ſed ptiſana ex reſoluentibus et demulcentibus parata, item liberioris aeris vſu atque motu laboreque opus eſt.

In altera parte haec leguntur.

1) *Commentatio de arthriticis doloribus, ex incre-* p. 194.
mento corporum oriundis. Vt ſpecimen euolutionum arthriticae materiae ſupra b. LVDWIG **) dedit:

 ſic

*) vid. aduerſ. medic. pract. Vol. I. p. 499. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 505.
**) v. ſupra, p. 103.

ſic hic duo exempla examinat, quorum alterum fuit in puero nouem annorum, ad incrementum corporis ducendo: quod etſi non ita celere, ſed moderatum magis erat; tamen multa incommoda, cum celeri incremento alias coniuncta, oſtendit: alterum in virgine duodeuiginti annorum, in qua corporis incrementum iam abſolutum videbatur, cum illa nihilominus in confirmatione epiphyſium plena, articulorum doloribus mire excruciaretur. De his exemplis haec habeto:

p. 198. Filius erat Noſtri, qui in nono aetatis anno varia incommoda ab incremento corporis experiretur. Quae erant, dolor in diaphyſibus et epiphyſibus, dolores capitis potiſſimum matutino tempore et ventris, cum alui ſegnitie et vrinae tenuis aquoſae excretione. Obſeruauit praeterea Noſter in filio muſculos in ſomno duriores et tenſos, qui non contracto corpore et membris incuruatis, vti ſolebat, ſed extenſus et quaſi rigidus dormiebat. Inde et explicat languorem, torporem et tenſiones, praeſertim matutino tempore, filii poſt ſomnum. His ſymptomatibus intercedebat catarrhalis febris aliique, a debilitate oriundi, morbi tranſitorii. Nihilominus tamen, licet aeſtate ſanior videretur, altera hyeme iterum conquerebatur de iisdem incommodis, ſed quodammodo imminutis. Poſtea vero nullus amplius morbus incrementum filii turbauit, et plena adhuc fruitur ſanitate.

p. 210. Morbus virginis huius non erat hereditarius; nihilominus tamen dolor articulorum permanebat, atque vehementior reddebatur, qui catarrhalis videretur: et varia ideo quoque remedia a Noſtro ſunt fruſtra adhibita. Quapropter incidit Noſter in cauſſam celeris incrementi, atque curationem illic direxit cum fructu.

Qua occaſione aſſerit quoque b. LVDWIG, p. 216.
plures imbecilles, praeſertim praediſponentibus cauſſis ex morbo arthritico tranſitorio, ſed grauiori perpeſſo, ſubſiſtentibus, et interea occaſionalibus accedentibus, ad morbos arthriticos habituales diſponi poſſe. Porro accedunt et cauſſae complicatae, vt vermes, ſpaſmique, quae cum incommodis, ab incremento profectis, ſeſe coniungunt.

Exemplo praeterea vno addito virginis, arthriticis p. 218.
doloribus vexatae, pauca de incremento oſſium in vniuerſum ſubiungit b. LVDWIG. Dolor in diaphyſibus oſſium perceptus, incrementum corporum declarat: dum enim oſſa cylindrica elongantur, tenſiones partium, his iunctarum, et obſcurus aliquis in oſſe ipſo ſenſus, incommodorum cauſſae ſunt. Haec potiſſimum inter annum nonum ad decimum tertium vſque percipiuntur, raro citius vel tardius, et tunc aequale plerumque eſt corporis incrementum. Adoleſcentibus vero anno duodeviceſimo ad viceſimum ſunt dolores praecipue ad epiphyſes, veris arthriticis doloribus ſimiles, plerumque vagi: coniunctique cum laſſitudine corporis et cephalaea, et id genus aliis.

Quapropter de oſſibus capitis Noſter quoque p. 221.
exponit, et rachiticorum ſimul incrementum commemorat. Laſſitudo non ſolum in externis partibus percipitur, ſed in oſſium meditullio, illeque ipſe ſenſus dolor vere oſteocopus dici meretur.

His praemiſſis, curam aegrorum in doloribus, p. 223.
cum corporis incremento coniunctis, Noſter perſequitur. Atque haec cernitur in diaeteticis potius, quam pharmaceuticis remediis. Reſoluentia non ferunt hi aegri, euacuantiaque, niſi prudenter electa, nocent. Roborantia ſumme neceſſaria quidem videntur; attamen, cum iis ſiccandi vis ſit

propria, et hic magna opus eſt circumſpectione. Quapropter accuratioris diaetae commendatio in his morbis non ſpernenda eſt, cui analeptica tantum iulapia a medico ſunt iungenda.

p. 229. Balneorum moderate frigidorum vel ſcoriis additis, magnus quidem eſt vſus in his morbis; attamen tum, cum liberiori aeri aegros exponere eosque ſufficienti nutritione reficere poſſumus. Alias vis roborans balneorum pariter nocet, atque interna roborantia medicamenta.

p. 231. 2) *Oratio de maiore propenſione medici empirici ad hypotheſes, quam dogmatici; menſe maio* 1768. *in ſolemni doctoris inauguratione recitata.* Contemplatione vniuerſae rerum naturae qui tenentur, ortum, incrementum et interitum corporum cognoſcere poſſunt, modo deſidia ac negligentia indagatores non deterreat et arceat. Et hanc contemplationem vniuerſi ſequi oportet medicos in ſingulari hominis natura diſquirenda. Et haec naturae contemplatio medica et diſcendae, et faciendae, ac denique colendae ſcientiae medicae vna et certa eſt via. Attamen, cum doctrinae phyſicae veritatem amantes ſaepenumero ab hypotheſibus perturbentur, dogmaticos magis eſſe hypotheſium amicos, quam empiricos autumant. Id quod Noſter refutat, ſyſtematisque medici vtilitatem, et hac in re commonſtrat. Cuius ope non ſolum initia doctrinae medicae diſcuntur; ſed etiam ad vias naturae, in mutationibus morborum et effectibus medicamentorum recte obſeruandas, ducuntur medici rationales.

p. 253. 3) *De luxatione vertebrarum colli, a medico forenſi circumſpecte diſquirenda* *). Narrantur hic a

b. LVD-

*) Eſt proluſio academica Lipſiae a. 1767. 4 propoſita.

b. LVDWIG tria exempla, et diiudicantur eadem variis monitis additis. Ac primum quidem compleѕtitur ſubluxationem vertebrae colli ſecundae, a ſecantibus, vt cauſſa mortis propoſitam, ſectione vero legali non ſatis declaratam. Erat autem potius paraplegia partium, ſub capite poſitarum.

Secunda diſquiſitio pertinet ad luctam fratrum, inter quam vnus ex iis ſubito vita priuatus eſt. Quaeſitum itaque eſt, vtrum mors ex apoplexia, internis cauſſis adſcribenda; an vero ex ſubluxatione, ad quartam, quae trium linearum diſtantiam receſſerat a tertia, colli vertebram notata, orta eſſet? Et, ſi hoc euenerit, vtrum haec ſubluxatio violentiae trahentis, an reniſui tracti et in lucta mortui fratris adſcribenda eſſet? Mors autem haec adſcribebatur apoplexiae. p. 258.

Tertio in exemplo vertebrae primae, vti referebatur, ſatis nimis deductae a ſecunda, luxatio et apoplexia inde orta, cauſſa mortis, ſed falſo, creditur. Mortuus vero et hic eſt ex alia cauſſa, ex refrigerio nempe, cui ſudans aeger, febre catarrhali epidemica laborans, imprudenter expoſitus fuerat. p. 261.

Quam ob cauſſam luxatio et ſubluxatio vertebrarum colli a medico forenſi circumſpecte eſt disquirenda. Cuius diſquiſitionis modum hic b. LVDWIG tradit. Nos vero, ſaluis breuitatis legibus, hoc vnum hic addere poſſumus, quod attinet firmam adhaeſionem vertebrae primae ad os occipitis, et hiatum poſteriorem naturalem inter primam et ſecundam vertebram, qui ob motum lateralem capitis adeo neceſſarius eſt, ſaepeque, vti et ex his exemplis in aprico eſt, ſecantes inducit, vt luxationem et ſubluxationem fingant. Difficile autem eſt hunc hiatum detegere: inde et factum eſt, vt optimi oſteographi EVSTACHIVS, CHESELDEN p. 266.

 alii-

aliique, eum non commemorarent. Ill. TREW vero annotauit illum in oſteologia ſua, et Cl. ALBINVS in tabulis oſſium humanorum, corpus ſecundae vertebrae per hunc hiatum conſpiciendae praebet, tab. X. fig. 2. lit. a.

p. 269. 4) *Melancholico maniacorum et epilepticorum quorundam in ptochotropheo Waldheimenſi demortuorum, ſectiones tradit* IOANNES ERNESTVS GREDINGIVS. Continuatio I. *). Pergit hic Cl. Auctor in ea tractatione, quam in prima parte incepit, et cuius inſtituti ratio ſupra a nobis eſt tradita **), et de ſtupidis fatuisque, de epilepticis et de epileptico maniacis agit. Breuitati autem ſtudentes has hiſtorias in compendio tradere non poſſumus.

p. 314. 5) *De belladonnae viribus et efficacia in icteri curatione tentamen.* Auctore EODEM. Belladonnam Cl. GREDING in ictero chronico, cum aliis in morbis tam egregios praeſtiterit effectus ***), adhibuit, hicque eius vires in hoc morbo tradit. Femina, furto deprehenſa, et verberibus atrocius tractata, non diu poſt puerperium de dolore hypochondrii dextri conquerebatur cum praecordiorum dolore et alui ſegnitie. Anthelmintica, lumbricis expulſis, praeſtabant paruum dolorum lenimen, et, digeſtione laeſa, cum ſpaſmis et contractionibus abdominalibus, macilenta ac debilis femina euadebat, rite tamen interea menſtruata. Variis incaſſum tentatis remediis, tandem decem ſaiis com-

*) v. ſupra, p. 111.

**) v. ibid.

***) v. comm. noſtr. Vol. IV. p. 261. it. Vol. VIII. p. 654. not. Vol. XI. p. 258.

communis *) vncias, in ſufficienti quantitate aquae ſolutas, partitis vicibus ita cum fructu exhibuit Noſter, vt per trimeſtre ab his moleſtiis prorſus liberaretur. Effectus huius ſalis erant, quod quatuor aegris aliis eiusmodi exhibuit, ſitis inſignis, aluus ſaepius laxa, ante primam alui exonerationem capitis dolor, aliquoties bilioſi cum pituita vomitus, et in duobus magnus ventris ardor, agente hoc remedio. Ceterum actio huius remedii Noſtro rudior videtur, indeque non continuandum hoc tentamen.

Haec ſola femina ex eius vſu conualuit; attamen non cum continuatione. Nam vernali tempore recrudeſcebant ſymptomata et quidem aucta. Variis tum rurſus tentatis fruſtra remediis, belladonna Noſter in hac femina vſus eſt. Veſperi et mane per decem dies pilulam, ex partibus octo extracti, et quinque pulueris foliorum belladonnae paratam, ſeſqui grani pondere ei dedit. Cuiuslibet vero pilulae deglutitionem inſignis corporis calor, vehementior crebriorque arteriarum, praeſertim in temporali regione ictus, capitis temulentia per duas horas et largus ſudor ſequebantur. Altera pilula vix deglutita, praeter ſudorem, binae deiectiones, virides, cum larga vrinae copia euacuabantur, idque ſequentibus diebus cum continuatione, et quotidiano icteri decremento. Haec itaque decem dierum ſpatio a morbo hoc conualuit. p. 317.

Porro addit Noſter exemplum de vſu belladonnae in ictero, in quo vrinam, profunde croceo colore tinctam, et muci prorſus lutei copiam e nare ſiniſtra effluere obſeruauit, bonumque et hic belladonnae effectum expertus eſt. p. 320.

 Tum

*) v. Medical transactions, Volum. I. Lond. 1768. 8. artic. IV. p. 54. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 198.

p. 322. Tum et vſus eſt Cl. GREDING belladonna in ictero recentiori. Et huic ſeruiit belladonna, etiamſi oculorum hebetudo, vrinae excretionis plenus defectus *) et id genus alia ſymptomata continuationem vſus belladonnae impedirent.

p. 327. 6) *Tractationis de diſtorta ſpina dorſi pars prima: de diſtorſionis differentiis.* Reſpicit b. LVDWIG ad totius ſpinae dorſi vitioſam diſpoſitionem, quoniam tum mutationes reliquarum partium connexarum recte declarari poſſunt. Quapropter agit Noſter primum de contorſione ſpinae in vniuerſum, et huius differentiis bene ordinatis, mutationes figurae et ſitus non ſolum in vertebris, ſed in aliis quoque partibus deſcribit.

p. 333. In decimo anno confirmationis ſpinae dorſi initia conſtituit. Poſt decimum itaque rarius gibberoſitatis correctio locum habere videtur. Diſtorſionis ſpinae differentiae primum cernuntur in curvitate verſus anteriora, λορδῶσι: dein in lateralibus declinationibus σκολιῶσι: et denique verſus poſteriora, κυφῶσι. Quibus definitis, coſtas, ſternum, clauiculas, ſcapulasque iisdem oppoſitas, nec non coxarum et oſſis ſacri curuitates b. Auctor examinat: indeque varios diuerſae aetatis gibberoſitatis gradus a mala conſuetudine pariter, atque ab internis cauſſis, nec non a negotiis, vt in opificibus, pendentes conſiderat: et gibberoſitatem duplicem ſiue eminentiam thoracis, a parte anteriori et poſteriori formatam, cum ſterni obliquitate coniunctam, icone addita, quantum fieri poterat, illuſtrauit. Nos vero, pauca tantum delibabimus.

Curui-

*) confer. Cl. GATAKER, v. comment. noſtr. Vol. VII. p. 720.

Curuitas verſus anteriora rarior eſt et exemplo confirmatur. Haec in rachiticis euenit, qui, ob tumorem infimi ventris, flexum anteriorem ad confinia thoracis et lumborum praeter modum antrorſum eminentem habent. p. 336.

Commemoratur hic exemplum gibberoſi, quem ad decimum quartum annum vſque ſeruauit b. Auctor. Hic puer cubando et ſedendo rachiticum corpus incuruabat, et eo ſitu dolores infimi ventris compeſcebat. Gibbus recta retrorſum, in ima thoracis parte obortus, et tandem ita confirmatus eſt, vt non, niſi manibus, ſuper genua applicatis, incedere poſſet. Poſt decimum aetatis annum abſceſſus ad ſpinam apparebat, quo aperto, ex magna copia puris ichoroſi effluxa, puer commodius incedere potuit, ac omnino melius ſeſe habebat. Non diu poſt nouus iterum abſceſſus formabatur, quo inciſo et contenta materia emiſſa, depuratio et conſolidatio nullum locum habuit; ſed aeger, lectulo inde continuo affixus tabe periit. Dolemus nos reliqua non tangere poſſe per inſtituti noſtri rationem. p. 359.

7) *Monita de aluiductione in conualeſcentibus.* p. 371.
Agitur hic potiſſimum de ſelectu purgantium medicamentorum, conualeſcentibus accommodato, atque monſtrat hic b. Auctor vſum et abuſum purgationum in conualeſcentibus. Largitur Noſter vſum purgantium leniorum in febribus intermittentibus, continuis, ſcabie, affirmatque leniora laxantia non nocere exanthematibus. Reſpicit porro in ſelectu horum remediorum in conualeſcentibus potiſſimum ad vim morbi, debilitatem aegri eiusque appetitum, et canalis inteſtinalis conditionem. Ita ſalia, cum laxitatem augeant, non laxitati inteſtinorum conducere Noſter autumat.

Tertia

Tertia pars haec concernit:

p. 387. 1) *Tractatio de venaeſectione in haemorrhoidariis.* Earum definitione praemiſſa, vt diſtinctio haemorrhoidum a medicis ſtabilita, et a Noſtro paſſim hic commemorata, eo melius diiudicari queat, varia ſymptomata, haemorrhoidariis ſuperuenientia, pertractantur: vt narium haemorrhagia, mictus cruentus, aliaeue ſanguinis euacuationes.

p. 392. Vidit Noſter tumores in haemorrhoidariis, qui ad oui columbini, imo ad gallinacei magnitudinem excreuerunt. Hae appellantur ergo tumentes haemorrhoides ſeu coecae, quas cum variis earundem incommodis hic Noſter primo perſequitur, poſtmodum de fluentibus, venaeſectione dirigendis, diſputat. In coecis non tam ad copiam ſanguinis vrgentis, quam ad ſiccitatem ſcybalorum et inteſtini ipſius, nec non ad cauſſas antecedentes attendendum regrediendumque eſt. Igitur ſiccantia remedia, vt aloetica, quae vero hic omnino nocent, in his ſunt vitanda. Multo potius libera circulatio ſanguinis, vt omnino, ſic in ſyſtemate venae portae eſt curanda, et elaboratio omnium humorum adiuvanda in primis aeque, ac reliquis viis. Atque ita haemorrhoides non raro fugari poſſunt, nec, venaeſectione vernali admiſſa, regredi ſolent.

p. 400. Coecis itaque haemorrhoidibus medendi ratione praemiſſa, venit Noſter ad earundem molimina, quae nullo modo diſſipari queunt et ſubinde moleſtiora redduntur his aegris. Sanguinis euacuatio in loco ipſo affecto hic praefertur venaeſectioni a medicis, qui partim hirudines, partim inciſionem ſuadent, nec raro vtrumque auxilium promiſcue admittunt. Conſtitutio autem venarum haec auxilia dirigit atque definit. Qua occaſione

b. Au-

b. Auctor et de tractatione abſceſſuum ad anum in haemorrhoidariis quaedam proponit.

Non raro fluxum haemorrhoidalem ſponte auctum, grauiſſimos morbos eosque rebelles diſſipaſſe, aliquoties in ſpaſmis veſicae, melancholia et praecipue mania Noſter intellexit. p. 405.

Statae haemorrhoides, quae cum definito catameniorum fluxu in feminis comparari poſſent, nunquam Noſtro obuenerunt. Semper enim aliqua in ordine et temporibus obſeruatur varietas, viridisque inde ſenectus cum haemorrhoidali fluxu nunquam eſt exſpectanda. p. 407.

Menſtruis non rarius antecedunt haemorrhoides, vel ea ſequuntur, quae quoque haereditate continuari videntur aeque in feminis, ac in viris; ſi nimirum in mixtione humorum atrabilaria cauſſa ſpectatur. Magna vero in his medici conuertenda eſt attentio ad abdominalia potiſſimum viſcera, ne, ceſſantibus catameniis, continua reddantur haemorrhoidum incommoda. Venaeſectionis auxilium hic adeo dubium eſt, vt ſaepe in eo ſuadendo Noſter haeſitet, ob plethoram feminarum, potius a debilitate ſolidorum, quam a ſanguinis boni et elaborati copia proficiſcentem. Speciosum enim interdum auxilium affert venaeſectio; attamen tranſitorium, quoniam tenuitas ſanguinis per crebriores venaeſectiones fouetur, accedente inprimis vita ſedentaria, quae plus in feminas cadit, quam exercitata; qua tamen haec incommoda optime tolli poſſunt. Ceterum et venaeſectio hic interdum requiritur, ac potiſſimum quidem, ceſſantibus menſtruis, quo tempore multa inprimis moliuntur, nec non in grauidis, his ipſis haemorrhoidariis incommodis laborantibus. p. 416.

2) *Obſer-*

p. 421. 2) *Obſeruata in ſectione cadaueris feminae, cuius oſſa emollita erant* *). Haec debilis et macilenta, ex arthritide laborans, nec ipſa venerea, nec ab eiusmodi parentibus nata, febre lenta tandem ita correpta eſt, vt e viuis eximeretur quadrageſimo tertio aetatis anno. Cadauer erat ſumme emaciatum, abdomen contractum, thorax incuruatus, gibboſus et ex ſitu aegrae caput verſus pectus erat inclinatum. Cutis ſicca, pura. Pinguedinis loco ſanies. Non multa inuenta ſunt mutata in thorace et abdomine, nec in ligamentis, cartilaginibus, glandulis, et articulis aliquid eſt perſpectum, quod a ſtatu naturali multum recederet. Perioſtei adhaeſio in oſſibus non adeo arcta erat. Externa oſſium ſuperficies ſcabra, quodammodo aſpera, lamellis non adeo arcte cohaerentibus, erat. Femore fracto, cum cadauer verteretur, perioſteum totum erat ſolutum, in reliquis oſſibus perioſtium leuius, quam ſolet, adhaerebat. Ceterum erat perioſtium denſum.

p. 430. Medulla vix congelata, ſed mollis et fere fluida erat, alba et pura in femore, et, quae cellulas oſſeas replebat, grate rubicunda: prope oſſa autem innominata aliaque multis grumis ſanguineis referta deprehendebatur.

p. 439. Singulorum fere oſſium deſcriptione data, et mutatione in mollitie et flexilitate deſcripta, de oſſium ſubſtantia omnino quaedam a Noſtro commemorantur. Ac primum quidem attinet laminarum oſſearum coagmentationem, quatenus os conſtituat. Hae externe ſucco conglutinante deſtitutae erant. Interne in illis oſſibus, vbi cellularis fabrica inter denſas laminas continetur, laminae illae ſ.

parie-

*) Eſt proluſio academica b. LVDWIGII, 1757, Lipſiae 4. propoſita.

parietes, a ſe inuicem remoti, copioſiorem medullam continere videbantur. Praeterea attenuatio in diaphyſibus oſſium non ſolum admiranda erat, ſed etiam poroſa et friabilis eorum ſubſtantia. Inde et oſſa haec, exſiccata ſole, calcaream materiam oſtendebant.

Hanc laeſam oſſium nutritionem non tribuit Noſter cum aliis acidae acrimoniae. Nam ſana medulla deſtillatione prodit acidum, vti Cl. GRÜTZMACHERVS docuit, ex tentaminibus chemicis *), nec ex medulla huius exempli acidum deſtillatione eſt elicitum. Quapropter putat potius eſſe adſcribendam laeſam oſſium nutritionem defectui boni ſucci, indeque deficienti nutritioni. p. 441.

3) *Melancholico-maniacorum et epilepticorum quorundam, in ptochotropheo Waldheimenſi demortuorum, ſectiones tradit* IOANNES ERNESTVS GREDING. *Continuatio II.* **). Traditis in ſuperioribus morborum horum hiſtoriis, ea, quae vidit notatu digniora Cl. GREDING in cadaueribus, quorum diſquiſitionem nunquam diu diſtulit, ſed quam ſubito cum DIONYSIO SCHMIDT, chirurgo, curauit, accurate refert et cum aliorum obſeruationibus confert illuſtratque. Confectaria autem in poſterum communicabit. Agit hic potiſſimum de calua, meningibus et encephalo. p. 449.

4) *Tractatio de diſtorta ſpina dorſi, eiusque pars ſecunda, de cauſſis huius diſtorſionis* ***). Accuratius verſari hac in re exiſtimat b. LVDWIG, ſi primum ad p. 538.

*) v. EIVSD. diſſ. inaug. de medulla oſſium, Lipſiae, 1748. 4.
**) v. ſupra, p. 111.
***) v. ibid. p. 122.

ad imbecillitatem, et poſtea ad deprauatas quasdam conſuetudines in ſitu corporis et membrorum attendat, interdumque ad laeſam oſſium nutritionem reſpiciat. Curat itaque non ſolum hic infantum et puerorum imbecillitatem, quae ex multis diaetae erroribus in victu, potu, motu, regimine calido et id genus aliis inducuntur; ſed etiam adoleſcentum, in quibus diſtorſiones ſpinae ſunt frequentiores. Quod attinet ad peruerſas iſtas conſuetudines, in ſitu corporis minus commodo per varias has aetates admiſſas, e. gr. cubandi, ſedendi, ſtandi, ſeque ad varios progreſſus diſponendi: de his quidem et inprimis de mutationibus ſpinae dorſi diligenter videt.

In parte quarta communicantur haec:

p. 579. 1) *Tractationis de diſtorta ſpina dorſi pars tertia, de remediis huius diſtorſionis* *). Ac primum quidem Noſter hic diſquirit, quomodo imbecillitati ſit ſuccurrendum: poſtea conſilia, quibus deprauata conſuetudo corrigi poſſit, expendit: item de machinis variis ad infirmitatem ſuſtinendam, et deprauatam ſitus conſuetudinem corrigendam inuentis, nec omni omnino vtilitate atque auxilio deſtitutis, quaedam ſubiungit monita.

p. 582. Inprimis magna imbecillitatis correctio cernitur, in victus quantitate et qualitate: nam corpora non ſolum ſunt replenda victu, quo ſine vi elaborationis et mutationis corrumpuntur, et fibrae minimae relaxantur; ſed etiam eo, qui veram vim elaborationis et aſſimilationis admittit. Porro et motus aequalis totius corporis omnium partium in aere libero et puro ad digeſtionem, diſtributionem, appo-

*) v. ſupra, p. 122 et 127.

appoſitionem, et aſſimilationem nutrimenti animalis omnino requiritur. Exercitatio non ſuſcipiatur ieiuno ventriculo, nec ea, niſi digeſtione maximam partem abſoluta, concedatur. Rurſus fiant exercitationes vſque ad initia defatigationis, quae nonnunquam vſque ad initia ſudoris continuandae ſunt. Non minus huc pertinet frictionis et balneorum vſus. Balneorum frigori ſubinde aſſuefaciendi ſunt aegri.

Quo facto, de mutando ſitu peruerſo corporis, p. 595. ex quo obliquitas ſpinae naſci incipit, agitur: ac primum quidem de infantibus, ad tertium vſque annum ducendis: poſtea de cura puerorum vſque ad decimum annum continuanda, additis nonnullis monitis, quae correctionem adoleſcentum, ad vigorem iuuenilem ducendorum, attineant. Hic de faſciis, ſtragulis, modo cubandi, ſedendi, ſtandi, corpora mouendi e. ſ. p. a Noſtro accurate diſputatur, quae Lectoribus commendare quidem, diligentius tamen hic tradere non licet.

Reiecit Noſter omnes thoraces obliquos, ferri p. 605. aliisque durioribus laminis munitos, quibus eleuatae, hinc inde vltra modum dorſi partes comprimebantur: et elegit nouum thoracem ſanae feminae alius, quae cum aegrae habitu et proceritate conueniebat, quem interdiu ferret. Praeterea addit ad ſcapulam eleuatam puluinaria parua, pilis equinis criſpis et elaſticis referta, quae quotidie mutari et eleuari iuſſit. His cautionibus adiunxit matris attentionem, quam oportebat habere interdiu in omnes obliquos aegrae ſitus, et noctu feminae cuſtodiam, quae in aegram diligentius attenderet, eiusque ſomnum, obliquo corporis atque peruerſo ſitu, interrumperet. Fatetur quidem Noſter, in hoc exemplo non omnem ſpinae rectitudinem eſſe reſtitutam; ſcapulae tamen eleuationem prorſus diſparuiſſe, nec, niſi in vertebris lumborum potiſſimum, exi-

exiguam remanſiſſe curuitatem, idoneis veſtimentis ita celandam, vt a paucis animaduerteretur.

p. 611. Quo facto ad machinas et ſimilia auxilia, curuitatem confirmatam corrigentia, Noſter progreditur, quorum vſum exiguum, interdum plane noxium iudicat. Cum collari ferreo triſtem Noſter euentum vidit in puella, quae tali collari inſtructa, de ſcala cadens, tantam vim vertebris ceruicis impreſſerat, vt breui poſt diem ſupremum obiret. Denique thoraces, coxas non nimium comprimentes, ne in partu tanta ſeſe offerant impedimenta, ſuadet virginibus, et topica auxilia, vt vnguenta, emplaſtra emollientia e. ſ. p. friuola et incerta agyrtarum auxilia iudicat.

p. 622. 2) *Melancholico-maniacorum et epilepticorum quorundam, in ptochotropheo Waldheimenſi demortuorum, ſectiones tradit* Lic. IOANNES ERNESTVS GREDING. Continuatio III. *). Hic a Noſtro conſiderantur in externa trunci et extremitatum conſtitutione color corporis alienus, nigredo, maculae puſtulaeque atque oedema; porro obſeruatur de cauitate pectoris, praecipue pulmonum et cordis, deque ſcirrhis mammarum, coſtis, mediaſtino, hydrope pectoris, e. ſ. p. Item de adhaeſione pulmonum ad pleuram, ad pericardium et diaphragma, nec non de ſcirrhis, lapide, vlceribusque hic diſſeritur. Dein pericardii concretio cum corde, illiusque oſſificatio, liquor, eius quantitas et qualitas, varius hydrops, et corruptio exemplis illuſtrantur. Cordis pinguedo, exulceratio, volumen, flacciditas, vacuitas, polypi veri et ſpurii, vt cauſſae maniae e. ſ. p. hic conſiderantur.

3) *Com-*

*) vid. ſupra, p. 111.

3) *Commentatio de iſchuria ex tumoribus veſicae* *). Senex hactenus bene valens, nunquam venerea labe, ne cum ſuſpicione quidem, inquinatus, inter mingendum ſenſit debilitatem, mox ceſſantem; non diu autem poſt iſchuria plena, et ad mortem vſque continua, coepit laborare. Variis fruſtra tentatis remediis externis, perinaeum nec tumores, nec duritiem prodebat, et ſanguine, loco vrinae per catheterem euacuato, absque dolore aegri, veſica vrinaria magis magisque intumeſcebat, febreque putrida apparente cum pulſu debili et ſudore, vrinae odorem ſpargente, quinto morbi die praeterito, aeger e viuis eripiebatur. p. 675.

Hi duo tumores, vti ex icone addita apparet, ita collocati erant, vt minor, nucis auellanae magnitudinem referens, ferme in medio, ſed paululum dextrorſum ad orificium colli veſicae ampliori baſi adhaereret; maior vero nucis iuglandis magnitudinem aequaret, et ſiniſtrorſum magis, baſi etiam nonnihil expanſa, accreſceret. Erant tumores ſteatomatoſi, denſi, inaequales, non prorſus duri, ſed fungoſi, venis varicoſis nunc collapſis cincti. Tumor minor ad oſtium colli veſicae preſſus, impedimentum facile ſuperandum exhibuerat; maior autem totum orificium obturabat, ita, vt preſſio, per catheterem facta, eundem potius pertunderet, quam remoueret. Curationem itaque huius morbi, de qua b. LVDWIG varie diſputat, ſi quae fieri potuiſſet, in ſeparandis tumoribus cerni oportebat: reliqua enim auxilia chirurgica enarrata a Noſtro, nihil hic valuiſſe b. Auctor arbitratur. p. 684.

 4) *Animad-*

*) Eſt proluſio academica 1767 propoſita, nunc paſſim emendata et aucta.

p. 695. 4) *Animaduerſiones de ſcilla.* Eius hiſtoria naturalis, antiquitas, vſus, creſcendi, exſiccandi, corrigendi agendique modus, adiectis praeterea obſeruationibus practicis, vſum iuſtum ſcillae attinentibus, hic leguntur. Radix ſcillae eſt alba et rubra: haec eſt efficacior illa. Exſiccationem Noſter ſuadet, et in puluere recenter contuſam ſcillam anteponit puluèri contuſo et ad vſum, vti ſolent in officinis pharmaceuticis, reſeruato.

p. 703. Principium actiuum ſcillae eſt ſubtile, ſalinum, acre, cauſticum: in vlteriore diſquiſitione volatile, pungens, phlogiſto acidulum, intenſe amarum, gummoſo mucilaginoſum, fixum, valde vrens, etſi nihil ſalis fixi inde producatur. Ad nauſeoſum itaque et ſumme amaricantem ſaporem in praeparationibus pharmaceuticis pariter, atque in monitis therapeuticis Noſter reſpicit. Exhibetur ſcilla optime in puluere ab vno grano ad quinque vſque, addito terreo vel ſale. Ampliſſimae enim ſcilliticae compoſitiones ſcillae vires infringunt. Scillae porro vſui interponendum eſt ſemper remedium aluum ducens, vt materia mota promoueatur. Id quod et in aſthmaticis pituitoſis, et de omnibus bechicis remediis valet.

p. 711. Nodulis purgantibus non lubenter addit ſcillam: turbatur enim atque infringitur hic eius vis; ſed, ea data ſola, nodulum purgantem exhibet.

p. 720. Scillae vſus nullus eſt, niſi adhuc aliquod ſolidorum robur ſuperſit, quo euacuationes ex primis viis, et per viam vrinae poſtea ſuccedant vel iuuentur. Laudatur oxymel ſcilliticum ad gummata ſoluenda: item oxymel ſimplex. Scillae vſus nullus eſt in cachexia, cautus in cacochymia atrabilaria et haemorrhoidariis. Scilla tandem comparata cum colchico, non negat Noſter huic illam ſemper eſſe praeferendam.

5) *Moni-*

5) *Monita de aluiductione poſt ſopitos ventris ſluxus.* Placuit Noſtro hic de diarrhoeis, interdum in lienteriam transeuntibus, quaedam praemittere: item de dyſenteria, in quibus, ſiccitate demum alui accedente, galbanum, myrrha, terebinthina vel balſama alia nobiliora commendantur; oleoſa vero medicamenta a Noſtro reiiciuntur. Nec hic obſunt ſubtiliſſimae bolares et margae nobiles. p. 727.

Verus fluxus hepaticus eſt ille, qui, cum viſceris labes vehemens inducatur, curationem non admittit; ſed tabe tandem finitur. Obtigit vero Cl. Auctori exemplum eiusmodi fluxus, qui, cum mitior eſſet, ſanaretur. Atque eandem felicitatem b. LVDWIG ipſe expertus eſt, in itineribus Africae. p. 738.

Poſtremo venit Noſter et ad alia viſcerum abdominalium vitia, quae fluxum ventris difficilem, et ſaepe hepatico ſimilem efficiunt, vt glandulae pancreaticae vitium, rariores obſtructiones in tenuibus inteſtinis, calloſitates et anguſtiae, ſcirrhoſa, vlceroſa, nonnunquam carcinomatica glandularum corruptio, nec non tumores ſcirrhoſi, in quibus remediorum ſelectum valde difficilem iudicat. p. 746.

XI.

Inledning til Djur-Riket, efter Herr Archiatern och Riddaren CARL VON LINNES, Lärogrunder. Af ANDERS IAHAN RETZIUS, Phil. Mag. Adjunct, och Botanices Demonſtrator vid Lunds Academie. Stockholm, tryckt pa nya Informations-Inrättningens Bekoſtnad. Hos Carl Stolpe, 1772. 8. plagg. 17.

h. e.

Inſtitutiones in regnum animale ſecundum Ill. LINNAEI mentem, ab ANDREA IOANNE RETZIO.

Quod iam pluries in Germania tentatum eſt, etſi inaequali ſucceſſu, tentauit Cl. Auctor in Suecia, rem nimirum naturalem, quoad omnes ſuos terminos, lingua vernacula tradere. Quam feliciter in arduo hoc conſilio, quoad regnum animale, verſatus ſit, demonſtrat teſtimonium grauiſſimum Ill. A LINNE, hiſce inſtitutionibus praefixum. Non tamen diffitemur, nobis ſaltem, aeque difficilem intellectu ſcientiam, quin difficiliorem longe, eiusmodi verſione, qualicunque lingua extra latinam prodeat, videri; nec facile ſpem eſſe, fore, vt cuiusdam hominis placita integrae nationis imitationem obtineant; tanto magis, quum vulgaribus vocibus non noui tantum ſignificatus tribuendi; ſed nouae plane voces neque in lexico, ne ambitus quidem, largiſſimi obuiae, effingendae ſint.

In hoc vero libro Cl. Auctor non ſolum claſſium, ordinum et generum animalium characteres Suecice

Suecice deſcripſit; ſed terminos quoque cuiuslibet claſſis indicis ſerie vertit: qua in re, quoad nonnullas claſſes, ordine vſus eſt ab Ill. A LINNE in diſſertationibus academicis quibusdam vſitato. Laudandus Auctor, quod cuilibet termino Suecico latinum apposuerit, additis ad horum omnium illuſtrationem tabulis neceſſariis.

XII.

Mineralogiſche Abhandlungen von FRIEDRICH AVGVST CARTHEVSER, *Hochfürſtl. Heſſiſchen Bergrath und Profeſſor zu Gieſſen. Gieſſen, bey Iohann Philipp Krieger,* 1771. 8. 194 *Seiten.*

i. e.

Mineralogicae tractationes. Auctore FRIDERICO AVGVSTO CARTHEVSERO.

Quum in maxime varia corporum mineralium natura et indole multa adhuc reperiantur, quae nondum ſatis ſint diſquiſita ac definita: non inutile recte iudicat Cl. Auctor, ſi tentaminibus, obſeruationibus, annotationibusque ſingula corpora a ſtudioſis rerum naturalium illuſtrantur. Quam quidem ob cauſſam etiam hunc libellum conſcripſiſſe Cl. Auctor monet: quem eo magis laudandum cenſemus, quo magis diſtincta, atque experimentis, ſatis probatis, confirmata in eo leguntur. Complectitur is vndecim tractationes, e quibus notatu digniſſima iam breuiter excerpamus.

1) *De ferro ſpatoſo* LINN. Cl. Auctor agit. p. 1. Eſt illud, vti conſtat, coloris albicantis, neque a

magnete attrahitur; ſi vero funditur, non ſolum color eius mutatur, atque ipſum magnetis vi exponitur; verum ſui etiam ponderis multum amittit. Imminutionem hanc ponderis ideo fieri exiſtimat Cl. Auctor, quod materies aquoſa calcinatione abeat; non vero vel ſulphurei, vel arſenicalis aliquid: niſus experimento, quo, cum nitro depurato, fuſoque, ferrum ſpatoſum tritum cochleatim in crucibulo immiſceret, neque flammam vidit, neque odorem ſenſit vel ſulphureum, vel arſenicalem.

p. 9. Acidis ferri ſpatoſi magna fruſta non ſoluuntur; ſed tum demum, cum in puluerem teruntur. Solutionibus his ſi alcali additur, praecipitatur ferrum ſpatoſum ſolutum forma calcis coloratae: vn-
p. 12. de apparet, eſſe illud ſpatum calcarium, particulis ferreis refertum. In eo tamen a vero ſpato calcario differt, quod hoc magis cum acidis ferueat, ſolutumque ilico in gypſum mutetur; ferrum vero
p. 15. ſpatoſum ſolutum maneat. Ineſſe huic ferro ſpatoſo non terram tantum ferri, ſed potius ferrum natiuum, efficitur ex commixtione cum vitriolo, quod cum terra calcarea commiſcetur, atque naſci facit vitriolum martis. Porro ferrum hoc ſpatoſum non ipſum tantum eſt propter puritatem aptiſſimum, ex quo chalybs paretur; ſed alias etiam ferri mineras idoneas reddit, vt fuſione inde eliciatur ferrum, quod in chalybem facile mutetur.
p. 22. Non concedit Cl. Auctor, quod Cl. SCOPOLI affirmat *) acidum aereum, huic minerae coniunctum, eam in maſſam, ſpato fluenti ſimilem, mutare, vel colore fuſco induere: ideo, quod eadem mutatio non fiat in ſpato calcario, neque ipſa haec minera fiat fluor cryſtallinus, cum acidis ſemper ſoluatur.

*) vid. EIVSD. *Einleitung zur Kenntniß und Gebrauch der Foſſilien*, p. 121.

tur. Sed eum in finem aeri exponi hanc mineram affirmat, vt ferrum facilius a petra ſoluatur.

2) *De margaceo ſchiſto, cuprum continente.* Indicata ſchiſtorum cupreorum differentia, margaceos conſiderat, eorumque attributa enarrat, e quibus iis maxime propria ſunt, quod molles ſint atque friabiles, cum acidis ferueant, atque igne facile fundantur: ſicque particulas cupreas mox offerant; ipſi vero fiant ſcoriae vitreae. Porro, quod locum attineat, inueniantur intra calcareos, ac vix quatuor pollicum latitudinem ſuperent. p. 29.

Baſis itaque eorum eſt terrae calcareae magna pars, et terra argillacea, quibus accedit bituminis aliquid, quod odor, quem ſpargunt, ſi commiſceantur cum ſpiritu vitrioli, vel fundantur, comprobare videtur. Deinde continetur in iis cuprum purum: vnde toſtura ante non egent, quam fundantur. Denique refert Cl. Auctor in iis vtplurimum corpora vegetabilia, e. gr. filices, reperiri.

3) *De ſulphureis et arſenicalibus minerarum ferri lapidearum particulis* agit Cl. Auctor, atque *toſtura eos non egere* oſtendit. Negat Cl. Auctor in mineris ferri lapideis vel ſulphur, vel arſenicum contineri: ac ſi quid interdum in iis inueniatur, pendere illud affirmat a particulis pyritae, vel pyritae albi, quae his mineris ſint immixtae; has tamen particulas ad veras ferri mineras non eſſe referendas. Id quod confirmatur experimentis, quibus praeſentia ſulphuris et arſenici generatim demonſtratur: quae, cum euentis caruerint, vnde ſulphur et arſenicum adeſſe pateat, colligitur, nihil eorum ineſſe veris mineris ferri lapideis. Quapropter toſturam iudicat Cl. Auctor ſuperuacaneam: cum ita nihil p. 46.

 damni,

damni, quin imo vtilitatem in parcendis ſumtibus ſequi, exempla oſtendant.

p. 60. 4) Sequitur *de cupro nudo* diſquiſitio, in qua, allata diſtinctione inter cuprum nudum et praecipitatum, de origine eorum diſputatur. Expenſis hypotheſium argumentis, cum alii iis vnam eandemque tribuant originem; alii diuerſam; ſtatuit Cl. Auctor, ſi vel fieri poſſit, vt eadem ſit iis origo, non tamen generatim id affirmandum eſſe; ſed potius probabile, ſulphur ſenſim exhalare, atque ita remanere cuprum nudum. Hanc enim ſententiam et ratione, et ſimili argenti nudi origine probatam iudicat.

p. 73. 5) *De diuiſione minerarum ferri lapidearum* ita agit Cl. Auctor, vt, recenſitis variorum mineralogorum, quibus has mineras diuidant, rationibus, eam diuiſionem optimam cenſeat, quae variam earum reſpiciat matricem. Ita enim et ipſas ſpecies facile diſtingui, et fuſibilitatem earum vel maiorem, vel minorem inde ſtatim colligi. Hinc ſex primarias ſpecies conſtituit: mineras nimirum ferri ſaxoſas, arenaceas, argillaceas, ſpatoſas, calcarias, haematitas et vitreas. Harum ſpecierum omnium externas notas characteriſticas, proprietatesque, atque praecipua, vbi inueniantur, loca, aliasque etiam earum ſubdiuiſiones enarrat. Saxoſas et arenaceas, haematitas, et vitreas mineras difficulter fundi; ex argillacearum vero quibusdam, ſpatoſis, et calcariis facilius ferrum elici aſſerit.

p. 80. Tum, argillaceas coloris eſſe vel rubri, flaui, bruni, vel nigri; nonnunquam terrae calcariae immixtas refert: atque huc eſſe referendam exiſtimat mineram martis piſiformem, plurimasque ex paluſtribus, nec non LINNAEI ferrum talcoſum, cuius

ius fuſibilitatem ab alia, ei immixta parte pendere coniicit. Spatoſas eſſe vel albas, vel flauicantes, vel brunas, vel rubras. Ex iis, propter magnam ferri copiam, quam inde accipias, eſſe notatu dignam eam, quae Dannemorae in Suecia inueniatur, et a LINNAEO dicatur, ferrum calcarium, refractorium nigrans marmoris. Centenarium enim huius minerae pondus, nonaginta libras ferri praebere. Haematiten et mineram martis vitream vnam eſſe ſpeciem poſtremo affirmat, nec, niſi externa forma, differre.

6) Proponuntur *quaedam ad Chryſolithum annotationes.* Diatribes huius ſumma eo redit, vt oſtendatur, duritiem eſſe eam proprietatem, ex qua variae gemmarum ſpecies, ideoque etiam chryſolithus, diſtingui debeant. Quapropter non aſſentitur Cl. CRONSTEDTIO, qui chryſolithum ſpeciem topaſi fecerit *): neque Linnaeanas partes ſumit, cum Ill. LINNAEVS, propter cryſtallorum figuram, illum ad boracem retulerit **). Non enim ſolum cryſtallorum figura minus conſtans a Noſtro habetur; ſed etiam oſtendit cryſtallorum chryſolithi figuram, cum illa boracis, quae eſt rhomboidea, neque octaëdra, non conuenire. Denique etiam affert, gemmas, vel igne colorem proprium mutare, vel illum retinere: atque poſterioris generis eſſe chryſolithum. p. 94.

7) *Signa, quibus gemmae pretioſae a reliquis cryſtallis et lapidibus certe et vere diſcernantur,* exponuntur: p. 107.

*) vid. EIVSDEM *Verſuch einer neuen Mineralogie,* §. 46. 47.

**) vid. EIVS ſyſtem. naturae, Tom. III. edit. nou. p. 94 ſeq. vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 341.

nuntur: eaque ſolum cernuntur in inſigni earum duritie atque ſplendido nitore, quippe quae nulla ars imitari poteſt. Quae enim alias certa habentur, grauitas magna, atque abſentia puſtularum in fundo gemmarum; ea, cum interdum varient, a Cl. Auctore diſquiſitorem ſaepe fallere dicuntur.

p. 117. 8) *De partibus conſtitutiuis nitri, quod dicunt embryonatum.* Etſi STAHLIVS aliique opinati ſunt, eſſe in eo, praeter acidum nitri, ſal ammoniacale, quod, addito alcali, expelleretur; Cl. Auctor tamen huic non ſubſcribit ſententiae, ſed potius experimentis reperit, terram calcariam alcalinam fixam, cum acido nitri ſemper coniunctam. Cum enim combinaret nitrum embryonatum cum aqua: obtinuit lixiuium lutoſum lacteumque, in quo terra calcareae indolis praecipitaretur. Addidit huic lixivio calcem et viuam, et extinctam; neque tamen vrinoſum inde ſenſit odorem, neque, igne adhibi-
p. 124. to, ſal quoddam vrinoſum inde elici potuit. Itaque alcali, quod in nitri paratione vel experimentis additur, non expellit ſal ammoniacale; ſed potius coniungit ſe cum acido nitri, et terram calcariam praecipitat: atque ipſum id, quod in paratione nitri ſemper terra alcalina addatur, Noſtri ſententiam
p. 129. probare videtur. Qui in nitro murario easdem partes, quae in embryonato ſunt, inuenit: atque ideo in hac re diſſentit a Cl. PIETSCH *), qui affirmet, ineſſe ei ſal ammoniacale. Experimentis enim PIETSCHII a Noſtro repetitis; nihil tamen odoris vrinoſi ſenſit. Ceterum exiſtimat Cl. Auctor in aere contineri et acidum nitri, et vitrioli, quae ambo ad generandum nitrum conducant.

*) vid. EIVSDEM Diſſ. ſur la génération du nitre, qui a remporté le prix de l'Academie. à Berlin, 1750. 4.

9) Cum *de gypſo eiusque in fuſione ferri vſu* diſſerat Cl. Auctor, oſtendit, non materias calcareas ſolum ferri mineras reddere fuſibiles; verum etiam gypſum, et vſuale, et alias eius ſpecies idem efficere. Etſi vero fuſio, vel citius, etiam gypſo adiuvatur; teſte tamen Cl. SCHREBERO *), fieri inde conſtat ferrum friabile fragileque. Quod pendere affirmat Cl. Auctor ab acido vitrioli, coniuncto cum phlogiſto carbonum; vnde oriatur ſulphur minerale, cuius ſit vis ferrum fragile reddendi. Quare gypſum non in officinis fuſoriis adhibendum iudicat. p. 141.

10) De *graptolitho dendrite*, eiusque origine ita tractatur a Cl. Auctore, vt, recenſitis diuerſis lapidum generibus, vbi inueniatur, variisque eius et figura, et colore, vel igne conſtante, vel mutabili, indicatis; eosdem plerumque naſci cenſeat, ex materia ferrea, ſalino quodam principio ſoluta: qua in re conſentit cum LINNAEO **). Hanc autem non eſſe vnam, qua naſcuntur dendritae, rationem et CONDAMINEI ***) oſtendunt experimenta, quibus patet, infuſas achati vel vitro ſolutiones argenti, auri cuprique, ſi iis imponantur metalla varia, eosdem dendritas produxiſſe; et ipſius Cl. Auctoris experientia comprobat, cum ortum viderit dendritem, viridis coloris, affuſo ad tritam flauamque cupri mineram ſpiritu ſalis ammonia- p. 153.

*) vid. EIVSDEM *neue Sammlung verſchiedener in die Cameralwiſſenſchaften einſchlagender Abhandlungen;* in tractatione de praeſtantia Suecici ferri, prae Germanico.

**) vid. EIVS ſyſtem. natur. Tom. III. p. 173.

***) vid. Mémoires de l'acad. roy. des ſcienc. de Paris, Amſtel. 1731. p. 655 ſeq.

moniaci, cum calce viua parato. Sub finem ſubiungit opinionem Cl. ZIMMERMANNII *), qui eos ortos putat poſt fateſcentiam in aere lapidum: quam ſententiam ita in quibusdam aſſumi poſſe concedit Cl. Auctor, vt, fateſcentia lapidum facta, ferri ſolutio ſe in eos facilius inſinuet, atque colores dendritorum producat; generatim vero non poſſe affirmari, id quod praeter alios doceat ſilicis chalcedonii LINN. dendrita, vbi lapis ſit duriſſimus.

p. 172. 11) Expoſitis variis *de origine ſuccini* ſententiis, eam maxime probabilem exiſtimat, qua illud dicitur corpus minerale, et quidem bitumen. Idque maxime ideo, quod olei eius natura ſit ea, quae nullis vegetabilibus oleis ſit communis. Si enim ſolum eſt, non ſoluitur in ſpiritu vini, atque, ſi coniungitur cum ſpiritu nitri fumante, naſcitur reſina, moſchum redolens: quae quidem attributa in olea vegetabilia non cadunt.

*) vid. HENKELS *kleine mineralogiſche und chymiſche Schriften*, in notis ZIMMERMANNI, p. 362.

XIII. Mé-

XIII.

Méthode pour recueillir les grains dans les années pluvieuſes, et les empêcher de germer. Par Mr. DUCARNE DE BLANGY, à Paris, 1771, chez P. Fr. Gueſſier, avec figures, 8. 43 pagg.

i. e.

Methodus colligendi frumenta in annis pluvioſis et eorum germinationem prohibendi, Auctore Cl. DUCARNE DE BLANGY.

Cl. Auctor hic exhibet libellum, dialogice conſcriptum, paruum quidem mole, propter vſum tamen, quem refert, non contemnendum. Non raro nimiarum pluuiarum iniuria maxima frumentorum copia ita perditur, vt noua germina, invitis agricolis, proueniant; ad haec vero auertenda Noſter methodum quandam enarrat, cuius ratio haec eſt.

Frumenta in campo illo, vbi reſecta ſunt, et quidem ſtatim poſt ſectionem ſupra terram ſternuntur hac ratione, vt exacte figuram molae piſtrinariae (*la moie*) referant, quarum quaeque quinquaginta aut ſexaginta manipulos contineat: ſic efficitur altitudo ſex ſiue ſeptem pedum. Ad exſtruendas vero tales molas ſuadet, vt pro vnaquaque locus ſiccus et paullulum elatior ſeligatur et manipuli ita apponantur, ad centrum omnes ſpicae vt conſpirent. Etenim ſpicae, dum maiorem culmis molem referunt, centrum eleuatius reddunt et pluuiae ſic commode deſtillare poſſunt. p. 10.

Impoſito

p. 31. Impoſito hoc modo vno manipulo ſuper alterum, exſurgit aceruus ſupra dictae altitudinis; probe tamen cauendum eſſe iubet Cl. Auctor, ne vllum ſpatium vacuum remaneat et ſic pluuiis aditus liber concedatur. Cacumen molae tegitur manipulo transuerſim impoſito, qui ligamentis ex ſtramine confectis, propter ventorum iniquitatem, molae affligitur. Haec omnia Auctor, vt eo melius pateſcant, ſat aptis figuris illuſtrauit.

XIV.

Moyen ſûr et facile pour détruire les taupes dans les prairies, et dans les jardins, à Paris 1770, 8. chez Gueffier, avec figures, pag. 43.

i. e.

Remedium certum, quo facile exſtirpentur talpae in pratis et hortis.

Inter peſſima animalia, quae hortorum et pratorum decus deſtruunt, omnino referri merentur talpae; ſiquidem illa amoena loca interdum ita devaſtentur ab illis, vt maximae exinde ruricolis proveniant noxae. Cl. Auctor, multis iam ante eum minus feliciter tentatis, hoc libello paruulo machinam quandam deſcribit huiuscemodi fere ſtructurae. Tabulam ligneam longitudine quinque, latitudine vero duorum, et quod excurrit, pollicum, perforant ſeptem foramina, quorum primum in medio, quatuor in angulis et duo reliqua haud procul ab illis angularibus dextri lateris; quae quidem orificia angularia dextri lateris, baſes duorum bacillorum ligneorum recipiunt, qui dein in forma ar-

cus

cus ad orificia lateris ſiniſtri inflectuntur, excurrentibus ſimul cum his duobus filis, ita, vt vnum eundemque arcum forment. Ex orificiis egreſſa fila, decem vel duodecim pollices longa, in nodum colliguntur, qui per foramen medium ductus, cono quodam, leuiter intruſo, firmatur. Huic filo aliud, quinque vel ſex pollicum, affigitur et vnco cuidam ligneo, terrae immiſſo, annectitur.

Porro quatuor vnci lignei, prope angulos tabulae, terrae immiſſi, apicibus incuruatis tabulam firmant; leuiter tamen illam attingere debent, et hoc quidem hanc ob cauſſam, ne tabula, vi elaſtica bacilli, qui ſemper ſuperiora verſus nititur, reſultet.

Denique duae tabulae vnius eiusdemque magnitudinis, in ſitu verticali poſitae, impedientes, quo minus terra in muſcipulam, inprimis intra arcus intret. His omnibus abſolutis, Noſter vſum huius inuenti deſcribit, qui vero ex delineatione, modo data, vltro patebit. Poſtremo modum detegendi vias talpae ſubterraneas agricolas docet.

XV.

IGNATII GODEFRIDI KAIM, Auſtriaci Styrenſis, diſſertatio inauguralis chemica, de metallis dubiis. Viennae, literis Schulzianis, 1770. 8. pagg. 59.

Intelligit Cl. Auctor per metalla dubia ea, quae a quibusdam mineralogis ad metalla; ab aliis contra ad alios corporum naturalium ordines referuntur: quae ſunt, arſenicum, cobaltum, niccolum, magneſia vitrariorum, ſpuma lupi et ferri, et plumbago. Operae igitur pretium fore putauit, ſi de his ageret, atque in eorum naturam curatius inquireret: quod, quam felici cum ſucceſſu perfecerit, ii intelligent, qui et argumenta, ratione firmata, et experimenta, naturae cuiusque corporis conuenientia, diligenter perpenderint. Quare, vt lectores quodam modo aſſenſus noſtri veritatem intelligant, en! pauca, pro inſtituti ratione, afferamus.

p. 8. De arſenico primum caput agit; quod quidem WALLERIVS, atque alii, ad metallum; ad ſulphura LINNAEVS; LEHMANNVS vero ad ſalia retulerunt. Cl. Auctor autem, cum et ad caracterem metalli, quem in terra vitreſcibili ponit, et ad arſenici attributa, et ad eius diuerſitatem reſpiciat, his non omnino adſentitur. Arſenicum conſtare dicit materie, ſumme volatili, dulci ſapore, et odore terribili praedita, quae non acidis ſolum, ſed aqua ipſa ſoluatur.

Hanc materiem vero ita differre notum eſt, vt occurrat vel in lamellis ſplendoris argentei, tumque dicatur arſenicum album; vel reguli forma, vnde

vnde ſit regulinum appellandum. Album arſenicum ſal eſſe acidum experimentis comprobatur; quod tamen materiis peregrinis ſit commixtum: hinc refutatur Cl. IVSTI, qui arſenicum dixerit mercurium ſublimatum corroſiuum, atque oſtendere annititur Cl. Auctor, ea ſibi eſſe plane diſſimilia. Arſenicum vero regulinum verum ſulphuris genus eſſe exinde patere dicit, quod illud concreuerit ex arſenico et phlogiſto; ac ſola tantum acidi ſpecie a vulgari ſulphure diſtinguendum exiſtimat.

In capite ſecundo cobaltum contemplatur Cl. Auctor. Primum Cl. BRANDTII *) induſtria cobaltum eſt a wiſmutho diſtinctum, cuius merita Noſter laudat, atque ſigna, quibus ab illo deſignetur, enumerat; Ipſe vero in diſquirenda eius natura ad tria attendit: 1) ad vitrum coeruleum et atramentum ſympatheticum, quod inde producatur: quod, cum ſtatim et calcinatione, et via humida, per acida mineralia **), et hepate ſulphuris, cum minera cobalti fuſo, inde obtineatur, aliisque etiam metallis adhaereat, ad regulinam cobalti ſubſtantiam pertinere negat; 2) ad regulum cobalti, illumque cum vulgari ferro, quoad principia convenire oſtendit, neque eſſe niſi regulum ferri arſenicatum, inde perſuaſum habet, quod, quem auripigmento, cum ferro coniuncto, parauerat, regulus easdem omnes notas habeat, quae regulus cobalti. Vtriusque enim huius reguli crocus niger eſt, vterque a magnete non attrahitur, vterque, ſi cum acido nitri miſcetur, colore flauo virideſcente tingitur: vt alia taceamus, quae idem comprobent. p. 17.

 3) De-

*) vid. Act. Suec. Vol. IV. p. 4.

**) vid. LEHMANNI *cadmiologie*, part. I. p. 81. et in libro, cui titulus: *Probierkunſt*, p. 314.

3) Denique explicat Cl. Auctor, cur cobaltum a mineris, et praecipue, cur ab ipſo ferro ſeparari poſſit. Inde nimirum deriuandum, quod eae cobalti ſpecies, vbi ſeparetur ferrum, arſenico non ſint ſaturatae; aut arſenicum ex iis ſit eductum, quod vel arte fieri poſſit, cum ſolutioni reguli cobaltini iniicitur fruſtulum zinci, quod, arſenico coniunctum, reddit ex cobalto poſt fuſionem malleabile attractorium ferrum *).

p. 24. In capite tertio niccoli natura perquiritur. Etſi vero illud iam Cl. CRONSTAEDT ab aliis metallis, praeſertim a cupro, nouem proprietatibus **), diuerſum eſſe monuit; Noſter tamen, quae his adderet, reperit. Ideoque miratur, cur LINNAEVS illud ſpeciem cupri fecerit, atque vehementer reprehendit Cl. IVSTI, qui hoc ſemimetallum in dubium vocauerit. Ipſe itaque Cl. Auctor niccolum denuo diſquiſiuit, atque cum Schneeberga Saxonica acceperit mineram niccoli, quae ibi nomine cobalti tinctorii veniat, puriorem, quam quidem CRONSTAEDTII fuerit, vlteriora cum eo inſtituit experimenta.

Fuit illa minera lapis coeruleſcens, inquinans, non tantum viridi colore hinc inde efflorescens, ſed ſpati etiam viridis nonnihil inter particulas ſuas metallicas intertextum habens. Cum ea itaque CRONSTAEDTII experimenta reiterauit omniaque ei ſucceſſerunt, praeter, quod commixtione ſpiritus ſalis ammoniaci tincturam coeruleam nunquam, ſed ſemper viridem vidit. Ideoque ſuſpicatur Cl. Auctor, fuiſſe in minera CRONSTAEDTII cupri aliquid adiunctum; quod confirmatum habuit, cum adde-

*) cf. LEHMANNI cadmiologia cit. P. II. p. 31.

**) vid. Anonymi mineralogia, p. 229.

adderet minerae huic limaturae cupri partem, atque tum vidit colorem coeruleum naſci.

Hinc cupri et niccoli differentiam patere putat Cl. Auctor, quam etiam confirmat liquore probatorio, ex coerulei Berolinenſis, magiſtraliter, vt ait, parati, pigmento, ac lixiuio ſalis alcalini fixi facto. Hic liquor niccolum flauo viridi colore deiiciebat; ſi vero cuprum adiungeretur, ſedimenti color ruber conſpiciebatur. Denique etiam, cum adiungeret arſenico limaturam cupri, et coniiceret, inde forte enaſci regulum niccoli: metallum quidem album, ſubrubrum, propemodum inſtar niccoli, obtinuit; tentamina tamen reliqua oſtenderunt, ſatis diverſum hunc regulum eſſe a niccoli regulo. Quapropter colligit, eſſe aut docendum, in quo arctum illud vinculum conſiſtat, quod partes conſtituentes tam firmiter connectat, aut metallum pro nouo genere ſuſcipiendum. p. 45.

Quod ſequitur caput quartum de magneſia vitrariorum et reliquis agit. Magneſiam hanc, quae a LINNAEO dicitur *molybdaenum magneſia*, cum a nemine hactenus fere ſit curate examinata, Cl. Auctor chemice diſquiſiuit. Sumſit nimirum magneſiae, in puluerem tritae, partem vnam, fluoris nigri optimi partes duas; eaque mixta, igne, ſucceſſive aucto, fudit: quibus fuſis, obtinuit regulum, ex albo coeruleſcentem, fragilem, qui diffractus ſuperficiem exhibuit, compoſitam ex innumeris planis, varie poſitis, nitidisque, quae, ſi oblique inſpicerentur, coloris ſubflaui eſſent; ita tamen, vt inter ſingula plana ſpatiolum interiectum eſſet coeruleum, aſperum, ſplendore carens: adeoque, vt haec ſuperficies appareret inſtar cryſtallorum metallicarum, minerae ſubcoeruleae immerſarum. p. 48.

 Praeter-

p. 50. Praeterea metallum hoc acido nullo ſolo, nec concentrato, nec diluto, attingebatur; ſi vero acida diuerſa, inaequali proportione mixta, v. c. acidum nitri et vitrioli, adhiberentur, metallum ab iis ſolui efferueſcentia, quae mox oritur, docebat. Solutiones hae aqua non turbantur: lixiuio probatorio praecipitatur ſedimentum viride; lixiuio arſenicali pallidum, ſubrubrum; quae tamen vtraque paullo ſunt diuerſa, pro menſtrui diuerſitate. Negat igitur Cl. Auctor ineſſe huic magneſiae ferrum; quin potius affirmat, mereri eam noui ſemimetalli nomen, donec vel dictae proprietates ab ea ſeparentur, vel aliis metallis easdem tribui poſſe efficiatur. Coniicit etiam, plures eſſe huius metalli ſpecies, inde tantum incognitas, quod facilius vitrificentur, quam aſſumant formam regulinam. Monet itaque, vt cogitent chemici de adminiculo, quod vitrificationem impediat, fluxum metallicum iuuet et phlogiſton copioſe offerat: quo metallum hoc largiter ad vſus oeconomicos obtineatur.

p. 54. Spumam lupi et ferri huic ſubiungit Cl. Auctor, easque, etſi a plurimis ad ferrum referantur, non ad illud pertinere docet, ſed eorum regulum ad magneſiae regulum proxime accedere.

p. 55. Vltimo plumbago conſideratur, quae, propter ſingularem ſpecificam leuitatem, definitu ſit difficillima. Fundi quidem eam dicit Cl. Auctor, ſed, ob leuitatem non deſcendere, quo regulus gignatur. Quamuis enim Noſter illud coniungeret cum aequalibus partibus cupri et fluxus nigri; non tamen quidquam obtinuit, praeter cuprum, ſuperficie externa aurea obductum. Nihilominus tamen plumbaginem metallum iudicat, cum metalli natura in grauitate ſola non ſit ponenda. Quatuor etiam eius ſpecies conſtituit: plumbaginem (*Waſſerbley*)

ſqua-

ſquamulis exiguis; pſeudogalenam (*Eiſenthon*), magnis; mineram arſenicalem (*Miſspickel*), granulatis; et micam auream (*Katzengold*), viridibus nigricantibus praeditas: cuius poſterioris ſquamae poſtquam calore ſeceſſerint, auricolores ſubſequantur lamellae. Harum ſpecierum cognita et a POTTIO *), LINNAEO **), et IVSTI ***) indicata attributa ſubiungit.

XVI.

Tal om Peſton, och om deſſ uteſtängande ifraen et Land, haellet för Kongl. Vetenſkaps Academien, vid Praeſidii nedläggande den 6, Maji 1772, af NILS ROSÉN VON ROSENSTEIN, Archiater, Riddare af Nordſtjerne-Orden. Stockholm, tryckt hos Dir. Lars Salvius, 1772. 8. pggr. 24.

i. e.

Sermo de peſte, et de ratione eandem a regione arcendi, habitus coram academia reg. ſcient. quum praeſidis munere decederet, ab NICOLAO ROSÉN A ROSENSTEIN.

Anſam ſine dubio ſcriptioni huic dedit periculum, in quo anno 1771, et initio ſequentis Suecia verſata eſt, ne commercio cum Ruſſia a peſte inficeretur. Recepta eiusdem argumenti tum data a collegio medico et a profeſſore Abaenſi, Cl.

*) vid. Miſcell. Berol. Tom. IV.

**) vid. EIVS ſyſt. naturae, T. III. p. 121.

***) vid. EIVS *chymiſche Schriften*, T. I. p. 382.

HAARTMAN. Acceſſit dein praeſidis Ill. A ROSENSTEIN commentatio.

p. 4. Multa in eadem continentur, quae tam ad hiſtoriam peſtis, olim in Suecia graſſatae, quam eius, quae alias regiones ſubinde afflixit, pertinent. Et ex hiſce continuam funeſti huius morbi deſcriptionem Cl. Auctor concinnauit. Regularum autem ſubſtratarum, quibus praemuniatur contra peſtem regio, ea natura eſt, vt vbiuis in vſum verti queant.

p. 5. Dum a. 1710 Holmiae vim ſuam exſereret, perierunt homines 40000, Carolicoronae autem 16000. Plures contra vulgarem opinionem ruri, quam in vrbibus ea moriuntur. Dicta Holmenſis peſtis cum transfugis ex Liuonia in vrbem translata fuit, ex qua per nundinas vlterius diſperſa.

p. 6. Signa, ex quibus praeuideri poteſt, an regno cuidam peſtis immineat, incerta pronunciantur. Suſpicionem magnam excitat iam irrepſiſſe, ſi multi inter easdem aedes ſubito morbo correpti fuerint: plures inde perierint, et quidem plerique ante finem diei quarti, alii quoque, qui aegros adierint, infecti. Sed haec et in febre petechiali grauiori locum habere poſſunt. Augetur vero ſuſpicio, ſi percipitur, peſtem propiorem finibus noſtris fuiſſe vel adhuc eſſe, commercium cum vicinis non impeditum, merces cuiusmodi intra fines translatas, quibus contagium adhaerere ſolet, vel multos claſſicorum in naue per iter periiſſe, eandemque a loco infecto veniſſe. Si ſimul autem aegrotantes de lancinante ſenſu, in inguinibus, ſub axillis vel auribus percepto, queruntur: vel in hiſce locis durities quaedam vel intumeſcentia naſcitur: tum morbus pro peſte omnino habendus eſt. Bubones et carbunculi

culi non tanquam ſigna diagnoſtica conſiderari poſſunt, quum plurimi aegri vita decedant, antequam haec ſe manifeſtent.

Recidiuam peſtis non quidem in eadem epidemia, nec apud ſenes locum habere; reliquos autem contra eandem non ſatis tutos Ill. Auctor arbitratur. p. 9.

Exemplum recenſet miaſmatis, per plures annos latentis, caſu autem iterum ſeſe diſpergentis. p. 10.

Aere non propagatur peſtis, niſi atmoſphaera aegri alium alluat; quod tamen non ſemper fieri, oſtendit narratione viri cuiusdam, qui, licet a. 1720. Marſiliae peſte laboraret, non tamen Cl. CHICOINEAU, qui aliquoties lecto eius inſedit, infecit. Succeſſit Cl. ROBERGII, profeſſoris olim Vpſalienſis conſilium, Vpſaliae a. 1710. ad compeſcendam peſtis propagationem datum, vt in rus ſeſe transferrent, vel aedibus ſuis ſeſe includerent. p. 11.

Paucis iam complectemur praecepta, a Cl. Auctore ſubminiſtrata. Quae ad excubias attinent ſecundum lineas (*cordon*) inſtituendas, ob praeſtantiſſimum earum vſum monet, ne expenſarum cauſſa ab hiſce Princeps abſtineat. Dein aedes pro aegris et mercibus per aliquod tempus ſeruandis requirit, determinatque commodiſſima loca, quibus exſtruantur. p. 13.

Probe praeterea explorandae ſunt merces in hominibus capite damnatis, canibus in ſubſidium captis. Tempus, quo ſecludantur homines (*quarantaine,*) poſſet ad 15 vel 20 dies reſtringi; nam experientia conſtitit, venenum non vltra 7 dies delituiſſe. Initio quoque morbus acidis et ſudoriferis facile vinci poteſt. Quin tantum ſibi tribuit medicus quidem Suecus, experientiae haud vulgaris, A BLOCK, Norcopiae ſub peſte a. 1710 degens, vt noſocomio ibidem exſtructo, pro cuiusuis aegri, p. 16.

 opem

opem ſuam inter primas 6 horas explorantis, morte decem imperiales polliceretur, ſi modo ciues vrbis pro quolibet homine perfecte a ſe ſanato quinque imperiales ſoluere haud detrectarent. Probat quoque Cl. CHENOT conſilia, ab iis vſurpanda, de quibus metus infectionis eſt.

p. 17. Quodſi vero iam irrepſerit peſtis intra regionem vel vrbem, ſemper initium capit intra pagum vel domum; et ſiſti tum poteſt vlterior propagatio, modo tollatur omne commercium, mortui cum veſtibus rel. humentur noctu, domus ipſa ſulphure fumigetur et aere perfletur, et omnia aceto lauentur. Optimum tum eſt, ſi in vrbe iam appareat, in rus ſeſe conferre, et ibidem tamdiu remanere, vsque dum peſtis omnino perierit. Sed id initio modo locum habet.

p. 20. Iis vero, quorum praeſentia in vrbe carere non poſſumus, vt magiſtratibus, diuini verbi miniſtris, medicis, piſtoribus rel. in iunctum eſto reſtitare in vrbe. Ne hi vero temere vitam ſuam morbo exponant, oportet eos et conclauis, et proprii corporis munditiei indulgere, curare, vt aer ſemper purus ſit et in continuo motu, inſpergere pauimento et veſtibus tantillum aceti, vitare, quantum licet, commercium cum aegris, et ſi inire id debent, non ante ientaculum ſumtum, nec ſub iactura virium. Commendat Cl. Auctor eo fine medicis pauxillum panis, cui butyrum illitum, et ruta impoſita, vel panem bis coctum, aceto vini intinctum. Inter haec ingerentur roſae conditae, aurantia condita et tantillum macis. Sponte patet, abſtinendum cibo potuque in aegri conclaui; nec domi aliquid ingeri debet, antequam os pauxillo aceti collutum fuerit, cui fini inprimis acetum, (*vinaigre des quatre voleurs*) inſeruit. Nec deglutiri debet ſaliua; et ſi aeger

aeger conueniendus eſt, non nimis prope ſanus ad eum accedat, nec faciem illi admoueat. Retinendus vero ſpiritus, ſi cominus eum inueſtigare opus eſt, et mox poſtea acetum olfaciendum eſt. Cauendum eſt a conuentibus cuiuscunque generis.

De reliquo diaetae praecepta negligi non debent, et praecipue ab exceſſu cibi potusque cauendum. Omnibus vero lardum, caro ſuilla, anguillae, caro ſalita et fumo indurata, vti et ſpiritus vini vitanda; conuenientiſſima ſunt iuſcula ex frumento pinſato (*Grütze*) acidulata. Omnis exercitatio nimia corporis fugienda, omnesque animi commotiones fortiores harumque cauſſae. p. 27.

XVII.

Noua phyſico-medica.

Mortuo bono noſtro LVDWIG *), Facultas Medica *Lipſienſis* ita eſt mutata.

D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ, Ordinis medici Decanus perpetuus, therapiae Profeſſor publicus ordinarius, Academiae Decemuir, collegii maiorum Principum Collega, nationis Saxonicae Senior, Academiae imperialis naturae curioſorum Sodalis.

D. IOANNES CHRISTOPHORVS POHLIVS, Facultatis medicae Senior, pathologiae Profeſſor publicus ordinarius, Academiae Decemuir, Collegii beatae Mariae Virginis Senior, et collegii maioris Principum collega, Phyſicus prouincialis, et Academiae imperialis naturae curioſorum Sodalis.

D. ERNE-

*) vid. paullo infra.

D. ERNESTVS GOTTLOB BOSE, anatomiae et chirurgiae Profeſſor publicus ordinarius, Facultatis Medicae Aſſeſſor, et apud Lipſicos Poliater.

D. CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE, anatomiae et chirurgiae Profeſſor publicus extraordinarius, Facultatis Medicae Aſſeſſor, collegii minoris Principum Collega.

D. IOANNES CAROLVS GEHLER, phyſiologiae Profeſſor publicus ordinarius, collegii maiorum Principum Collega, apud Lipſienſes medicus obſtetricius et ſocietatis oeconomicae Lipſienſis Sodalis.

D. CHRISTIANVS FRIDERICVS KADELBACH, Facultatis Medicae Aſſeſſor, et Societatis oeconomicae Lipſienſis Sodalis.

D. IOANNES GOTTLOB HAASE, Facultatis Medicae Aſſeſſor.

Academia Regia chirurgorum *Pariſina* quaeſtionem, de influxu rerum nonnaturalium in operationes chirurgicas *) nondum iuſte ſolutam, ad annum 1775 cum duplici praemio, monetae ſcilicet aureae quingentarum librarum Gallicarum diſtulit. Reliquae leges, quas obſeruare oportet eos, quibus hanc in rem inquirere placebit, aliquoties non multum ante **) a nobis ſunt traditae.

Praemium aemulationis *ibidem*, quod conſtat ducentis libris Gallicis Cl. BAIOU deportauit. Quinque minora praemia Cll. AUBRAI, RAYMONDOU, DIDELOT, PIETSCH et MESTIVIER acceperunt. Quatuor vero monetae aureae, ſingula centum librarum Gallicarum, a Cl. HOUSTET deſtinatae quatuor ſtudioſis, CAZAMAIOU

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 150.
**) vid. ib. Vol. XV. p. 355.

MAIOU nempe, GROFFIER, DEFFOUX, et BOBOT: item quatuor argenteae monetae, vt *l'acceſſit* ab EODEM fundatore, LASSAUZE'E, CHOVIN, MAURENE et GAIGNARD, dignis, qui coronarentur, ſunt tributae.

Porro relatum legimus, *Eandem* theſin *de aethiopum cura* cum viris eruditis communicaſſe, eandemque ipſam elaboratam exſpectare anno 1778. Eo autem eſt reſpiciendum iis, qui hanc in rem inquirere conſtituant, vt declarent, *primo*, quo optimo modo aethiopes in nauibus, quibus transuehantur, ad iuſtam eorum integritatem et ſanitatem ponendi ſint: *ſecundo*, quae optima ſit cura et diaetae ordo ad ſanitatem eorum in nauibus conſeruandam; *tertio*, quae diligentia in eo obſeruanda ſit, vt nonniſi periti et exercitati chirurgi in iisdem nauibus adhibeantur.

Academia ſcientiarum, elegantiorum literarum et artium *Rothomagienſis* ad annum 1775 praemium ei tribuet, qui quaeſtionem hanc optime ſoluturus elaboraturusue ſit: *Quaenam eſt optima methodus, acus magneticas fabricandi, easque ſuſpendendi, ita, vt certi ſimus, eas in vero meridie magnetico poſitas eſſe, vt denique variationum earum diurnarum regularium reddamus rationem?* (*Quelle eſt la meilleure maniere de fabriquer les aiguilles aimantées, de les ſurprendre, de s'aſſurer, qu'elles ſont dans le vrai meridien magnetique, enfin de rendre raiſon de leurs variations diurnes régulieres?*)

Omnes vel etiam ſocii Academiae extranei hoc praemium ambiant. Elaborationes Gallica vel Latina lingua, vel quacunque Auctor velit, exaratae communicentur. Reliqua vide ſupra *).

Quae-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 716.

Quaeſtionum Regiae Academiae ſcientiarum artiumque bonarum *Mantuanae*, anno 1774 ſoluendarum, eas ex claſſe mathematica atque phyſica, quippe quae ad finem noſtrum magis ſpectare videantur, hic commemorare iuuat. Ac prima quidem ita ſeſe habet: *conduceretne aggeres aquarum Mantuanarum emendare et quomodo? vel nouos iis ſubſtituere et quanam forma, vt ſalubritate aeris inde, libertati interiori nauigationis et ſecuritati vrbis proſpiceretur?* cet. (*Seroit-il à propos de rétablir et comment la digue des eaux de Mantoue, ou d'en éléver une nouvelle et ſous quelle forme, en conſervant la ſalubrité de l'air, la liberté interieure de la navigation, la ſureté de la ville*, cet.)

Porro, *quinam ſunt morbi et vrbi, et viciniae campeſtri Mantuanae ſolemniores, quaenam eorum cauſſa et optima prophylaxis?* (*Quelles ſont les maladies les plus communes dans la ville et dans la campagne de Mantoue; quelles en ſont les cauſſes et quelles ſeroient les moyens de s'en préſerver?*)

Praemium erit duplex. Praeterea hic legibus huius academiae enarrandis non immorabimur, cum facile ex ſuperioribus poſſint repeti *).

Regia ſcientiarum ſocietas *Monſpelienſis*, cuius originem, conſtitutionem et hiſtoriam dedimus alio loco **), tres potiſſimum propoſuit theſes, a nobis indicandas. Quarum prima eſt: *determinentur varii modi vel gradus ſpirituoſitatis aquae vitae vel ſpirituum vini per modum ſimplicem, et qui commercio reſpondeat.* (*Déterminer les differens titres ou degrés de ſpirituoſité des eaux de vie, ou eſprits de vin par un moyen ſimple et applicable au commerce.*)

Altera

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 154.
**) vid. ib. Vol. XV. p. 196.

Altera eſt haec: *quinam praecipui characteres terrarum in genere, et quae media, quibus vitia eorum poſſint emendari, quae producendis cerealibus parum ſunt aptae.* (*Quels ſont charactères principaux des terres en général, et les moyens de rémédier aux défauts de celles, qui ſont peu propres à la production des grains?*)

Tertia ita ſe habet: *Quinam meteororum influxus in vegetationem, et quaenam conſectaria practica, quae ad haec ſpectant, profluunt, ex obſeruationibus meteorologicis variis hactenus inſtitutis?* (*Quelle eſt l'influence des météores ſur la végétation, et quelle conſequence prâtique peut on tirer rélativement à cet objèt, des differentes obſervations météorologiques faites jusqu'ici?*)

Praemium duarum priorum quaeſtionum, ſingulae ſexcentarum librarum Gallicarum eſt, tertiae praemium conſtat centum aureis. Commentaria ſub conditionibus conſuetis ante 1 octobris diem 1774 tradenda ſunt Cl. DE RATTE, qui ſocietati perpetuo ab epiſtolis eſt.

Collegium medicorum *Lugdunenſe* Gallicum praemium monetae aureae ſeptuaginta duarum librarum, et argenteae ducentarum viginti et octo librarum menſe auguſto 1774 his deſtinatum eſt quaeſtionibus, ex voto collegii elaborandis: *Quaenam variae ſunt ſpecies herpetis; quaenam earum variae origines; quinam modi earum diſtinguendarum; quinam morbi interni, ex quibus haec vitia herpetica profluant; quibusnam ſymptomatis eae poſſunt recognoſci; quomodo haec diuerſa initia in vario ſuo ſtatu poſſunt caueri?* (*Quelles ſont les differentes eſpeces de dartres; quels en ſont les différens principes; quels ſont les moyens de les diſtinguer; quels ſont les maladies internes, que les vices dartreux produiſent; à quels ſymptômes*

tômes peut-on les réconnoître; comment peut on combattre ces différens principes dans leurs différens étâts?)

pulſus et praxi ſolam ſufficere iudicat, Cl. Auctor quibusdam obſeruationibus illuſtrat; ac primo quidem diuerſam eam pro varia aetate determinat, deinde ſigna, quae ea praebeat, affert. Pulſat infantis neonati arteria tempore vnius minuti primi centies trigeſies vel quadragies, ſenſimque imminuitur eius celeritas, donec duodecimo anno numerus pulſuum eodem tempore ſit ſeptuageſimus, atque ita fere conueniat cum numero adulti hominis, quem ad octuageſimum accedere cognitum ſit.

Si iam pulſus infantis ſit pulſibus viginti tardior, quam numerus naturalis primus (130), cerebrum affectum indicatur. In febre inflammatoria ſi pulſus adultorum vno minuto primo centeſimum numerum ſuperat, periclitantur aegri; niſi abſceſſu morbus mutetur, vel adſint rheumatiſmi acuti. Celeritate cito imminuta, reliquis ſignis malis, morbum cerebrum petiiſſe apparet. Itaque, quamuis in morbis plerisque celeritas eſt ſignum certum periculi: non tamen medicis licet ſecuris eſſe in pulſu vel naturali ſimili, vel tardiore, praeſentibus aliis grauibus ſymptomatis. Si pulſuum numerus quadrageſimo ſit minor vnius minuti primi tempore; non omnes eius ictus ſentiri coniicit Noſter, cum debilitas pulſus ſemper ſit adiuncta. Pulſum intermittentem, ſine aliis grauibus ſymptomatis, immerito malum ſignum haberi iudicat, idque exemplis confirmat, et mulieris, quae pulſu intermittente per vitam praedita, cancroque vteri tandem mortua, nulla laeſionis internae ſigna obtulit; et aliorum, quibus regularis pulſus fuerit ſignum morbi, reconualeſcentiae contra rediens pulſus irregularis. Dolore pulſum accelerari dubitat, exemplis nephriticorum, contrarium oſtendentibus.

p. 23.

p. 34. 3) *Relatio ae ptyalismo inſolito et eius cura*, communicata GEORGIO BAKERO M. D. et ſoc. colleg. med. et Reg. ſoc. a IOANNE POWERO chirurgo Polesworthenſi in Warwickshire *). Puella, ſedecim annorum, teneri habitus, de reliquo ſana, menſe aprilis 1751 continuo ſaliuae fluxu afficiebatur. Quantitas ſaliuae, per diem excreta, erat varia, ad duas menſuras accedens; qualitate vero, ſaliuae ſanae erat ſimilis. Omnibus fere et medicamentis, et regiminis regulis fruſtra adhibitis, morbus per duo annos eadem vehementia continuabat. Quare Cl. POWERVS ſuſpicatus externum corpus huius profluuii cauſſam eſſe, meatum auditorium externum disquiſiuit, inuenitque magnam lanae, ibi repoſitae, quantitatem: qua educta, ſaliuae profluuium ſenſim quidem imminuebatur; quod tamen, cum, propter conſuetum ſaliuae affluxum, aliquamdiu continuaret, Noſter ita remouit, vt iuberet aegram panis fruſtula interdum manducare, ac ſaliuam deglutire.

p. 39. 4) *Hiſtoria de ore clauſo*, communicata IACOBO HARVEY M. D. S. C. M. et R. S. a D. GVILIELMO CARTER. **) Vocatus Cl. CARTERVS ad aegrum, 27 annorum, ſanae conſtitutionis, cui, poſtquam vulnere in interno pedis dextri malleolo laeſus eſſet, os clauſum ita erat, vt, praeter fluidisſima, nihil deglutire poſſet: inuenit eum adeo ſpasmis contractum, vt, praeter dicta, etiam crura, et ſpina dorſi eſſent immobilia; caput antrorſum ductum, et frequenter conuulſum: ſenſibus ſanis, appetituque integro praeditum, pulſu naturali paullo tardiore ac pleniore. Adhibitis iam, ſine effectu, extracto Thebaico ac magna moſchi quantitate: Noſter veſicatorium intra humeros applicuit, inunxitque os et

*) lecta eodem die. **) lecta eodem die.

os et ſpinam dorſi oleo lateritio, ac purgantem tincturam ſacram ialappae cum ſyrupo rhamni catarthici exhibuit, quolibet tertio die repetendam. Diebus interpoſitis ſpatio nycthemeri dedit olei ſuccini guttas triginta, aſae foetidae grana viginti, et olei amygdalini vncias quatuor. His medicamentis, per quatuordeciem dies exhibitis, aeger ita ſanatus eſt, vt egredi poſſet, ore primum libero, dein ſpina mobili, tandem cruribus flexibilibus factis.

5) *Hydrophobiae exemplum*, auctore b. NICOLAO MVNKLEY. M. D. et Reg. ſociet. ſoc. *) p. 46.
Vir, 36 annorum, die 11 iulii, anni 1760. mordebatur a cane rabido. Medicus praeſens venae ſectione vncias decem ſanguinis emitti curabat, ſuadebatque, vt ad balneandum mare proficiſceretur aeger. Qui, eo profectus, et ibi per decem dies commoratus, balneo ſolo vſus eſt. Poſt menſem triſtior factus, die 19 aug. difficile deglutiebat. Hoc in ſtatu Noſter aduocatus, inuenit aegrum triſtem, cute non adeo calente, pulſu debili, oculis turgidis, lingua arida. Aeger morſum canis celabat, ac, cum ei potus praeberetur, vehementer perterritus, confuſe exclamauit, id fieri non poſſe. Atque haec quidem ſymptomata intra horae ſpatium exorta ſunt. Sequenti die facies magis erat horrida, aegerque continuo tenaciſſimam exſpuebat pituitam, vt exſpuendo ſonus ederetur. Senſibus tamen omnibus fruebatur, neque falſa in eo obſeruabatur imaginandi vis, praeter, quod mentione aquae facta vehementer moueretur atque exclamaret; nunquam tamen, inſtar canis, mordebat. Ita ad ſecundam huius diei poſtmeridianam horam miſere viuebat, qua moriebatur.

*) lecta die eodem.

p. 59. 6) *Relatio de morbo pectoris*, Auctore GVILIELMO HEBERDEN *). Notatu dignum, quod tamen Cl. Auctor nullibi ſe deſcriptum legere meminit, hic deſcribit morbi genus, illudque propter ſedem ſenſumque ſuffocationis *anginam pectoris* nominat. Qui eo laborare incipiunt non mali quidquam ſentiunt, praeter dolorem in pectore tum, cum obambulant; qui, iis quietis, evaneſcit. Morbo per quosdam menſes continuato, dolor hic non protinus deſinit; ſed cubantibus etiam exoritur, vel interdum etiam ſtantibus. Plerumque viros, quinquageſimo anno maiores, occupat; exempla tamen et duorum iuuenum, et feminae paralyticae Cl. Auctori obuenerunt. Plerique ſubito moriuntur; alii ab eo per viginti annos cruciantur. Locus mali eſt ſternum, in quo quidem variat, plerumque ad ſiniſtrum latus vergens, atque interdum cum dolore ſiniſtri brachii coniunctum. Cauſſa eius incerta vel vlcus, vel ſpasmus videtur: hoc docent et ſymptomata, et leuamen a vino et cardiacis; illud vero aegri confirmant, qui ſanguinem exſpuunt purulentum, ſentiuntque illum e loco effluere affecto. Pulſus morbo durante non turbatur. Opiata, continuo adhibita, maximum lenimen afferunt. Mortuos aperire Cl. Auctor non potuit.

p. 68. 7) *De colica Pictonum*, Auctore R. WARREN, M. D. Reg. ſociet. et coll medic. ſoc. et archiatro **). Egregia ſane hac tractatione, ac digna, quae ipſa legatur, a Cl. Auctore enarrantur omnia huius morbi ſymptomata, pro diuerſitate cauſſarum, internarum et externarum varia; ſigna diagnoſtica,

*) lecta d. 21 iul. 1768.

**) lecta d. 4 aug. 1768.

ſtica, et prognoſtica, adduntur que optima remedia: nos quaedam breuiter ſeligamus. In initio morbi aegri ſentiunt dolores circa ſcrobiculum cordis, atque appetitus iis perit, obſtructiones aliaque accedunt. His poſtea auctis, ſequuntur vomitus pituitae et bilioſae materiae, dolores rheumatici ita omne corpus peruagantur, vt, externis partibus affectis, internae liberae videantur, donec paullo poſt dolores reuertantur ad priorem et veram eorum ſedem. Cum dolores, qui continuo per quasdam horas ſaeuiunt, poſteaque vel exacerbantur, vel paullo remittunt, adſunt, musculi abdominales vel ſunt nodoſi, vel verſus ſpinam dorſi contrahuntur: praeter ea ſphinčteres et ani, et veſicae contracti excretiones has impediunt. Morbum non antecedit frigus, pulſusque eſt quietus, ad quartum vel quintum diem, quo acceleratur; quod tamen Cl. Auctor magis vi medicamentorum, quam morbo tribuit. Verſus morbi finem pedum articuli et digiti tument, inſtar podagricorum: accedunt ſudores ſalutares, coniuncti nonnunquam cum exanthematibus; ſentiunt aegri tormina, diſtincta a doloribus colicae: quae ſequitur excretio aluina varia: et ita aeger eſt ſanatus. Raro ante ſextum diem tollitur morbus; malignus per menſem durat, finiturque vel paralyſi extremitatum, vel, aliis grauibus ſymptomatis praegreſſis, morte. Differt colica pictonum a dyſenteria, quod diutius, ſine intermiſſu, continuet, ac tenesmus, qui hanc ſequitur, cum illa incipiat.

Primum bibant aegri decoctum calidum chamomillarum, vt vomitus ſequatur, quod ter repetatur: deinde dentur tincturae Thebaicae guttae viginti, vncia vna aquae dilutae, vel opii gr. I. idque qualibet ſecunda vel tertia hora reiteretur. His per p. 74.

 24 horas

24 horas continuatis, remiſſione ſequente, aegro conueniens nutrimentum praebeatur. Regrediente morbo, priora remedia ſunt continuanda, donec tenſio abdominis remittat, accedantque ſigna finis morbi: tum dentur purgantia lenia, quae, ſi dolor redit, ſeponenda ſunt, opioque continuandum: hinc non cito danda purgantia. Si opiata, per os ſumta non iuuant, clysmata lenientia, addita tinctura Thebacia, ſunt iniicienda, addendaque fomenta et alia externa lenientia. Poſt morbum cauendum frigus. Si obſtructio remanet, morbus, ne recidat, metuendum eſt: hinc remedia, quibus inteſtina molliantur et laxentur, ad quae pertinent aquae Bathenſes, dentur. Venae ſectio non inſtituenda eſt, neque nimii vomitus excitandi.

His quasdam 32 hominum, ſimul hoc morbo affectorum, hiſtorias ſubiungit: vnus eorum, initio epileptico inſultu afficiebatur, atque, doloribus colicis remittentibus, capite rurſus tacto, ac ſi chorea S. Viti correptus eſſet, poſt 14 dies moriebatur: quibusdam os et fauces a materia acri, per vomitum reiecta, erodebantur: alii delirabant: omnes, cum poſt 4 dies curati viderentur, morbo iterum occupabantur.

p. 90. 8) *Hiſtoria et cura difficilis deglutitionis, ortae a ſpasmo oeſophagi*, communicata a THOMA PERCIVAL. M. D. et R. S. S. *) Puella tredecim annorum, tenerae et irritabilis naturae, per quosdam annos difficili laborabat deglutitione: quae, ſi per quosdam menſes ceſſaret, denuo ſine cauſſa euidenti reuertebatur, vt aegra ita plane exſiccaretur. Solida deglutienda ad cardiam vsque facile deſcendebant, quorſum ſi venerint, protinus conuulſiue reiiciebantur; neque fluida retinebantur, niſi

*) lecta d. 9 auguſt 1769.

niſi calida, vel lente et parua in copia deglutita. Conquerebatur aegra de quodam vehementi pruritu ventriculi. Cauſſa huius morbi latebat. Cum Cl. Auctor morbum ſpaſmodicum eſſe cum tumore oeſophagi coniiceret, praecepit interne aſſumi antiſpaſmodica et reſoluentia, quibus mercurium dulcem addebat; extus vero imponi emollientia atque antiſpasmodica linimentis atque emplaſtris. Praeter ea diſpoſuit, vt pedes fouerentur, diaeta mollis et nutriens aegrae exhiberetur, corpus leniter moueretur et clysmata nutrientia immitterentur. Cum medicamentum reſoluens mercuriale et deiectionem, et eroſionem gingiuarum ſaliuationemque excitaret,. poſt trium ſeptimanarum vſum non vlterius adhibebatur. Reliquis autem per duo circiter menſes continuatis, aegra ſolida deglutire poterat, ſicque plane conualuit.

Subiungit quasdam annotationes, quarum prima oſtendit, in cura huius morbi diligenter eſſe inquirendum, an a ſpasmo, an vero a ſcirrho glandularum morbus pendeat: deinde veſicatoria et antispasmodica volatilia hoc in morbo commendat, putatque, electricitatis vim in ſpasmis chronicis oeſophagi cerni; tum vapores ſtimulantes, e. g. aſae foetidae, in fauces admiſſos, vtiles exiſtimat: ac denique clyſteres nutrientes, balnea, emollientibus et nutrientibus repleta, in iis adhibenda ſuadet, de quorum ſanitate pene confectum ſit. p. 96.

9) *De calculis corporis humani tractatio, qua oſtenditur eſſe eosdem diuerſi generis.* Auctore AMBROSIO DAWSON M. D. et coll. medic. ſoc. *) Quam ipſe iam intuitus docet diuerſitatem calculorum, eam chemica disquiſitione certius cognoſci oſtendit Cl. Auctor. Vſus eſt ad calculorum p. 105.

*) lecta d. 15 aug. 1769.

lorum naturam determinandam et lixiuio cauſtico, facto e ſalis tartari vncia vna, calcis viuae vnciis duabus et dimidia, vel tribus, et aquae fluuiatilis vnciis viginti quatuor; et ſpiritu ſalis marini acido. Cum his ſeparatim inſtituit experimenta, quae enarrat, et vidit calculos varios, varia ratione ad menſtruum ſolui; alios calculos menſtruo alcalino
p. 119. ſolui et acidum reſpuere; alios ab acido tangi, in alcalino contra irreſolutos manere; quosdam alternantem acidi et alcalini menſtrui requirere vim; nonnullos in neutro horum menſtruorum ſolui; eſſe denique in vno homine calculos oppoſiti ge-
p. 110. neris. Generatim notat mutationes, in ſuperficie calculorum, qui lixiuio cauſtico ſoluuntur, conſpiciendas, vt nimirum remaneant in eadem veſiculae paruae, eaque fiat coloris obſcurioris, ſecedantque brunae laminae: tum calculi fiant albidiores, menſtruumque colore virideſcente deſidat. A calculis, acido ſolutis, minus ſedimenti deiiciebatur, quam ipſe calculus fuerat: hinc ſuſpicari quis poſſet, aerem fixum conſtituiſſe calculum atque auolaſſe; ſed euaporatione edoctus vidit Cl. Auctor, haerere illud ſolutum in menſtruo. Quum igitur tam varia requirantur menſtrua, quibus calculi ſoluantur, diligenter disquirendum eſt in curatione calculoſorum, quaenam ſit eorum natura; atque ſuadet Cl. Auctor, vt plura menſtrua quaerantur, quibus calculi ſolui poſſint: quibus inuentis, facile etiam inuenire putat rationem, ea corpori humano applicandi.

p. 123. 10) *De morbis hepatis tractatus.* Auctore GVILIELMO HEBERDEN *). Non morbos hepatis ſolum, verum inprimis mala ex bile deprauata laeſioneque in ductibus eiusdem orta, hic experientia

*) lecta d. eodem.

rientia ſua cognita et definita, ample ſatis pertractat Cl. Auctor. Obſtructionem ductuum biliferorum frequentem, vix vero ſemper periculoſam iudicat. Deinde agit de origine calculorum, eosque in cyſtide fellea naſci, vel ſaltim ibi creſcere putat. Tum ſymptomata obſtructorum ductuum refert, pulſuque tardo ab inflammatione diſtinguit; hocque praeſente et dolore ad ſcrobiculum cordis percepto, icterum ſecuturum praeuideri poſſe affirmat. Dolor vehementiſſimus tum ſentitur, cum ad inteſtinum duodenum venerit lapis: qui non, niſi opio dato, mitigatur. Non concedit Cl. Auctor icterum naſci ab infarcto duodeno, vel, quod SYDENHAMVS vult, in hyſterico morbo; neque, quod ictericis obiecta lurida videantur. Magnos calculos nonnunquam ſine multis incommodis adeſſe poſſe putat; naturamque moliminibus mala magna auertere probat exemplo, quo mulier calculum oliuae magnitudine excreuit, poſteaque ſana facta eſt.

Iam quaedam icteri ſymptomata, eorumque cauſſas refert; pruritus oritur ab acrimonia bilis commixtae ſanguini: interdum icterici ad diarrhoeam ſunt diſpoſiti, per quam ab ileo morbo icterus diſtinguitur: horror cum ictero coniunctus, et bis vel ter per diem rediens, oritur a calculo, in inteſtinum labente: interdum alimenta amara ictericis videntur. Icterus ſaepe in iisdem hominibus redit, praeſertim ſi a calculis oritur; raro tamen a calculis ortus icterus periculoſus eſt, ſed alii morbi accedunt, qui vitam finiunt. p. 137.

Inter morbos ipſius hepatis Cl. Auctor inflammationem et obſtructionem lentam conſiderat: illa, iuncta cum febre, vel morte ſubita, vel lentiori per ſuppurationem finitur; haec, orta a ſcirrho, frequentior eſt, etiam cum febricula iuncta, et plerumque, accedente hydrope, aegro mortem inducit. p. 143.

inducit. In obſtructione vix dolor ſentitur, niſi diaphragma vel aliae vicinae partes etiam affecta ſint; aegri vero in humero dextro de ſenſu doloris conqueruntur. Peſſimum ſignum eſt in hoc morbo icteri abſentia. Morbos hepatis non, niſi in initio, curari poſſe affirmat. Inflammatione per abſceſſum finita, neque abſceſſu in ductum hepaticum vel ad exteras abdominis partes rupto, cum vomitu et odore foedo aegri ſubito moriuntur. Frequentiſſima obſtructionis cauſſa eſt abuſus ſpirituoſorum: inde tamen aquae Bathenſes, quae in aliis ex ebrietate ortis morbis conducunt, in hoc morbo non adhibendae, cum ſymptomata augeant. Generatim id curandum medico, vt ſymptomata huius morbi moderentur, debilitetur febris hectica, ac ventriculus roboretur.

p. 153. His ſubiungit morbos, qui vel a corruptione, vel a nimia bilis copia naſci dicuntur. Non adeo periculoſam habet abundantiam bilis, neque metuit, ſi in febribus lotium vel oculi bile tingantur. In febribus putridis cauſſam a bile deriuandam eſſe negat, cum bilis nec quantitate, nec qualitate adeo ſit deprauata. Plura tamen de his morbis non affert Cl. Auctor, cum ipſi in praxi non obuenerint.

p. 158. Iam ad curam horum morborum accedit. In obſtructione ductuum biliariorum dolor leniendus eſt opiatis ſolis, frequenter datis: vomitus, ſi adeſt, cum dolorem plerumque tollat, iuuandus; ſi abeſt ab initio, ſtatim excitandus eſt: eo autem diutius protracto, opium exhibendum: purgantia vtilia cenſet, eaque reliquis praefert, quae blande vim ſuam exſerant. In ictero, cum aluo libera coniuncto, id videndum, ne nimia fiat, atque vt ventriculus amaris roboretur; pruritus vehemens opium requirit. In calculis curandis lithontriptica parum vtilia certaque iudicat. Fortiſſima enim eorum in

calculis,

calculis, praeter quandam paucarum particularum ſolutionem, vix quidquam mutare, neque in vias calculorum venire poſſe. Eo tamen haec remedia iuuare concedit, vt, loco bilis, alimenta ſoluant. Reiicit omnia ſpecifica. Denique addit, biliarias concretiones plerumque cauſſam eſſe doloris in ventriculo, et chronicae nauſeae, ſenſusque plenitudinis: quam cauſſam diligenter attendi iubet, iudicatque purgantia et vomitoria lenia optimi vſus eſſe. p. 170.

11) EIVSDEM *de febre vrticata* tractatus. *) Morbum hunc interdum eſſe periculi plenum iudicat, atque dein ſymptomata eius, cauſſas, ac morbi hiſtoriam recenſet. Cauſſas disquirens, ample ſatis cauſſas externas, quae ſimilem effectum producant, enumerat: oriri interdum hunc morbum aſſerit ab externo cantharidum, internoque radicis valerianae vſu. Quamquam vero nonnunquam a cauſſa interna naſcitur; vix tamen remedia alternantia in cura eiusdem eſſe neceſſaria ſtatuit. p. 173.

Morbi hiſtoria, communicata a Cl. MONSEY, haec eſt: vir, triginta annorum, macro corporis habitu, in aere libero ſolique expoſito ambulans, pruritum ſenſit, qui eo augebatur, vt ardor dolorque accederent: aere libero relicto, morbus ceſſabat. A ſolis calore morbus non pendere videbatur: hyeme enim eundem dolorem percipiebat. Balneis ſalinis fruſtra vſus eſt. Cum aliquando ipſo medio calidoque die balneum tentare vellet, exutusque ad mare tenderet, ita quidem morbo ſuo afficiebatur, vt cogeretur in terram ſe deiicere; inde tamen lenimen quoddam ſentiebat. Tandem ad Cl. MONSEY accedens, variis reſoluentibus, fruſtra tentatis, mercurio dulci exhibito, cum eo, ad initia ſaliuationis, vſus eſſet, curatus eſt. p. 185.

12) *Rabies*

*) lect. d. 15. auguſt. 1770.

p. 191. 12) *Rabies canina, feliciter tractata*, communicata a W. WRIGHTSON, chirurgo *). Cum puer, quindecim annorum, a cane rabido laeſus eſſet, Noſter, quinto poſt morſum die aduocatus, ligatum illum inuenit. Tertio a morſu die puer vomitu affectus erat, ſequenti nocte quietus dormiit, comeditque quarto die cum appetitu; poſtea vero ſomnolentia captus, poſtquam per horam dormiit, ſubito ſurrexit, rabidusque factus, ignem ipſum arripuit, ſeque aliosque mordere cupiit, ac latrauiſſe inſtar canis dicebatur. Noſter igitur, poſt quatuordecim horas primi morbi impetus accedens, in eo inuenit languidam anxietatem, oppreſſionemque, atque in faucibus pectoreque ſenſum ſuffocationis, ita, vt paroxysmus redire videretur. Senſibus pollebat aeger, pulſu debili, at regulari praeditus, abſentibus ſignis vel inflammationis, vel febris, vel ſitis. Aquae, ei propinatae, paruam copiam bibit; paullo poſt vero eam deglutire non potuit. Crura eius obducta fuerunt cruſta tenui, ſicca, ſtriis rubris interſperſis.

p. 195. Primo venae ſectio ad duodecim vncias ſanguinis inſtituebatur, ac, cum inde ſpaſmi minuerentur, tincturae Thebaicae guttae viginti aegro exhibebantur. Poſtea qualibet tertia hora pilulam ei dedit Noſter, in qua opii granum vnum et dimidium continebatur, bolumque, qui confectus eſſet ex moſchi granis quindecim, cinnabaris natiui granis decem, totidemque factitii, qualibet ſexta hora aſſumendum. Extus collo imponebatur camphora, tinctura Thebaica ſoluta. His per duo dies adhibitis, die tertio ſpaſmi ceſſarunt, praeter, quod difficilis deglutitio remaneret. Aluo obſtructa, clyſma oleoſum iniiciebatur: cumque ventriculus bolum non amplius ferret, ille omittebatur, et opiata

*) lecta d. 15 auguſt. 1770.

opiata pilula mane et veſperi continuabatur. Sequebantur ſudores critici. Vrina per omnem morbum turbida et pauca erat. Sanus videbatur aeger, appetitu tantum carebat: quare medicamenta ſeponebantur, ſicque aeger tandem conualuit.

13) Epiſtola ad D. ADEE, Auctore DANIELE LYSONS *). Agit Cl. Auctor de vi corticis interni *Vlmi campeſtris* LINN., eamque in morbis cutaneis cerni, quinque exemplis confirmat. Primum eſt ſcabiei chronicae in muliere, quae autumno oriebatur, et, per hiemem durans, vere iterum euaneſcebat. Corticis huius decocto, data bis die menſura vna, intra menſis ſpatium curata eſt. Neque quidquam adhibitum fuit, niſi ſemel bolus mercurialis, emmenagoga quaedam, extuſve ceratum commune. Alius etiam, totus cruſta alba leproſa obductus, cui extremitates tumidae dolebant, atque in quibusdam corporis locis puſtulae erumpebant, cum huius decocti dimidiam menſurae partem bis per diem cum nitro ſumſiſſet, ac ſemel aluum purgante mercuriali euacuaſſet, cadente poſt ſex dies omni leproſa cruſta, ſeptimanis quibusdam praeterlapſis ſanus eſt factus. p. 203.

Praeterea probat Cl. Auctor, huius remedii vſum, ſi diu ſatis continuetur, eſſe ſatis certum exemplis, e quibus illud feminae cuiusdam afferamus, quae exanthematis, vere et autumno renaſcentibus, eroſionibusque manuum ichoroſis laborans, decocto hoc, aliquamdiu adhibito, curata videbatur; autumno vero malum reuertebatur. Hinc mulier remedio diffiſa ad tabacum confugit. Cum autem vere ſequenti morbus iterum rediret, decocto

*) lecta d. 31 octobr. 1770.

coćto hoc rurſus vſa eſt eo, vt exanthemata euaneſcerent; autumnoque decocti vſum prius repetebat, quam exanthemata erumperent. Atque ita perfecte eſt ſanata. Decocti proportio haec eſt, vt corticis interni vlmi vnciae quatuor aquae ſimplicis menſura vna coquantur. Saporis eſt leniter adſtringentis; vere praeparatum, colorem offert purpureum: alio autem anni tempore magis eſt brunum. Auctor corticem ſumſit tenerorum ramorum vel radicum; purgantem vim ei non tribuit. Curatione, ex voto ſuccedente, prius puſtulae augeri videntur.

p. 216. 14) *De quorundam fungorum noxiis effectis*, Cl. Auctore W. HEBERDEN *). Fungi, qui habebantur campeſtres, eſi a viro mediae aetatis, muliereque eius, et eorum nato, ſymptomata haec produxerunt. Vir poſt 5 minuta rigidus totus, ne oculos quidem mouere poterat; obiecta ei colorem variare videbantur, ſentiebatque palpitationem ventriculi, atque totum eius corpus intumuit. Inſcius actorum, loqui non poterat. Poſt 4 horas parum ſenſit incommodi: ſumto, cum iterum aegre ſe ſentiret, vitrioli albi ſcrupulo vno, ter repetito, vomituque ſubſequente, in priſtinam rediit valetudinem. Mulieri eadem enaſcebantur mala; diuturniora tamen et per menſem durantia. Laborabat enim ſenſu caloris grauitatisque in pectore, ventriculo et inteſtinis, cum ſimul flatibus et hyſtericis paſſionibus ſubdita eſſet. Puer, cum parum comediſſet, aliquos tantum ſenſit ſpasmodicos affectus. Nulla generatim aderant ſigna acris veneni. Fungi dicuntur fuiſſe ad RAII ſynopſin duo, 1) Fungus paruus pediculo oblongo, pileolo hemiſphaerico, ex albido ſubluteus; 2) Fungus minimus,

*) lecta d. 31 octobr. 1770.

mus, e cinereo albicans, tenui, at praelongo pediculo, paucis ſubtus ſtriis.

15) *Hiſtoria hydrophobiae*, Auctore Cl. FALKENERO, chirurgo Southwellenſi in Nothinghamshire *). Morſa a cane mulier, poſtera die, omnibus rabiei caninae ſymptomatis affecta, curata eſt ſolo fere mercurii vſu. Praemiſit Cl. Auctor venaeſectionem, fricuitque partem laeſam vnguento mercuriali. Interne dedit bolum, factum ex turbethi mineralis granis tribus, tantundem camphorae, cum conſerua cynosbatorum. Bolo per quatuor dies mane ſumto, morbus continuo augeri viſus eſt; quinto vero die ſenſus redierunt, nec paroxysmi adeo ſaeuierunt. Cum ei aqua porrigeretur, reſpuit eam abhorrens: reiterata autem, etiam in ſpina dorſi, frictione, bolique vſu continuato ſaliuatio excitata eſt. Atque tum mulier reualuit. p. 221.

16) *Relatio methodi correctae, magneſiam albam parandi*, Auctore THOMA HENRY Pharmacopoeo Mancheſtrenſi, communicata a RICHARDO WARREN M. D. etc. **). Magneſiam, quae vulgo adhibeatur, aut male eſſe paratam, aut, quod etiam peius eſt, creta vel calce remixtam putat Cl. HENRY. Hinc methodum offert, quae puram, albam, inſipidam atque fere impalpabilem praebeat magneſiam.

Eſt vero ea haec: ſal catharticum amarum Epſomenſe ſoluatur in aequali aquae pondere; filtretur et ſenſim addatur ſolutio cinerum perlarum, quae leniter agitentur, donec inter ſe coagulauerint. Deinde protinus fundatur mixtura in vas, aqua

*) lecta d. 31 octobr. 1770.
**) lecta d. 2 ſeptembr. 1770.

aqua bulliente plenum, coquatur per quartam horae partem, ac tum refundatur in vas fictile, vitrea cruſta obductum. Tum, puluere ſubſidente, aqua decoletur, eaque rurſus feruida infundatur: quibus eo vsque repetitis, donec liquor careat ſapore ſalino, agitetur puluis, vt ſubtiliores ſupernatent particulae; ſicque decantetur in aliud vas, ſeparataque aqua e magneſia, haec ſuper cretam ponatur, vt aqua inſugatur; poſt magneſia chartae includatur atque ad ignem ſiccetur. Ita etiam reliqua pars magneſiae tractetur, obtinebiturque aeque ſubtilis puluis. Quo maior aquae copia, eo ſuccedit celerius paratio: multumque intereſt, vt aqua ſit pura, celeriterque ſiccetur puluis.

p. 235. 17) *Quaedam inſolita exempla de curatione hydropis*, collecta et communicata a GEORGIO BAKER, M. D. etc. Eo exempla, hic collecta, redeunt, vt doceant, copioſum potum, qui a multis noxius in hydrope habeatur, ſi aegri eum appetant, ſaepe hunc morbum tollere. Primum, a Cl. RHODIO communicatum, eſt viri aſcitici, ſeptuaginta annorum, qui morbo ita affectus erat, vt morti proximus videretur: hinc, vt vitam miſeram leniret, quotidie bibit aquae frigidae menſuram vnam et dimidiam. Atque hac quidem, per quatuordecim dies pota, ſymptomata vsque aggrauabantur; tum vero, cum aqua et per aluum, et per vrinam excerneretur, aeger ſanabatur. Aegra, cuius hiſtoriam Cl. HVNNIVS tradit, idem fere confirmat. Erat ea annos nata viginti, cum hydrope infeſtaretur: in quo morbo, multis incaſſum adhibitis, ſiti admodum cruciata aegra bibit tenuem ex arbitrio cereuiſiam. Inde cutis findebatur, atque, magna aquae quantitate effluxa, ſanitati aegra

*) lecta d. 9 ſeptembr. 1771.

aegra quidem reſtituebatur; tandem tamen iterum incidebat in hydropem, quo etiam moriebatur. Reliqui duo aegri, vino pomato, largiter epoto, curati ſunt; prior erat mulier, a partu praeternaturali, nimiaque lochiorum effuſione hydropica facta; poſterior, vir mediae aetatis, qui ex intemperantia ſibi hunc induxerat morbum.

Alia hydropis curati hiſtoria a Cl. MVDGE communicata, ſubiungitur. Mulier quaedam ſenſim increſcente hydrope affecta erat, qui, cum Cl. MVDGE aegram videret, iam per ſeptemdecim annos eam occupauerat. Abdomen ita expanſum erat, vt aſcitico ſimillimum videretur; durities tamen eiusdem metum Noſtro, vt et aliis medicis, iniecit, eſſe viſcus quoddam ſcirrhoſum. Quare nihil in ea curanda auſus eſt. Poſt duo annos, cum aegra rheumaticis doloribus in regione lumborum occuparetur, dabatur ei puluis DOVERI, compoſitus maximam partem ex ipecacuanha et opio, eum quidem in finem, vt diaphoreſis promoueretur. Sumto vero hoc puluere altera vice, aegra non ſolum dolorum lenimen ſenſit; ſed etiam per lotium magnam aquae quantitatem eiecit, quod etiam ſecutum eſt, cum tertia vice puluerem ſumeret. Atque ſic hydrops, qui viginti propemodum annos durauerat, intra quadraginta et octo horas caſu plane eſt curatus. p. 250.

18) *Morbus* Thomae Wood, molitoris Billericagenſis, *communicatus* ab EODEM *). Diaetam recte ordinatam, iuſtamque abſtinentiam in morbis maximi eſſe pendendam, putat Cl. BAKER hoc exemplo probari. *Wood* enim ille dictus, a virili aetate gulae indulgens, quadrageſimo aetatis anno admodum obeſus redditus, quadrageſimo ſecundo multis morbis, p. 259.

*) lect. d. eod.

morbis, rheumatiſmis, inſultibus arthriticis, epilepticisque, praeſertim terribili ſuffocationis ſenſu laborabat. Quibus omnibus, diaeta ſenſim correcta, paullatim quoque liberatus eſt. Qua adeo parca tandum vſus eſt, vt cibo tantum veſceretur, qui ex pane bis cocto, et lacte pararetur, omnique potu, etiam aqua abſtineret, motum corporis frequenter exerceret, ſomnoque vltra 6 horas non indulgeret. Inſigni hinc animi hilaritate corporisque viribus fuit praeditus; perſpirationem non percepit; pulſus eius tardus fuit, quadragies per minutum primum pulſans; vrinae menſuram vnam et dimidiam, ambrae inſtar coloratae, per diem excreuit: aluum ſemel duobus diebus euacuauit, ac frigoris tempeſtatumque vim non ſenſit.

p. 275. 19) *Obſeruationes ad methodum hodiernam inſitionis variolarum*, Auctore EODEM *). Obſeruationibus et experientia ſua continuata ſupplet hic Cl. Auctor, quae in prima tractatione deerant, vt ea, quae incerta et obiectioni ſubdita ſunt, ex methodo inſitionis expungantur; ea contra, quae inſitionem corrigant, dignaque ſint, quae aſſumantur, magis appareant. Quare primo disquirit, quatenus praeparatio generalis, neglecta aetatis, corporis habitus, et anni tempeſtatis ratione, ante inſitionem per experientiam excuſari queat. Atque hanc quidem generatim reprobandam eſſe et ratio, et experientia ſatis docent. Mercurium, quem tamquam praeparans, vi ſpecifica praeditum, multi laudant, Ipſe etiam Cl. Auctor in iis, vbi non aderat quoddam contraindicans, vt vtile purgans dedit; non tamen ei, qua mercurio, vim quandam tribuit, ſed potius in euacuatione ponit vſum.

Cum

*) lect. d. 19 Sept. 1771.

Cum vero Cl. GATTI *) omnem praeparationem reiiciat; Noſter mediam viam eligit, atque ad aegros attendi iubet, a quorum natura appareat, ſintne euacuationes neceſſariae, an vero noceant. Deinde modum variolas inſerendi diiudicat, eumque optimum cenſet, qui ſit ſimpliciſſimus, et ſola acu fiat, omiſſis omnibus emplaſtris. Ita enim non mala ſolum externa, a perſpiratione ſuppreſſa oriunda, eſſe abfutura; ſed etiam certius praedici poſſe, ſitne aeger a metu infectionis liber, nec ne, omnesque morbi mutationes quotidie ita attendi. Etſi non multum interſit, an pus crudum vel maturum adhibeatur; fluidum tamen et recens praefert.

Tum ipſam aegros in variolorum morbo tractandi rationem definit. Ab initio purgantia, et fortiora, et ſaepius repetita, prout res requirunt, omninoque antiphlogiſtica medicamenta danda eſſe, frigidumque regimen tenendum. Diaphoretica et calida medicamenta igitur reiicit cuncta, neque illa indicari recte cenſet per lenem perſpirationem, quae ſit ſignum variolarum benignarum: eam enim prius vix ſentiri nouimus, quam febre quodam modo remittente. Eruptione facta, praeſertim ſi puſtulae ſunt copioſae, anodyna vtiliter dari dicit; SYDENHAMO tamen hic non credendum, qui liquido laudano nimis tribuit: opio enim raro, et non, niſi in ſummis doloribus, vtendum exiſtimat Cl. Auctor. Iterum purgantium cautum vſum laudat; monet tamen etiam de cauendo eorum abuſu, vnde plurima, praeſertim tabis mala ſequantur. Poſtea etiam liberi aeris acceſſum, de quo in priori tractatione amplius egit, vtilem praedicat: interim nimio eius vſu contagium diffundi p. 292.

O 4 notat.

*) vid. EIVSD. réflexions ſur la prâtique de l'inoculation.

notat. Praeterea probat, variolos inſertos prius finiri, quam naturales, confirmatque idem exemplis matrum lactantium, variolis infectarum; quarum infantibus quarto poſt eruptionem die varioli inſerebantur, iique ſolito tempore morbo ſanati ſunt: matres vero poſtea variolis mortuae.

p. 311. De grauidarum mulierum, lactentiumque infantum inſitione dubium euentum eſſe docet. Interdum quidem rem fauſte ſucceſſiſſe; nihilo tamen ſecius, cum plures etiam moriantur, tentamen videri periculi plenum. Quod illuſtrat caſus, qui Ipſi obuenit. Mulier ſana, per ſex menſes grauida, cum ei varioli inſererentur, ſymptomatis ſat leuibus, puſtulisque non adeo multis occupabatur, vsque ad diei quarti ab eruptione veſperam: qua abortus ſymptomata oriebantur, eique per ſubitam violentamque haemorrhagiam vitam eripuerunt. Non conſentit cum Cl. MEAD, qui infantes liberos a variolis cenſet, ſi matres grauidae iis laborant, neque, quod infantes in vtero variolis ipſi infeſtentur.

p. 320. His ſubiungit quasdam quaeſtiones, aliis ſoluendas. 1) cur, ſi noſtri varioli conueniant cum Arabum variolis, RHAZES et alii nihil dixerint de contagio, et de eo, quod ſemel tantum homines occupent? 2) Vnde pendeat diuerſus effectus vnius variolorum miasmatis, naturalis vel per inſitionem, vtrum a miasmatis ipſius natura, an a parte prius infecta? 3) cum quaedam ſit ſimilitudo inter virus varioloſum et venenum animalium rabidorum, atque in vtrisque inflammatio antecedat communicationem cum reliquo corpore; vtile iudicat, partem affectam excidere ante communicationem.

18) *Re-*

18) *Relatio quorundam inſolitorum morborum,* p. 325. Auctore DONALDO MONRO M. D. etc. *)

1) *Inſolitus ſcorbutus.* Vir, nouemdecim annorum, ſatis apta, animali tamen vſus diaeta, poſtquam patriam mutaſſet, vtereturque parco corporis exercitio: poſt dimidium fere annum occupabatur laſſitudine ex minimo motu, faucium tumore, haemoptyſi, rubrisque maculis intus in labiis, et genis; vuula, velum palati, lingua, et ſuperficies interna buccarum erant nigra: quod ex nigro, congrumatoque ſanguine proficiſcebatur. Pulſus ſatis plenus et fortis; omneque corpus nigris maculis repletum. Noſter ſtatim venae ſectionem inſtituere iuſſit, atque bibere mixturam ſalinam nitroſam, ſequentique die aluum purgare. Atque, cum animaduerteret eſſe verum ſcorbutum, morbumque celerrime increſcere, diaetam omnino vegetabilem praeſcripſit, aliaque iunxit remedia ſalina, quibus addidit corticem Peruuianum. Morbus tamen ſemper increuerat, per menſem vsque: quo ſymptomata omnia celeriter ceſſarunt, aegerque non diu poſt ſanatus euadebat.

2 et 3) *Venereorum vlcerum,* et *cariei in vertebris colli hiſtoriae.* Prima concernit virum, cui, gonorrhoea male curata, glans omnis exedebatur, totusque penis ad inſignem intumuerat craſſitiem, vlceribusque erat obſeſſus. Is, cum mercurii, corticis Peruuiani, qui inſigne alui profluuium excitauerant, aliorumque remediorum balſamicorum et cicutae, atque diaetae lacteae, inprimis factitiae vſus eſſet irritus, vlceribus ſemper increſcentibus adeo, vt tandem muſculos exederent, haemorrhagia, quae ex arteria epigaſtrica, a cancro eroſa, ſequebatur, mortuus eſt. p. 337.

O 5 Altera

*) lecta d. 4. decembr. 1771.

p. 345. Altera continet viri quadragenarii morbum: qui, cum ante quosdam annos venereo morbo laboraſſet, poſtea febre hectica affectus eſt, doloreque vehementi in collo. Mortuus offerebat praeter pulmonum vlcera, abſceſſumque in cerebro, cariem primae vertebrae et ex ſecunda proceſſus odontoidei.

p. 348. 4. *Febris intermittens pertinax.* Febris haec, quae militem per duo annos vexauit, omnibus remediis, amaris, etiam cortici Peruuiano reſiſtebat, donec, mercurio dato, ſaliuatio excitaretur: qua finita, et cortice nutrienteque victu, dato aeger ſanatus eſt.

p. 353. 5. *Tumor cerebri, per os frontis protruſus.* Supra ſupercilia viri cuiusdam tumor, duos pollices latus, dimidiumque eleuatus, oriebatur a cauſa ignota: pulſabat, atque preſſus dolores ſtuporemque excitabat; perforabat os frontis, cuius latera carioſa inde erant reddita. Nihil, quod ad eius curam ſpectaret, tentari poterat; ſed aeger paullo poſt, aucto tumore, mortuus eſt: atque inuentum cerebrum e ſitu ſuo locatum, quod hunc tumorem effecerat.

p. 358. 6. *Hydrocephalus.* Infantem, decem annorum, hydrocephalo enormi affectum refert, cuius ambitus ſit duorum pedum atque quatuor pollicum, et longitudo octo pollicum. Interim infans ſenſu memoriaque pollet, ambulareque poteſt. Febris vero vel minima illum laedit.

p. 361. 7. *Oſſificatio in meſenterio.* Mulier ſana, menſe ante mortem, horroribus infeſtabatur, qui, dato cortice, euanuerunt: ſanguinem poſtea exſpuit, ſudoresque experiebatur colliquatiuos, diarrhoeamque, qua moriebatur. Poſt mortem aperta oſtendebat pleuram pulmonibus concretam, pureque repletam cauitatem. Glandulae meſeraicae

omnes

omnes erant induratae et plurimae etiam oſſificatae, conſtantes e pluribus lapillis, membrana inuolutis. Ileum atque coli initium intumuit, intimaque eius tunica ſphacelo tacta reperiebatur.

19) *Relatio feliciter ſuccedentis inſitionis variolorum in* Iamaica, *ſcripta a* IOANNE QVIER medic. practico ibidem, ad D. DONALD MONRO*). Methodum inſerendi exercuit Cl. Auctor, quae nouiter recepta eſt, vt regimen frigidum ſimul obſeruetur; praeparatio tamen retineatur: atque ita quidem plurimos aethiopes curauit. Generatim adultos aeque feliciter, atque infantes, atque grauidas primis menſibus proſpere inoculationem ſubire monet. Sicque eodem ſucceſſu eam adminiſtrari refert in venereis, elephantiaſi, morbis cutaneis, vlceribusque inueteratis affectis. Inſuper affirmat morboſorum horum variolos fuiſſe mitiores iis, qui in ſanis exorti ſunt. Vſum vero mercurialium et purgantium in illis neceſſarium eſſe. Victu vtebantur aegri vegetabili, ſique mercurio ſaliuatio excitari videbatur, ſimila vel oryza iis praebebatur. Ex medicamentis, quae ad praeparationem adhibentur, mercurio dulci et tartaro emetico plurimum tribuit. Frequentes purgationes aethiopes ad hydropem ducere refert. p. 366.

Nihil intereſſe putat, ſitne pus ex bonis, an ex confluentibus puſtulis deſumtum, quin imo in poſteriori caſu fuiſſe pauciores variolas. Repetendamque iudicat inſitionem, ſi poſt ſeptem dies nulla indicia fuerint inflammationis. Si inſeruntur varioli in hominibus, qui eos iam contagio acceperunt; nulla inde ſequuntur damna. Emplaſtris tum demum vtitur Cl. Auctor, cum vlcera oriuntur. Quo citius et vehementius oritur inflammatio, p. 393.

*) lecta d. 14 decembr. 1771.

tio, eo facilius ſuccedit morbus. Interdum facies, pectus, imo totum corpus et extremitates ante eruptionem variolorum obſeſſa ſunt exanthematis, quae ab vſu mercurii proficiſcuntur. Tum igitur hunc ſeponendum eſſe patet; adhibenda contra antiphlogiſtica, liberoque aeri corpus exponendum. Diſputat deinde de infectione, atque ſignum eiusdem dicit ſenſum prurientem axillarium glandularum: illosque, qui ſemel variolis laborarunt, liberos ab iis dicit.

p. 414. His ſubiungit alios quosdam cum variolis coniunctos morbos, vt opthalmiam ſiccam, impetiginem et eryſipelas, quorum curam ſimul addit.

p. 420. 20) *Obſeruationes de veneno plumbi continuatae**), Auctore GEORGIO BAKER. M. D. etc. **) Confirmantur hoc tractatu noxae, quae ex vſu plumbi oriantur. Potiſſimum et Cl. Auctor, et alii, qui obſeruationes cum Eo communicarunt, viderunt poſt vſum vini pomati, quod in vaſis plumbeis repoſitum fuiſſet, vehementiſſimam colicam ſecutam eſſe, manusque pedesque non moueri potuiſſe. Idem comprobat vſus ſaturninorum, quae intus ſumta dolores in inteſtinis, colicam, atque alia plurima mala excitauerunt, quod Cl. Auctor et aliorum probat teſtimonio, et ſui ipſius experientia confirmat. Morbus Indorum ab eadem pendet cauſſa, cum potum acidum vaſis plumbeis ſeruent, atque etiam ſaccharum his in vaſis paretur. Quare omnino plumbi vſum et medicum externum Cl. Auctor reiicit. Effluuia plumbi eſſe venenata typographorum exemplo illuſtrat, qui, cum plumbeos calidosque typos imprudenter attingunt, paralyſi contra-

*) vid. medical Transact. Vol. I. p. 175. comm. noſtr. Vol. XVII p. 203 ſeqq.

**) lecta die 11 Decembr. 1771.

contractioneque digitorum afficiuntur; hoc tamen in noſtris terris, vbi frigefacti adhibentur typi, non valere cum Cl. KRAVSIO translatore, monemus. Eadem iis oboriuntur mala, qui ſpecula parant.

Cura prophylactica conſiſtit in vſu nutrimenti vnctuoſi lubricantisque; curatoria vero requirit euacuantia lenia, ſatis tamen agentia: plurima diaetae regimen, praecipue lactis ſobrius vſus, praeſtat; in ipſo paroxysmo opio vtendum. Aperti poſt mortem, qui colica laborauit, refert hiſtoriam; cui omnia viſcera infimi ventris, praeter paruas concretiones in veſicula fellea, ſana fuerant. Cerebri ſubſtantia reperiebatur ſolito mollior, et ſanguinis dimidia vncia extra vaſa miſſa erat. Muſculi fere plane deſtructi. p. 456.

21) *Relatio duorum exemplorum veri ſcorbuti, qui ortus erat ex defectu conuenientis alimenti*, Auctore FRANCISCO BILMAN M. D. et Cl. RADCLIFFE communicata per Cl. BAKER *). p. 471. Mulier quadragenaria laſſitudine inſigni vagisque per totum corpus doloribus occupabatur: dyſpnoea praeterea laborabat, pulſu debili celerique, lingua bruna, faucibus ſpongioſis, ſanguinem mox fundentibus, halitu foetido, omnique corpore emaciato, ita, vt pedum cutis, maxime rigida, attactu creparet. Pedes vlceribus pleni, atque, vti et antibrachium, cruſta obducti. Poſt quemlibet motum tota fere obrigeſcebat. Iisdem ſymptomatis morbi ſcorbutici affecta erat eiusdem ſoror; non tamen eodem in gradu. Ortus erat hic morbus a miſera viuendi ratione, cum his mulieribus praeter theae potum, panisque vſum nihil datum eſſet. Curatae ſunt aegrae, cum ſerum, ex herbis antiſcorbuticis paratum, biberent, ac diaeta lactea cum malis

*) lecta eod. die.

malis aurantiis vterentur, et corticis Peruuiani tres drachmas per diem ſumerent.

p. 486. 22) *Exemplum hydatidum, quae tuſſi eiiciebantur, relatum a* IOANNE COLLET. M. D. communicatum et annotationibus auctum a D. BAKER *). Mulier, 33 anorum, tuſſi afficiebatur, qua, cum per quatuor annos grauibus ſat ſymptomatis ſtipata duraſſet, tandem ſpatio quatuor menſium, 135 hydatides, variae magnitudinis eiiciebantur. Hydatides eiectae ruptae erant, nulla tamen, praeter tenacem pituitam, eas vel anteceſſerat, vel ſequebatur aqua. Tumor quosdam ante morbum menſes in inferiori regionis epigaſtricae parte oriebatur, extenſus ad dextrum hypogaſtrium: omneque praeterea abdomen diſtenſum, ac ſaccis refertum erat. Vſa eſt mulier pilulis reſoluentibus ex gumi ſaponaceis et ſquilla compoſitis, atque mercurii dulcis paruam doſin aſſumſit; quibus remediis ita reſtituta eſt, vt lectum relinquere poſſet, omnemque praeberet ſpem melioris valetudinis.

p. 492. Annotationes Cl. BAKERI hydatides in duas diuidunt ſpecies, alias regulariter quaſi organiſatas, et cum vaſis per pedunculos nexas; alias cyſtidi communi incluſas, atque plerumque hepati vicinas. Poſterioris ſpeciei hydatites, prius deſcriptas, fuiſſe affirmat, ac coniicit viam ex cyſtide per morbum effectam fuiſſe ad tracheae ramum.

p. 499. 23) *Quaeſtiones* Auctore GVILIELMO HEBERDEN **). 1. Cum cruſta inflammatoria et in multis morbis inflammatoriis abſit, et ex aliis cauſſis oriatur, Auctor ad quaeſtionem, an eius praeſentia methodum curandi dirigat, ita reſpondet,

*) lect. d. 14. decembr. 1771.
**) lect. d. 21 iul. 1768.

det, vt huic ſigno parum vel prorſus nihil tribuendum; ſed ad alia ſymptomata reſpiciendum cenſeat.

2. Deinde negat ſymptomata periculoſa herniae incarceratae naſci a praeternaturali ſtrictura aperturae tendineae in muſculo obliquo ſuperiori. Nam et dolores alio in loco ſentiuntur, et probabilius eſt, ſequi ſymptomata ab inteſtinorum, perverſe poſitorum ſpaſmo, quod comprobant auxilia a balneis calidis, vſusque remediorum purgantium per clyſteres ſalutaris. Generatim in hoc morbo vtilem inuenit Cl. Auctor copioſam et repetitam venaeſectionem, vſum balneorum calidorum reiteratum, veſicans abdomini applicatum, per clyſterem iniectum tabaci fumum, pilulas ex extracto catarthico, iuncto opio, factas, atque ſolutionem ſalis catarthici. p. 506.

3. *) *Dubitat de noxis camerarum, veſtimentorum ac lectorum humidorum*, atque eas impuritati vaporum tantum tribuit, multisque exemplis probare annititur tantum abeſſe, vt aer humidus noceat, vt etiam ſaepius ſit ſalutaris. p. 521. 4. *Aperiendae venae in haemorrhagiis* **) vſum in dubium vocat, cum arteriae magnae per eam non contrahantur, paruae vero per ſe concidant: aliaque laudat, frigidum aerem, quietem, nutrimentum parcum, potum acidulum opiata atque purgantia. Hinc tamen nondum ſequi cum Cl. KRAVSIO putamus, venaeſectionem in haemorrhagiis omnino eſſe negligendam. p. 529.

*) lect. d. 15 auguſt. 1770.
**) lect. d. 11. decembr. 1771.

II. *Ver-*

II.

Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch etc. Fünftes hundert, mit einer Vorrede Herrn D. C. I. TREWS; *verlegt, gemahlt und in Kupfer geſtochen von* Nic. Fridr. Eiſenberger. *Nürnberg.* 1765. fol. Text. plag. 20. *Sechſtes hundert, oder Beytrag zum blackwelliſchen Kräuterbuch; eine Sammlung der Gewächſe, welche zum Arzneygebrauch in den Apothecken aufbehalten werden, deren Beſchreibung und Kräfte angegeben, die Abbildungen gröſstentheils nach der Natur gemacht, und alle Arten mit bewährten Nahmen der Kräuterlehrer erläutert ſind: mit einer Vorrede Herrn* D. CHRIST. GOTTL. LVDWIG *herausgegeben, gemahlt, und in Kupfer geſtochen, von* Nic. Fridr. Eiſenberger. *Nürnberg* 1773. fol. Text. plag. 20½. praefat. plag. 1.

h. e.

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum etc. *Centuria Vta:* cum praefat. D. C. I. TREW; excudit figuras pinxit, atque in aes incidit Nic. Frid. Eiſenbergerus. Nürnberg 1765. *Centuria VIta:* ſiue Herbarii Blackwelliani Auctuarium; cum Praefat. D. CHRIST. GOTTL. LVDWIG ibid. 1773.

Etſi aliquoties nouae huius Herbarii editionis mentionem fecimus *); denuo tamen quaedam de eadem referre debemus, inprimis, cum opus nunc

*) vid. commentar. noſtr. vol. II. p. 73. vol. VI. p. 146 et vol. IX. p. 103 ſqq.

nunc ſit plane confectum atque abſolutum. Blackwellianum textum ex Anglica in Latinam linguam translatum, nomina plantarum ſynonymica copioſe appoſita, plantas deſcriptione accurata illuſtratas, ipſasque delineationes fere omnes emendatas, et iconibus, quae floris fructusque ſpeciales partes repraeſentent, auctas fuiſſe: ideoque nouam hanc editionem priori multis modis praeferendam eſſe, inter omnes facile conſtat; multum autem augebitur operis praeſtantia, ſi ad auctarium reſpicimus, quo centum nouae plantae, a BLACKWELLIA omiſſae, medicatae et venenatae, alioque modo conſideratione dignae, et viuis coloribus pictae et deſcriptae fuerunt. Et de hoc praecipue nunc dicendum erit, prius tamen nonnulla, quae hiſtoriam operis concernunt, praemittere debemus.

Ante triginta fere annos Illuſtris TREWIVS de edendo hoc, aſt et emendando atque amplificando herbario cogitabat, ſociumque eligebat EISENBERGERVM, virum, ob peritiam pingendi celeberrimum. Aliis vero negotiis obrutus non, niſi primam centuriam, commentario nouo illuſtrare potuit TREWIVS: hinc in elaborandis annotationibus noſtri, eheu deſideratiſſimi! LVDWIGII auxilium ideo praecipue implorauit, quia et apparatum librorum botanicorum copioſiſſimum, et hortum, rariſſimarum plantarum copia inſtructiſſimum, poſſideret.

Ad officia quaecunque paratiſſimus Noſter, lubentiſſime otium, ſi modo aliquod habuiſſet, in eodem perficiendo conſumſiſſet; cum autem Ipſemet operi manum admouere non potuerit, amicis ſuis, Cll. BOSIO, et BOEHMERO ſpartam ſuam tribuit, vſumque bibliothecae et horti conceſſit; qui etiam centuriae II. III et IVtae textum elaborarunt, et dum poſtea publico munere, aliisque

negotiis impediti, elaborationem continuare haud potuerint; eandem tamen, ab aliis amicis, botanicesque peritis factam, examinarunt, ita, vt ab hac parte, collaboratorum ſcilicet, operis abſoluti editio nullo modo retardata fuerit. TREWIVS autem cum et alios libros, ac praecipue EHRETI *plantas ſelectas*, annotationibus illuſtrandas, ſuſcepiſſet, et nouas, Blackwellianis tabulis addendas, icones pene multas, ſecundum naturae typum delineandas, pictori tradere voluiſſet, omnino fieri debuit, vt euulgatio operis retardaretur, et non exiguum damnum pateretur EISENBERGERVS.

Centuriis demum quinis abſolutis, de auctario cogitabat TREWIVS, indicemque, cum centuria quinta exhibuit illarum plantarum, quae illud conſtituere deberent. Aſt et illuſtris hic medicus anno ſexageſimo nono diem obiit ſupremum, et egregius pictor, variis morbis vexatus, labores continuare non potuit, imo d. 5 aug. anno ſeptuageſimo primo mortuus eſt. Auctarium itaque, modo inchoatum, perfici haud potuiſſet, niſi LVDWIGIVS omnem operam adhibuiſſet, aliorumque auxilia inueniſſet. IOH. IAC. OTTO, celebris mercator Noribergenſis, conſanguineus TREWII ac EISENBERGERI, ſumtus ad finiendam huius herbarii editionem conceſſit, et cum plantarum, centuriae ſextae deſtinatarum, icones, viuente TREWIO, omnes nondum ſculptae eſſent, deficientes ſuppleuerunt, aliasque ſubſtituerunt, ac omnibus annotationes addiderunt, Duumuiri celeberrimi, SCHREBERVS et VOGELIVS, botanices Profeſſores clariſſimi. Nonnulla quoque ad conficiendum opus contuliſſe KNOLLIVM Med. Doctorem, indicemque generalem totius operis, quo variarum linguarum nomina exhibentur, D. ZWIN-

D. ZWINGERVM, Medicum apud Noribergenſes celebratiſſimum, concinnaſſe, ex praefatione, quam centuriae ſextae praemiſit, et paucis ante obitum menſibus conſcripſit LVDWIGIVS, cognouimus.

His in genere praemonitis, ad centuriam quintam reſpicere, et quaedam partim de iconibus, partim de addito textu referre deberemus; cum vero omnia prioribus centuriis ſimillima inueniantur, nolumus ea, quae in commendationem huius editionis alio tempore dicta fuerunt, repetere, potius ſtatim ad auctarium nos conuertamus, et primo indicem delineatarum plantarum exhibeamus. Plantae itaque, quae centuria ſexta accurate delineantur, et viuis coloribus belle pictae, continentur, ſunt:

Aconitum Napellus.
— — lycoctonum.
— — Anthora.
Actaea ſpicata.
Adonis vernalis.
Aethuſa Cynapium.
Allium Victorialis.
Amomi Cardamomi variae ſpecies.
Anethum graueolens.
Anthemis nobilis.
Arbutus Vua vrſi.
Arnica ſcorpioides.
— — montana.
Artemiſia Pontica.
— — Abrotanum.
Aſclepias Syriaca.
Athamanta Meum.
Atriplex hortenſis.
Atropa belladonna.
Bellis perennis variet: fl. multiplici rubro.
Bidens tripartita.
Bromelia Ananas, fr. rotundo et pyramidato.
Bryonia baccis nigris.
Carlina acaulis.
Carum Carui.
Chenopodium album.
Cicer arietinum.
Cicuta viroſa.
Colchicum autumnale.
Conium maculatum.
Conuoluulus Mechoacanna.
Croton Caſcarilla.
Cucumis prophetarum.
Cucurbita lagenaria.

Cuſcuta Europaea.
Daphne Meſereum.
Daucus Carota.
Dorſteniae ſpecies quaedam, inter quas etiam Contraierua.
Dracocephalum Moldauica.
Epidendrum Vanilla.
Fumaria bulboſa.
Gnaphalium arenarium.
Helleborus niger, eiusque varietates.
— — viridis cum duplici varietate.
— — hyemalis.
HeracleumSphondylium.
Hieracium murorum.
Humulus Lupulus.
Hyoſcyamus niger.
Impatiens noli tangere.
Indigofera tinctoria.
Leontodon Taraxacum.
Lichen Islandicus.
Linnaea borealis.
Lycopodium clauatum.
Lyſimachia nummularia.
Lythrum Salicaria.
Momordica Balſamina.
Nerium Oleander.
Nigella aruenſis.
— — Damaſcena.
Oenanthe crocata.
Orchis bifolia.
Panax quinquefolium.
Papauer Rhoeas.
Phellandrium aquaticum.
Phytolacca decandra.
Plantago Pſyllium.
Populus alba.
Prunus Lauroceraſus.
Pyrola rotundifolia.
Rhamnus Zizyphus.
Rheum palmatum.
Rhodiola roſea.
Rhus Coriaria.
Salicornia herbacea.
Scilla maritima.
Scutellaria galericulata.
Selinum ſylueſtre.
Sium Ninſi.
Solanum Melongena.
— — tuberoſum.
Taxus baccata.
Teucrium Chamaepitys.
Triticum repens.
Vaccinium oxycoccos.
Verbaſcum Thapſus.
Verbeſina acmella.
Zea Mays.

Praeterea Hippomane Mancinella, cum *Viſco purpureo*, quod priorem arborem frequenter inhabitare ſolet, ex CATESBYO mutuata, eademque auctarii titulus ornatus fuit.

Inſumt

Inſunt ergo plantae eximiae, multaeque rariores, quorſum ſpectat praecipue radicum *Ginſeng* et *Ninſi* hiſtoria et *Panacis quinquefolii* icon, a Cel. EHRETO data; *Acmella Zeylanica*, *Dorſteniae* quatuor nondum definitae ſpecies, *Cardamomi* varii fructus, in officinis conſeruati, et icon ex horto Malabarico deſumpta, quae ſemina *Cardamomi minoris* exhibet. et ſ. p. Inter varias *Hellebori* icones occurrit vna, nondum determinata, *orientalis flore roſeo* inſcripta, quae vero multum conuenit cum *nigro*, huiusque duae aliae apponuntur varietates, quarum prior ſolo corollae colore differt, tum lutris, tum rubicundis venis variegato; altera copioſiores radicis fibras habet, et corollam virideſcentibus et roſeis venis pictam.

Aliae duae varietates cum *Helleboro viridi* proxime conueniunt, et modo radice, habituque minori differunt. Nonnullarum quoque plantarum, in prioribus centuriis minus accurate delineatarum, nouae additae fuerunt icones; vt ſunt: *Taraxacum Leontodon*, *Verbaſcum Thapſus*, *Atriplex hortenſis*, *Rhus Coriaria; Conii maculati* etiam repetita et emendata figura cernitur. *Solanum tuberoſum*, iam Tab. 34. delineatum, variis radicum figuris illuſtratur, varietasque peculiaris additur floribus purpuris, tuberibusque nigricantibus conſpicua. Plura in commendationem operis huius addere, ſuperfluum eſſe exiſtimamus, facileque ſperamus, fore, vt rei herbariae cultores, qui illud incompletum, vel prorſus non poſſident, eo nunc finito, vel partes ſuppleant, vel integrum ſibi comparent. Integrum opus continet ſex centurias plantarum, totidem, imo, cum nonnullae duplici tabula expreſſae ſint, pluribus tabulis delineatarum, viuisque coloribus pictarum. Textus vero cum praefa-

tionibus, indicibus, et variis auctorum, in opere citatorum, catalogis implet. 6 alph. 171. plag.

Iungamus hinc aliud, quod eadem ac Blackwellianum fata habuit, opus, et ante plures annos inchoatum, nunc demum abſolutum fuit. Eſt illud:

III.

Allgemeines Blumen-Kräuter-Frucht und Gartenbuch, in welchem ganz neue, und nach der Natur abgemahlte Figuren von Blumen, Kräuter, Bäumen, Stauden, Früchte und anderen Gewächſe vorgeſtellet werden. Nebſt einer lateiniſchen und deutſchen Beſchreibung ihrer Theile etc. Ganz neu gezeichnet und mit Farben herausgegeben, in Nürnberg bey GEORG. WOLFGANG KNORR. *Gedruckt bey* Ioh. Ios. Fleiſchmann. 1750. fol. mai. Textus alph. 5. plag. 19. Indic. plag. 8. praefat. pl. 1.

h. e.

Theſaurus rei herbariae hortenſisque vniuerſalis, exhibens figuras florum, herbarum, arborum, fruticum, aliarumque plantarum prorſus nouas, natiuis coloribus depictas, atque idiomate tam Latino, quam Germanico deſcribens eorundem partes, formam et habitum, nec non vſum in officinis pharmaceuticis, vita communi et medicina. apud GEORG. WOLFG. KNORRIVM.

Trecentas et vnam continet tabulas, eaedemque exhibent plantas, viuis coloribus, et vtplurimum nitide depictas, tercentum et triginta, quarum

quarum nonnullae quidem indigenae ſunt et vulgares, aliae vero, et multae, exoticae ac rariores; et inter has ſucculentae variae, praecipue Aloes, Meſembryanthema, Cacti, Cotyledones etc. magnam operi aeſtimationem conciliabunt: hortenſium etiam varietates, quae quandoque additae fuerunt, eius pretium potius augebunt, quam imminuent, cum fere omnes multiplici florum colore ſeſe commendent.

Quaelibet autem icon plantam in naturali magnitudine, eiusque non modo totum habitum, ſed et floris fructusque faciem optime repraeſentat: minores quoque, et ſeparatim appoſitae figurae floris fructusque partes, variis modis, naturali et aucta magnitudine, depictas exhibent, ita, vt omnibus, ad naturam accurate expreſſis, perfectisque iconibus non minorem gratiam reportauerit KNORRIVS, qui ab anno quinquageſimo ad ſexageſimum primum, quo e viuis ſeceſſit, tabulas omnes perfecit, delineauit, in aes incidit, elegantique penicillo pinxit, ac propriis ſumptibus edidit.

Praeterea etiam de explicatione tabularum, iisdemque addendis annotationibus ſollicitus fuit: quem laborem in ſe quidem ſuſcepit Tubingenſium Profeſſor PHIL. FRIDR. GMELINVS; aſt aliis laboribus impeditus, KNORRIVM ſequi, et tabulis explicationem ſtatim addere nec potuit, nec voluit. Tabulae enim nullo ſeruato ordine, partitis vicibus, editae, et littera quadam adſcripta notatae fuerunt, ita, vt, finito tandem opere, omnes ſecundum alphabeti ordinem collocari poſſint. Cum itaque ad vnam litteram pertinentes, ſiue vnam quaſi claſſem conſtituentes plantae, non ſimul et vna vice, ſed longiori ſaepius interpoſito tempore, in publicum prodirent, Commentator quoque non vna ſerie textum elaborare potuit. Hinc etiam

factum, vt maxima commentariorum pars, mortuo demum pictore, typis exarata fuerit, imo imperfectum manſiſſet opus, niſi beati viri haeredes et de hoc, et aliis, a KNORRIO inceptis, nondum vero abſolutis, operibus ſeuere cogitaſſent, nouamque curam adhibuiſſent.

Rogarunt itaque Cl. GMELINVM, vt laborem continuaret, qui etiam magnam commentationum partem ſucceſſiue elaborauit; aſt, praematura morte defunctus, vix dimidiam partem abſoluere potuit. Licet vero Huius obitus nouam abſoluendo operi moram fecerit; omnem tamen curam adhibuerunt haeredes, vt per alium, rei herbariae peritum, textus continuaretur; inuenerunt quoque eundem in BOSIO, Wittebergenſium Profeſſore; antequam vero Ille manum operi admoueret, ardenti febre an. 1770 obiit.

Huius autem vices, rogantibus haeredibus, in ſe ſuſcepit alter Wittebergenſis Profeſſor, Cl. BOEHMERVS, et, quae deficiebant, ſuppleuit, abſolutumque opus exhibuit. Licet vero textus a duobus Auctoribus conſcriptus fuerit; ſatis tamen ſibi ſimilis exiſtit. A conſtituto enim tramite non receſſit BOEHMERVS, deſcriptiones modo plantarum, et characteres praecipue genericos magis contrahere, integra auctorum loca rarius adducere, repetitiones omnes ſedulo euitare, et vtique breuitati ſtudere voluit; cum e contrario GMELINVS variorum auctorum definitiones addiderit, quaeque de plantis ſingulis auctoris, veteres praecipue, tradiderunt, eorundem verbis repetierit, et hinc nimis copioſam, Lectoribus ſaepe moleſtam, commentationem exhibuerit. Praeter textum alia quoque BOEHMERVS praeſtitit, quae maiorem operi perfectionem conciliare deberent.

Non-

Nonnullis enim tabulis, ſiue plantis falſa adſcripta fuerant nomina, ſpeciesque non ſemper accurate determinatae; eiusmodi errores ſollicite correxit, et quaenam, in icone repraeſentata, fuerit planta, aperte docuit. Indices quoque generales nominum, ex variis linguis adductorum, compoſuit, et praefationem, menſe ianuario 1771. ſignatam, hiſtoriam operis recenſentem, praemiſit.

Botanicis igitur, aliisque, qui conſideratione plantarum delectantur, gratum fore hoc opus, certiſſime ſperamus, illudque omnibus commendamus, licet alphabeticus tabularum ordo, in vtraque parte repetitus, et prioris partis explicatio, plagularum cuſtode et paginis non cohaerens, aliquam difficultatem parere videatur; quae tamen nulla erit, cum abſoluto nunc opere et textus, et tabulae facile in ordinem redigi, et compingi poſſint.

IV.

D. IOH. CHRISTLIEB KEMME *ordentlichen Profeſſor zu Halle, und Mitglieds der Röm. Kayſ. Acad. der Naturf. Einleitung in die Medicin überhaupt. Halle im Magdeb. verlegts Carl Hermann Hemmerde* 1771. 8. 7 *Bog.*

i. e.

D. IO. CHRISTLIEB KEMME introductio in medicinam vniuerſam.

Variis diſſertationibus iam clarus KEMMIVS in ſuccincta praefatione de fine, quem ſibi praefixit, loquitur, in vſum ſcilicet academicum huncce conſcripſit libellum, quo eo explicando ſtudium medi-

cinae redderet facilius. Viam, quam alii ſunt ante ipſum ingreſſi, magis reliquit, quam perrexit. Praemiſſis tum definitione, diuiſione vsuque, diuidit tractationem ipſam in tres partes.

p. 6. Prima itaque pars de natura medicinae agens in quinque iterum diſtribuitur capita, quorum, cum ſingularia etiam a Cl. Auctore, praecipue in quarto fuerint praeſtita, dabimus nunc delineationem.

Primum caput tractat naturam, vſum, et neceſſitatem medicinae in genere. Natura vero determinatur ex obiecto docendique methodo: ſub eo ſanitatem et morbum a ſtatu ſano et morboſo diſtinguit; in hac ſcientiam medicinam eſſe oſtendit. Quo melius pateat vſus, praemittit definitionem noſtrae ſcientiae: ille vero conſiſtit in eo, vt ſanitatem praeſentem conſeruet, amiſſam reſtituat, deinde accuratiorem corporis humani exhibeat cognitionem, tum iudicium a iudice ferendum interdum determinet et tandem applicetur nonnunquam ad alia corpora animalia. Neceſſaria ideo inuenitur, quia naturae vires plerumque corruptae, vel iuſto debiliores, mortales in proſpiciendo ſuae ſanitati imperiti, reperiuntur: quod denique et ex hiſtoria, et catalogis demortuorum conferendis conſtat luculentiſſime.

p. 10. In ſecundo capite theoreticas partes phyſiologiam primum, cuius obiecta ſunt ſanitas perfectisſima, limitata, vita corporis humani, ſigna ſanitatis, vitae et mortis; deinde pathologiam, huiusque partes recenſet. In notula priori ſubiecta bene diſcernit actiones et functiones, in poſteriore definit et diuidit cauſſas, ſymptomata et ſigna, additque denique rationem, cur ſemiologia, et pathologia chirurgica ſeorſim proponantur. Progreditur nunc ad practicas, primo ad diaeteticam, cuius ſubſidium

eſt

eſt materia alimentaria: deinde ad therapiam, et, diſtinctione inter remedia medica et medicamenta facta, ad partes ab ea, ob nimium ambitum, disiunctas, ad materiam medicam puto, pharmacologiam, materiam chirurgicam progreditur. Hic ſimul definit venena, et refert ea iure ad pathologiam et therapiam generalem. Diuiſa therapia in generalem, vbi LVDWIGII therapiam laudat inprimis, et ſpecialem, hanc diſpeſcit in chirurgicam et in ſtricte ſic dictam. Chirurgia conſtat ex materia, et pathologia chirurgica, et therapia, practica eius, ad partum ſpectans, pars, dicitur ars obſtetricia. Medicina clinica eſt theoriae et praxeos medicae partium applicatio ad ſtatum morboſum, ideoque non ſingularis pars eſt: huc etiam pertinet conſultatoria. Tandem tertia praxeos pars medicina forenſis ſequitur.

Tertium caput de medicinae fontibus generalibus, experientia, ratione, vſu loquendi atque auctoritate agit: et deinde de ſpecialibus tractat, nimirum de c. h. natura, animae corporisque nexu, et indole agendique modo aliorum extra nos poſitorum. Ex quibus egregias valdeque vtiles concluſiones in fine deriuat. p. 37.

Quartum caput de medicinae certitudine, quam nemo tam acute, quam Cl. Auctor elaborauit, agens, docet, medicum ciuium ſuorum ſalutem non in incerto ponere, modos concludendi, fontes incertitudinis et limites noſtrae ſcientiae detegere. Itaque nunc ſe conuertit ad inueſtigandam certitudinem ſenſuum internorum et externorum, fidei, ratiociniorum, tandemque fontium medicinae ſpecialium. Ob occaſionem, ipſi datam, fert ſuum de medicorum erroribus iudicium. Ex his praemiſſis colligit, medicinam iure nomen ſcientiae, eius vero partes practicas tam artis, quam ſcientiae nomen promereri, p. 46.

reri, inque ſyſtema poſſe redigi. Hoc quidem adhuc eſt imperfectum; attamen non deridenda ſunt omnia ideo facta tentamina: auctor enim ſyſtematis, non prorſus ingenio deſtitutus, magis magisque ad perfectionem illud perducet. Denique diiudicat hyphotheſes in medicina.

p. 73. Quintum caput ſuccinctam hiſtoriam ortus fatorumque medicinae tradit.

p. 81. Secunda pars de medicina addiſcenda exponit, requirit Cl. Auctor primum notitiam Graecae, Latinae, Anglicae, Gallicae et Italicae linguae, deinde philoſophiam, matheſin, phyſicam. Haec vltima diuiditur ab eo in hiſtoriam et ſcientiam naturalem, illa continet zoologiam, quae ſupponit anatomiam: phytologiam, quae iterum in duas abit partes, in philoſophiam botanicam, quam Auct. theoreticam, et botanicam, quam practicam nominat, poſtea etiam continet mineralogiam. Nunc de harum ſcientiarum vſu, hiſtoriae medicinae diuiſione, auxiliatricum ſcientiarum abuſu, ordineque, quem tiro medicus in audiendis praelectionibus ſequi debet, loquitur: denique monita ſedecim valde vtilia illi tradit.

p. 95. Tertia pars de medicina facienda agens, praemiſſis huc pertinentibus definitionibus, diſtribuitur in quatuor capita.

p. 96. Primum conuenientiſſime incipit ab vſu experientiae et rationis in medicina, indeque docet, quomodo obſeruationes de corpore humano aut ſano, aut aegro, aut mortuo, porro de animalibus, medicamentis et venenis ſint inſtituendae et ratio vſurpanda.

Secundo

Secundo in capite de medici practici officiis diſſerit, generalibus et ſpecialibus, quae vltima reipublicae, aegris, ſuis collegis, pharmacopolis, chirurgis, obſtetricibus ſibique ipſi debet praeſtare. Addit hic quaedam de experientia practici vſuque theoriae in praxi, et quaeſtionem illam mouet, an theoriae peritus ſit felix practicus? poteſt quidem talis euadere, ſed ideo nondum eſt; etenim qualitates ad exercendam medicinam requiruntur, quas docet ſolus vſus, vtpote magiſter optimus. Contra practicus, theoria non inſtructus, eſt medicaſter. p. 102.

Ad tertium caput nunc deuenimus, quod de medico docente ſeu profeſſore ſimulque de lingua, in qua docendum ſit, agit: probare annititur hic Cl. Auctor, Latinam non Germanicae eſſe praeferendam. p. 108.

Vltimum denique caput quam breuiſſime tradit ſcriptorum medicorum diuiſionem, regularum fontem et linguam, quibus in conſcribendis libris ſit vtendum. p. 111.

V. Mé-

V.

Mémoires et obſervations anatomiques, phyſiologiques et phyſiques ſur l'oeil, et ſur les maladies qui affectent cet organe; avec un précis des opérations et des remédes qu'on doit prâtiquer pour les guerir. Par Mr. JEAN JANIN, Maitre en chirurgie, oculiſte de la ville de Lyon cet. à Lyon chez les freres *Periſſe* à Paris chez *P. F. Didót* le jeune 1772. 8. pagg. 474. praeter dedicationem et prooemium.

i. e.

Commentarii et obſervationes anatomico phyſiologico phyſicae ſuper oculo ejusque morbis; cum ſynopſi operationum remediorumque, iis medentium, Auctore JO. JANIN.

Si ſcripta medica, quae iudicio ac ratione conſignantur, grata nobis ſunt, ea certe non minora videntur, quae, cum ad praxin ducant, rationem bonam, ab ipſa experientia, obſeruationibus ſuperſtructa, confirmatam, produnt. Communicamus hic eiusmodi commentarium, qui, nouarum veritatum dives, concinnitate ſua atque ſubtilitate bonisque et fidis obſeruationibus plurima harum rerum ſcripta longe poſt ſe relinquit. Tractationibus ipſe, quae omnes, etſi non iuſto ordine ſequantur, oculum ſpectant, compoſitus eſt. Praemittitur tractatio anatomico phyſiologica oculi, vbi breuiter Cl. Auctor, quae a Cel. ZINNIO *) fuſius expoſita ſunt, congeſſit; nec quidquam ibi inveni-

*) Deſcript. anatom. oculi humani cet. Gottingae 755. 4. It. Comm. noſtr. Vol. V. p. 342.

invenimus, quod notatu admodum dignum ſit, niſi, quod capſulam lentis in *cryſtallo-anteriorem*, denſiorem, et *poſteriorem* teneriorem diuidat, quae in maxima ſua diametro conniveant: quodque cum aliis, qui ſedem viſus in retina ponant, conveniat.

Sermonem deinde adiecit, de neceſſitate obſeruationum, vbi, quae per ſeculum circa oculum detecta ſint, exponit, opinionesque varias phyſicorum de mechaniſmo viſus addit. Duo, cum nondum de eo plane perſuaſus ſit, inſtituit experimenta: Vitrum rubrum alteri, alteri caeruleum praefixit oculo, candelamque flammantem decem pedes a ſe remouit: illo clauſo, caerulea, hoc vero clauſo, rubra apparuit flamma; duobus apertis, violaceus erat color. Vitrum deinde caeruleum alteri oculorum praepoſuit, et vtroque aperto, in caeruleſcentem flamma vergebat colorem; nudo clauſo caerulea, clauſo armato, naturalis flammae color videbatur. Cum itaque imagines non, pro vti immediato viſus organo inprimuntur, appareant; ſed diverſae confluant, putat Noſter, confluxum hunc variorum radiorum extra oculum fieri debere: retinam inſtar ſpeculi concavi eſſe, quo radii refringantur, et vterque oculus ex axi ſua paralleli focum formet, per quem imago obiecti, obiectum ipſum inter et organon formata, tranſeat. Iam tria commentaria, quae cum duodecim ſectionibus et appendice formularum totum opus abſoluunt, ſequuntur.

p. 31. p. 38.

Agitur in primo commentario de viis lacrymalibus, ſecretione lacrymarum earumque reſorptione. Non omnes, quod plurimi anatomicorum defendunt, ex glandula lacrymali proueniunt lacrymae: maxima potius earum pars ex ductibus excre-

p. 57.

excretoriis, quos dicit, corneae exſudat; nec minorem earum copiam canales excretorii carunculae, coniunctiuae, glandularumque Meibomianarum profundunt. Hinc quoque in morbis viarum lacrymalium nihil hactenus dictum eſt de atonia vel dilatatione praeternaturali ductuum excretoriorum corneae coniunctiuaeque; nec ad glandulas Meibomianas obſtructas, cauſſam ſaepius viarum lacrymalium morboſarum, attenderunt auctores: veram denique hydrophthalmiae cauſſam, ex obſtructis canaliculis excretoriis corneae oriundae, plurimi neglexerunt. Singula iam haec perſequitur. Cel. ZINN *), partem lacrymarum ex finibus arteriarum coniunctiuae exſudare defendenti, aſſentitur quidem; ita tamen, vt affirmet, veras ibi, in ſtatu morboſo admodum conſpicuas, inueniri glandulas, vnde lacrymae quoque proueniant, id quod
p. 61. tribus obſervationibus declarat. Palpebra enim inferiore depreſſa, axique bulbi verſus ſuperiora directa; nec non linteo carpto palpebram inter et globum immiſſo, omnibusque rite abſterſis, guttarum naſcentium, ſi experimentum iuſte inſtituitur, in omni coniunctiuae ambitu magna obſervatur copia. Pori quoque coniunctivae dilatati preſentiam glandularum haud dubie teſtari Noſter putat.

p. 66. Secretionem fluidi aquei per poros corneae, a Cell. ST. YVES, PALFIN, WINSLOW cet. iam declaratam, maximam partem lacrymarum conficere, Noſter, in naturam eius, quantitatem, receptaculum eius fonteſque, vnde redundet, inquirens probat. Deriuatur humor aqueus ex corpore vitreo, duplici lamina cellulari et capſulari compoſito: haec denſior multis poris perforatur, per quos humor exſudat et in cameras deponitur; illa

*) l. c. cap. XIII. §. 1. p. 44.

illa multo rarior plurimis cellulis, ſibi invicem incumbentibus, quae lympham, a vaſis lymphaticis, ex choroidea et retina huc delatis, acceptam, verſus capſulae poros urgent, conſtat. Experimenta Cl. Auctoris, hac de re inſtituta, vlterius confirmant, quid de tunica corporis vitrei duplici, de cellulis ſibi communicantibus, de humore per poros exſudante, aqueum augente et lacrymas inde conficiente probatum velit.

Deriuatur porro ex lente cryſtallina, et quidem humore iſto viſcido limpido, qui capſulam inter et lentem ipſam colligitur: deponitur iſte continuo in cameram poſteriorem: vt inde ſponte ſequi putet, humorem hunc per omnem bulbi ambitum copioſius exſudare, eumque maximam partem lacrymarum conſtituere, id quod exemplis quibusdam magis illuſtrat. Glandula vero lacrymalis, cum omnibus, hactenus expoſitis, fontibus comparata, multo minorem lacrymarum effundit copiam. Ex caruncula porro lacrymali, quam ex plurimis minoribus glandulis, tunica incluſis, ductibusque ſuis excretoriis compoſitam vidit, humor ſebaceus, cerumini aurium haud abſimilis, et cum lacrymis confluens, exſtillat: hinc cum eo, ex glandulis Meibomianis exſudante, partem lacrymarum conſtituit, coniunctiuamque ab acredine defendit; minime vero, quod plurimi credunt, iſte humor aggerem facit, quo lacrymae, fines ſuos excedentes, in faciem defluere impediantur. Lacrymarum, per viginti quatuor horas duas vncias ſecretarum, aliae abſorptae in ſaccum lacrymalem defluunt, aliae euaporant. Cucurbitula enim vitrea, ne aer atmoſphaericus accederet, oculo applicata, roridum vaporem in parietibus eius internis obſeruauit, qui in guttas ſenſim confluens per horam dimidiam ad viginti vel viginti quinque guttas aſcenderet:

p. 80.

p. 93.

ſacco porro lacrymali aſſidue expreſſo, lacrymarum inde per horam vnam et dimidiam triginta circiter, vel triginta quinque collectarum habuit grana, quae cum euaporatis drachmam efficiunt, et hae in viginti quatuor horis ad ſedecim adſcendunt.

p. 97. Ad receptacula lacrymarum iam Cl. Auctor deueniens in puncta lacrymalia primum inquirit. Papillulam (*mammelon*) aſcendentem deſcendentemque in vtroque obſeruauit, figuramque addit, qua, apertura palpebrarum maiori minoriue, di-
p. 103. rectio punctorum varia conſpiciatur. Cum vero haec orificia iam dilatata, iam contracta vel clauſa videret, ſphincterem ibi quendam, quo, ſi irritantur, claudantur, defendit; quem exemplo illuſtrat, vbi, poſt exulcerationem tarſorum profluuium lacrymarum ſequebatur. Noſter oculum perluſtrans puncta dilatata, nec vllo ſtimulo ſe contrahentia obſeruauit, vt inde ſuſpicaretur, ſphincterem hac exulceratione deſtructum fuiſſe. Cum in canali lacrymali quoque motum vermicularem, quem ad ſaccum vsque continuatum ſuſpicatur, perſpiceret, probabile Ipſi videtur, muſculares in ſacco lacrymali adeſſe fibras, quae in medio eius ſphincterem, ſaccum iuſto tempore contrahentem dilatantemque, forment. Sic in canali quoque naſali ſphincterem, a Cel. LE CAT ſub nomine *ligamenti tendinei* iam deſcriptum, aſſumit; nec ab ipſo hac in re diſſentit, niſi, quod fibras ibi muſculares defendat. Ex variis enim rebus patet, lacrymas in ſacco per tempus, prouti vrina in veſica, retineri; quod vero ſine ſphinctere in canali naſali fieri non poſſet. Cum itaque ſaccus lacrymalis plenus ſit, veſicae vrinariae ad inſtar ſe contrahit, ſphincterem canalis naſalis ſoluit, lacrymasque ita verſus nares propellit: ſub qualibet quoque emunctione narium

aer

aer atmoſphaericus ſine ſphinctere in ſaccum lacrymalem intrat. Phaenomena reliqua, in obſtructione canalis naſalis, quam ſaepius falſo accuſent, oboriunda, inquirens ex ſphinctere hoc, male affecto, explicat: ſic enim morbus, obſtructione ſtilo, vel filo traiecto ſublata, ſaepius redit. In hoc itaque ſtatu ſphincter iſte iuſto ſtrictior relaxari debet. Viis lacrymalibus, in cadauere disquiſitis, canalis p. 114. naſalis mediam partem conſtrictam detexit, et in hac aeque, ac ad puncta lacrymalia circulares; in reliqua vero via longitudinales vidit fibras: Sacci lacrymalis ſuperior pars multis paruulis gangliis, quae poſt macerationem glandulas detexit, obſita erat, ex quibus humor flaueſcens exprimebatur, quem acriorem factum, ſphincterem ad maiorem contractionem ſtimulare putat; malamque interdum harum glandularum diſpoſitionem ſolam fiſtulae lacrymalis cauſam eſſe, probabile videtur. Vel, quod ſaepius fieri putat, humor iſte acrior parietes internos arrodit, exſudat et defluit, quem ex colore flaveſcente, puri non abſimili, falſo ex vlcere interno deriuant, et ad fiſtulam lacrymalem transferunt.

Mechanismum lacrymarum reſorptarum ex le- p. 130. gibus hydraulicis declarat, ita, vt vias lacrymales cum antlia (*pompe aſpirante et foulante*) comparet, et reſorptionem ita explicet. Sub qualibet enim palpebrarum actione ductus lacrymales ex fibris ſuis longitudinalibus prolongantur, puncta lacrymalia cum papillulis emergunt, dilatantur, et diriguntur verſus canthum internum, ibique in lacrymas collectas immerguntur: retractis palpebris, quaelibet papillula cito retrahitur, clauditur, lacrymasque ad inſtar piſtilli in ſiphone porro vrget: conſpirat cum iſta actione motus vermicularis, vt ita lacrymae in ſaccum lacrymalem ducantur: iam hic

plenus, ſe contrahens, lacrymas in canalem naſalem premit, ſphincterem ſoluit, vt lacrymae exinde verſus nares defluant. Lacrymarum huc ductarum partem per choanas narium in ventriculum deſcendere, digeſtioni inſeruire, quid? quod per ipſas venas lacteas abſorberi, humorumque circulo tradi putat.

p. 137. Capſulam lentis cryſtallinae in altero commentario ita Cl. Auctor examinat, vt primo demonſtret, lentem ſola et vna tunica circumdari, capſulam porro membranis hyaloideae et retinae contiguam tantum eſſe, eamque ex duobus hemiſphaeriis, in maxima ſua diametro ſibi contingentibus *) componi: quibus denique obſeruationes et monita practica adiungit. Saepius iam obſeruatum eſt, opacitatem lentis nunquam ad tunicam hyaloideam vsque continuari: et ita ex eo iam patet, tunicas has ſibi non continuas eſſe. Si porro capſula cum obtuſo inſtrumento ab humore vitreo proceſſibusque ciliaribus ſeparatur, glabra eius ſuperficies in conſpectum venit, nec vllam disruptionem prodit,
p. 143. vnde ſuſpicio continuitatis naſci poſſit. Patet hoc quoque ex hyaloideae minori craſſitie et firmitate, qua intra digitos multo facilius, quam capſula, poſſit conteri. Si denique bulbus per aliquot dies in ſpiritu vini maceratur, capſula plane obſcurata, hyaloidea vero pellucida apparebunt

p. 148. Vidit Cl. Auctor cataractam in pluribus operationibus ſubito propulſam: ex quo coniicit, capſulam, ab omni adhaeſione cum partibus vicinis liberam, compreſſioni humoris vitrei, oſcillationique proceſſuum ciliarium, deficiente iam humore aqueo, ceſſiſſe, viamque per corneam apertam ſecutam eſſe. Vidit porro, qui ex cataracta connata, vel

*) vide ſupra p. 239.

vel poſtea ea adfecti coeci eſſent, qui poſt percusſionem aliquam totius corporis, viſum ſtatim recuperarent; quod vero ex ſoluta capſula a partibus adhaerentibus, quae ſimul cum lente in cameram poſteriorem hac vi prolapſa ſit, tantummodo declarari poſſe putat. Cum etiam haud raro fieri ſoleat, vt capſula ſimul cum lente obſcuretur, quod et Ipſe ſaepius obſeruauit, ſuadet, vt in operatione capſula non diſciſſa ſimul cum lente extrahatur. Vidit enim, lente extracta, capſulam anteriorem p. 166. opacam relictam eſſe, quae viſum turbaret; hac vero quoque extracta, viſum reſtitutum eſſe.

Capſulam ante et poſt operationem cataractae p. 174. obſcurari putat, idque vel ex humoris MORGAGNII deprauatione, ſeu obſtructione vaſorum capſulae, vel ex percuſſione bulbi, aut ex inciſione, in operatione cataractae iuſto minore, vt inde lens tranſiens anguſtiam nimis extendat, irritet vel laedat, fieri poſſe aſſerit. Suadet ergo, vt cyſtotomus Cel. LA FAYE paullo amplior ſit, quo eo maior in capſula fiat inciſio: cum quoque ſaepius cuſpis cyſtotomi in vagina ſua obtuſior reddatur, bene attendendum eſt, ne, cum capſula anterior admodum interdum firma ſit et coriacea, cuſpis dehiſcat, neque inciſio, quam tamen ſupponimus, facta ſit.

Agit Noſter in tertio commentario de pupilla p. 177. clauſa. Vitium eiusmodi connatum, quod Cel. CHESELDEN *), communicauit, Cl. Auctor nunquam, ſed ſemper per morbum inductum obſeruauit. Accidit enim ſaepius, vt, poſt operationem cataractae, vel etiam per grauiorem inflammationem pupilla claudatur, et cum obſcuratione et accretione capſulae lentis ad iridem coniuncta ſit.

 Emen-

*) Mem. de l'academ. de chir. Tom. III. H. p. 115. vid. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 199.

Emendationem eius in variis aegris ex methodo Cheſeldiana tentauit; ſed pupillam artefactam paucis diebus poſt denuo concretam vidit: cuius quidem cauſſam paulo poſt in fibrarum radiatarum longitudinali diſciſſione detexit. Cum enim caſu radiatas has fibras verticaliter diſcinderet, vulnus poſtea non clauſum, ſed motum ibi, pupillae contrarium, obſeruauit. Qua de cauſa deinde, in pupilla artificiali reddenda, fibras has verticaliter diſcindens meliorem habuit effectum, ita, vt, quamuis fibrae circulares pupillae immobiles eſſent, vulnus ſtatim dilataretur, cum fibrae radiatae nunc
p. 194. contraherentur; hae vero in atrophia oculi non ſtrictae ſunt, verticali tamen diſciſſione haud contrahuntur, et vulnus concreſcit: in tali caſu operatio nulla. Cum et hactenus Noſter inciſionem verſus angulum maiorem feciſſet; iam in aegra eam verſus internum inſtituit, bono quidem euentu, ſtrabismo tamen relicto, quem ex axi vtriusque bulbi antea conſpirante, iam vero diuergente, ex-
p. 202. plicat. Pupilla artificiali iuſto maiore facta, aegra in lumine clariore nihil vidit; quod tamen vitium charta papyracea nigra, foramine in medio inſtructa, oculo in lumine clariore applicata, emendauit. Accidit interdum, vt ſuppuratio tamen viſum turbet; quod vero iuſta prophylaxi et methodo me-
p. 204. dendi cauetur. Methodum Cheſeldianam, etſi Noſter hoc vitium a mala conformatione interdum oriri concedat, non probat; cum ſemper fere obſcuratio lentis capſulaeque eius cum hoc vitio coniuncta eſſe ſoleat; ad quas tamen acus Cheſeldiana non pertingat: vt ergo, pupilla quamuis artificiali reddita, denuo inciſio ad extrahendam cataractam ſit inſtituenda.

Sequuntur

Sequuntur iam obſeruationes variae, quae tamen omnes oculum morboſum ſpectant. Continet ſectio prima octodecim obſeruationes ſuper cataracta ſimplici et complicata, et plerumque feliciter curata. In connata cataracta lentem oſſeam ex- p. 207. tractam vidit: myops alia poſt ſeptuageſimum annum cataracta in vtroque oculo afficiebatur; coecitas et myopia poſt operationem ceſſarunt: altera cataracta paucis annis poſt feliciter quoque extracta, obiecta duplicia ſibi repraeſentabantur; ſed et hoc vitium iuſto regimine emendatum eſt. Opacitatem p. 250. Noſter ſaepius in oculo poſt operationem relictam vidit, quam *cataractam ſecundariam* vocat, et ex obſcuritate capſulae, vel ex muco lentis, in capſula poſt operationem relicto, deriuat. Definitur illa ex colore lacteo, haec flaueſcente, cum ſuperficie ſaepius inaequali. Si mucus iſte difficile vel plane non diſſolui poteſt, operatio ſtatim inſtituatur, ne ad parietes capſulae deductus ophthalmiam haud leuem, vel eius ad iridem adhaeſionem producat; priorem vero ſpeciem diſcutientibus tollere ſuadet, quippe quae bono ſuo effectu hic admodum ſe commendant; his vero non ſuccedentibus, cornea denuo aperta, capſula eximenda eſt. Vtramque ſpeciem exemplis, vbi eas obſeruatas curauit, illuſtrat. Cataractae quinque ſpecies Cl. Auctor defendit: Primo enim ſola lens obſcurata ſaepiſſime occurrit; p. 268. color et conſiſtentia eius variant: in iunioribus lacteus et mollis; flauus in adultioribus, niger, dura vel etiam oſſea, quam plerumque percuſſio bulbi ex ictu producere ſolet. Deinde opacitas lentis cum obſcuratione humoris MORGAGNII et capſulae cryſtallinae coniuncta eſt, lente ſolida, liquida interdum, quam quidem obſeruatio ſecunda teſtatur: Tum ſola pars anterior capſulae obſcurata eſt, interdum cum opacitate lentis coniuncta: porro

 tunica

tunica hyaloidea opaca quartam ſpeciem, auctore et obſeruatore ST. YVES *) offert: Tandem humor MORGAGNII obſcuratus quintam ſpeciem tradit.

p. 270. In qualibet vero operatione, quamuis varie debeat inſtitui, id bene attendatur, vt duae tertiae corneae diſcindantur, capſulaque iuſto modo aperiatur, ne preſſione bulbi magna ad vrgendam lentem opus ſit; ſi vero poſt operationem obſcura quaedam macula poſt pupillam obſeruetur, eam ex muco lentis, vel vitiata capſula lentis naſci dictum eſt: vbi in primo caſu leni preſſione vel inſtrumento corpus peregrinum eximatur; in poſteriore capſulae plerumque anterior pars obſcurata forcipe, vel, quod difficilius vide-
p. 274. tur, forfice abſciſſa educatur. Ex malo euentu, quem aegri, cum oculum iuſto citius radiis ſolis, iisque viuidioribus exponerent, habuerunt, putat Noſter, oculum ante decimum poſt operationem
p. 278. diem non aperiendum eſſe. Concedit Cl. Auctor, maculas corneae, quas LEMERY **) *cataractam externam* vocat, interno vſu cort. Peruu. diſcuti poſſe; veram vero et confirmatam cataractam vllis medicamentis, vel ipſo cort. Peruu. quo Cl. HEBERDEN ***) eam curaſſe affirmat, tolli negat. Vaſa enim lentis ſunt minima, eorumque tunicae tenerrimae: oſcillatio eorum vix conſpicua, iisque ſemel obſtructis, motus ſyſtalticus nullus; impetus potius humorum verſus obſtructionem rupturas vaſorum, effuſionemque fluidi obſtructi producat neceſſe eſt. Ex quibus patet, ſtagnationem lymphae

*) vid. EIVSD. Traité des maladies des yeux.

**) vid. Pharmacopée univerſelle. Vol. I. edit. quint. 4. p. 113.

***) vid. Journal de médécine du mois Aout. 1769. p. 102. v. Comm. noſtr. paulo infra.

phae obſtructae lentis in vaſis Zinnianis, quae non negat, nullo medicamento interno reſolui poſſe.

Agit in ſectione altera de fiſtula lacrymali ſimplici et complicata, et Cel. PETIT in eius cauſſarum ſcrutinio, paucis mutatis, ſequitur. Vel enim glandulae Meibomianae morboſae humorem ſecernunt, ſphincterem canalis naſalis ad contractionem maiorem irritantem, quod et de humore, ex glandulis ſacci lacrymalis excreto, valet. Interdum vlcus ſacci lacrymalis eundem effectum producit: vel maior laxitas ſacci hydropem eius generat: vel denique tumor in partibus adiacentibus, ex obſtructione humorum, vel exoſtoſi oſſis vnguis, aut apophyſéos coronalis oriundus, vias lacrymales coanguſtare vel plane claudere poterit. Definit Noſter primam ſpeciem ex minori copia materiae, paucis lacrymis commixtae, expreſſae, ex ſacco lacrymali non ita valde tumido, ex marginibus palpebrarum craſſis, duris inuerſisque, nec non ex vaſis coniunctiuae, potiſſimum palpebrae inferioris varicoſis, et lippitudine chronica. Si vero glandulae ſacci lacrymalis vitiatae in cauſſa ſunt, ſaccus lacrymalis magis tumidus conſpicitur, materia exinde expreſſa craſſior, varii coloris et cum lacrymis commixta eſt, marginibus palpebrarum coniunctiuaque ſanis. Tumor partium vicinarum, vt cauſſa fiſtulae lacrymalis, inde cognoſcitur, ſi ſaccus lacrymalis expreſſus tumiditatem quandam retinet, materiaque expreſſa per puncta lacrymalia aeque, ac per nares egreditur: exoſtoſis ita differt, vt tumor magis durus et inaequalis appareat: hydrops ſacci lacrymalis ex materia non purulenta, ſed limpida egrediente indicatur. Exulceratio ſacci lacrymalis non, niſi poſt vulnera, contuſiones,

p. 285.
p. 289.
p. 294.

interdum ex miaſmate venereo, cancroſo cet. oritur. Verum denique pus flaueſcentis, viridis coloris malique odoris eſt; cum materia purulenta ex glandulis ſacci lacrymalis albida appareat. Iam diagnoſi hac ſtabilita, quatuordecim obſeruationibus eas illuſtrat, quae ex humore glandularum ſacci lacrymalis peruerſo, vel ex conſtrictione ſphincteris canalis naſalis, vel denique ex relaxatio-
p. 299. ne ſacci lacrymalis cet. oriundae ſunt. Puella cacochymica lippitudine chronica ex polypo, in ſacco lacrymali nato, per canalem naſalem transeunte et ex nare dextro propendente oriunda, laborauit: Sacco lacrymali diſciſſo, polypoque eradicato et per nares depreſſo, ſetaceum Noſter, ne caro fungoſa excreſceret, per amplum admodum canalem traiiciens vulneri linteum carptum, aqua mercuriali madidum immittebat: paullo poſt polypo recrudescente, lapide infernali eodem euentu vſus eſt: meliore poſtea oleo camphorae, ita, vt polypus non amplius appareret, canali quidem iuſta magnitudine reſtituta, oculo tamen illacrymante relicto.

p. 331. Pertractat Noſter in ſectione tertia chemoſin, quam ab ophthalmia ſic diſtinguit, vt in illa coniunctiua admodum tumida margines palpebrarum retrahat, palpebrasque a ſe inuicem diducat, vt cornea quaſi occulta videatur; in hac vero ſola inflammatio coniunctiuae, interdum obſtructio vel tumor palpebrarum cum copioſa ſecretione lacrymarum appareant. Luxuriantem partem coniunctiuae Noſter abſcidit, cum chemoſis ex metaſtaſi anginae orta eſſet; vbi ex ſuppreſſione menſtruorum ophthalmia nata erat, iisdem ex applicatione hirudinum ad labia pudendorum reſtitutis, aegra ſanata eſt.

Sectio

Sectio quarta obſeruationes de vlceribus corneae continet. Benigna ea, pellucida; maligna vero flaua, opaca et dolorifica ſunt. Cognoſcitur vlcus, ſi bulbus, verſus horizontem fixus, et a latere inſpectus, ſuperficiem corneae inaequalem, excauationibus plus minusue profundis conſpicuam, oſtendit. Ex vlcere profundo alba cicatrix, ex ſuperficiali griſea relinquitur: cicatrices hae curationem non admittunt, et ita a pterygio ſ. panno differunt, quippe quae iuſtis remediis cedunt. In vlcere benigno topica applicat; in maligno internis quoque opus eſt. Sic cort. Peruu. cum ex deprauata maſſa humorum vniuerſa vlcus, quod oculum ſiniſtrum occuparet, corneam obturaret, palpebras, nares totamque faciem tumida redderet, ortum eſſet, optimo cum effectu vſus eſt. p. 345.

Agit Cl. Auctor in ſectione quinta de relaxatione et atonia palpebrae ſuperioris cum bulbi corruptione complicata. Rariſſime hunc morbum, contra plurimos auctores, ex paralyſi oriri defendit: ſaepius eum ex relaxatione et praeternaturali prolongatione cutis palpebrae, vel ex conuulſiua contractione eius ortum vidit. In hoc caſu palpebra rigida et immobilis; in illo mollis eſt et cedit. Comprehendit Noſter, ſi ex ſola relaxatione oritur, cutem ſuperfluam cum forcipe, ſectioneque transuerſali abſcindit; monet vero, plus cutis verſus angulum minorem, quam maiorem abſcindendum eſſe, ne palpebra inaequaliter ſe claudat, muſculisque parcendum eſſe. Si vero ſpasmus in cauſſa eſt, pediluuiis et collyriis vtitur. p. 357.

Pertractatur in ſectione ſexta phtoſis cum laeſione bulbi complicata Eſt ea reflexio tarſorum introrſum, vt inde cilia male dirigantur: ex quarum p. 367.

rum deinde frictione dolores, inflammatio coniunctiuae, pterygia corneae, vlcera, quid? quod ipſa coecitas oriuntur. Differt ab ea diſtichiaſis, rariſſimus morbus, in qua cilia duplicia, extus alia, alia intus conſpiciuntur: quam Noſter non obſeruatam hic omittit. In phtoſeos vero cura id attendit, vt marginum palpebrarum iuſtam reſtituat directionem: eum in finem cutem palpebrarum ſuperfluam forfice reſecat, vulnusque emplaſtris glutinantibus, vel ſutura cruenta claudit. Accidit Ipſi, vt, cum cutim iam comprehendiſſet, aegra meticuloſa caput ſubito retraheret, vnde palpebra valde agitaretur extendereturque, vt etiam operationem differre cogeretur: quatuor diebus poſt iuſtam et naturalem conditionem palpebrae reſtitutam laetus vidit: id quod poſtea ex conſilio, bono cum euentu inſtituit, cuius quidem cauſſam reddere nequit.

p. 375. Agitur in ſectione ſeptima de ectropio. Palpebrae ex tumore earum extrorſum reflectuntur, cuius cauſſam Noſter ex deprauatione lymphae, ex diſpoſitione ſcrophuloſa, vel ex metaſtaſi ſeu obſtructione glandularum Meibomianarum vel ſacci lacrymalis deriuat. Tumorem Cl. Auctor abſcindit vel diſcutit, id quod priori praeferendum eſſe iudicat: vtramque methodum exemplis illuſtrat.

p. 389. Iam ad ſtaphyloma Noſter in ſectione octaua accedit. Oritur hic tumor, ſi poſt vulnus, corneae inflictum, vel vlcus corneae, iris vel tunica humoris aquei prolabuntur; ſed ex vlcere in ſuperficie interna corneae et ſcleroticae ſtaphylomatis ſpecies oriuntur, eleuatione praeternaturali partis corneae vel ſcleroticae conſpiciendae. In hac cornea transparens manet; in illa coecitas plerumque adeſt.

Exſtir-

Exſtirpationem aeque, ac compreſſionem tumoris improbat. Cum malum inciſioni rariſſime cedat, p. 394. butyro antimonii Noſter optimo cum ſucceſſu vſus eſt: parua enim eius portione tumorem ſemel quotidie vel alternis diebus tangens poſt quamlibet applicationem oculum cum lacte tepido eluit, et ſaepiſſime poſt tertiam applicationem ſtaphyloma euaneſcit. Stimulando hic hoc medicamentum, non rodendo agit, nec eſcharam relinquit: parum enim applicatur, lacrymaeque affluentes acrimoniam inuoluunt, cauſticamque vim infringunt.

Sectio nona nouam methodum hypopyum p. 405. curandi offert. Cum diſcuſſio in hoc morbo inciſioni et euacuationi materiae ſemper ſit praeferenda, remedia, ab aliis hunc in finem commendata, Noſtro non ſatisfaciunt. Certum et tutum ſemper decoctum florum maluae expertus eſt: hoc enim decocto ſaepius de die oculum lauans per interualla faſcia comprimente, hoc decocto madida, eum obtegit, vbi poſt decimum tertium vel quartum diem materiam ſemper diſcuſſam vidit.

Offert nobis ſectio decima iridis, choroideae p. 415. contiguae, ſeceſſum. Docuerunt hactenus fere omnes anatomici, iridem choroideae continuationem; cuius vero contrarium Cl. HOIN *) detegens probauit. Is enim in pluribus cadauerum oculis iridem leuiſſima quidem tractione plane a choroidea ſeparatam vidit: id quod et obſeruationibus in viuis confirmatum habuit. Cui Noſter aſſentitur, duobusque exemplis contiguitatem iridis cum choroidea illuſtrat. Virgini ex vlcere cor- p. 420. neae iris prolapſa ſtaphyloma produxit, nec a cicatrice poſtea, ſtaphylomate euaneſcente, ſeparari potuit:

*) vid. mémoires de l'academie des ſciences de Dijon an. 1768.

potuit: coecitate relicta, doloribus ſemper fere magnis perceptis, ſubito iam, cum in variis partibus iridis ſuperioribus ſeceſſus fieret, ceſſantibus, quinque hae pupillae artificiales viſum aegrae quodammodo reſtituebant: dilatabantur hae contrahebanturque non per radios ſolis, ſed ſola directione axis bulbi: ea enim verſus inferiora fixa, diameter earum minima erat, verſus horizontem maior, et verſus ſuperiora maxima.

Pertractatur in ſectione vndecima motus iridis in
p. 425. confirmata coecitate ſuperſtes: in ea enim pupillas, ex varia radiorum lucis applicatione contractas dilatatasque ſe obſeruaſſe duobus exemplis monſtrat: cuius cauſſam in iridis cum choroidea contiguitate ineſſe autumat. Nam iris, nerueo muſcularis tunica, neruos ex ganglio lenticulari accipiens, in paralyſi nerui optici non afficitur; quod vero in gutta ſerena fit.

p. 429. Obſeruauit tandem Cl. Auctor, qui ex habitu externo bulbi myops videretur, quem tamen vitro conuexo (*mi - cataracte*) vti oporteret: qui ideo ei, cui cataracta extracta eſt, haud abſimilis fuit. Cauſſam huius phaenomeni in lente denſiore et plana quaerit.

p. 435. In appendice formularum, in morbis oculorum adhibendarum, compoſitionem, vſum et methodum adhibendi exponit. Emendatum e. g. extractum ſaturni apponimus. Rp. Lithargyr. libr. vnam; acet. vini opt. libr. duas. M. coqu. ad pultis conſiſtent. Inſtill. ſenſim aquae feruid. libr. ſedecim; perpetuo agitentur. Stent per viginti quatuor horas in loco frigido; decantentur. Quatuor huius medicamenti guttas in ſpiritus vini camphorati guttas tres, et aquae fontan. vnciam vnam inſtillat, oculumque lauat. GOVLARDI extractum hoc multo minus eſſe contendit.

VI. Noui

VI.

Noui commentarii ſocietatis Regiae ſcientiarum Gottingenſis. Tom. I. ad a. MDCCLXIX et MDCCLXX. Gottingae et Gothae, apud Ioan. Chriſt. Dieterich. 1771. 4. tabb. aen. 12. pagg. 402. Tomus II. ad a. MDCCLXXI. ibid. 1772, pagg. 385. tabb. aen. 10.

Cum variis impedimentis inſtitutum commentariorum ſocietatis illuſtris edendorum interruptum eſſet: ſocietas conſtituit nouorum commentariorum inſcriptione tractatus Cll. Sodalium publici iuris facere, quorum primos tomos hic Lectoribus indicamus. In praefatione Cl. HEYNE, qui ſocietati eſt a ſecretis, fata ſocietatis enarrat, mutationesque ſodalium eorumque numerum integrum; in qua etiam legimus commentationes, nondum a ſodalibus ſocietatis ſigillatim editas, proprio volumine editum iri, eodemque modo commentaria, patrio ſermone conſcripta, vulgari. Quilibet tomus in partes duas diuiſus, in prima continet, commentationes phyſicas ac mathematicas, in altera hiſtoricas et philologicas. Nos, miſſis iis, quae a noſtra inſtituti ratione alienae videntur, indicabimus earum ſummam, quae ad phyſicam claſſem propius ſpectant.

Harum in numero eſt in primo tomo

I. ALBERTI DE HALLER *commentatio de plantis pabularibus nuperorum* *). Duas claſſes plantarum ad pabulares refert Ill. Auctor, papilionaceam Tom. I. p. 1.

*) praelecta d. 9. decembr. 1769.

ceam et gramineam, earumque hiſtoriam hic reddit cum botanicam, tum oeconomicam, vt oeconomis certo conſtet, quas plantas colant, vel colere iubeantur. Quare etiam in plerisque addit nomina patrii ſermonis. Ex gramineis primo recenſet *Phleum pratenſe* LINN. monetque, diligenter illud in re oeconomica eſſe diſcernendum a *nodoſo* et *alpino* LINN. multoque accuratius pro agricolis plantas diſcerni oportere, quam pro botanicis, cum etiam varietates agricolis vel plures, vel minores reddant reditus. Alterum gramen eſt de *Poae* genere, (*Birdgraſs*) nouiter ex America allatum, proximum *Poae anguſtifoliae* LINN. Princeps ei laus eſt, radiculis fere ex ſingulo nodo luxuriare, quae in proprios culmos conualeſcant: hinc magnum foeni pondus, quo omnia alia gramina ſuperet, reddere. Tertium gramen eſt *Lolium perenne* LINN. (*Raygraſs, Graslauch*), cuius plures ſunt varietates, diligenter attendendae; neque tamen huic gramini multus eſt vſus. *Auenam elatiorem* LINN. ideo laudant, quod decem integris annis ſuperuiuat: in Heluetia tamen non colitur, videturque Ill. Auctori durum, gracile et praecox gramen. Alia gramina ad pabulares plantas non refert.

p. 11. Primam et antiquiſſimam alterius claſſis dicit Ill. Auctor, *Medicaginem ſatiuam* huicque addit, *lupulinam* et *falcatam* LINN. quarum priorem, cum ter quaterue deſecari poſſit, pabulum ſat copioſum, inflans tamen et pene nimis luxurioſum dare putat: praeterea etiam terram radicibus complicatis impedire, quo minus aratro ſubigi queat, neque ſiccari poſſe; poſteriores vix ſumtus culturae reddere. Ex trifoliis huc refert *Trifolium pratenſe*, *hybridum*, *fragiferum*, *agrarium*, et *ſtellatum* LINN. Pratenſe optimum pabulum frequentiſſimumque

mumque eſſe conſtat; vaccis tamen praeſtare et equis, idque vitii habere, quod vtraque inflet, ſi ſibi indulſerint: adipem etiam potius augere, quam lac. Hybridi vitium eſt, quod annuum ſit. Fragiferum et agrarium in Anglia potiſſimum colitur, diciturque prius in Hibernia ad ſeptem pedes ſe extendere. De ſtellato id monet Ill. Auctor, quod fertilitatem terrae non minuat, praecipue ab equis ametur, qui vires inde acquirant; videtur tamen Ei vix ſumtus redditurum.

Affert Ill. Auctor ex plantis papilionaceis, quae foliis ſunt pinnatis, *Hedyſarum Onobrychidem* LINN., quod *Esparſette* dicunt: illudque ceteris, pabulo deſtinatis, plantis omnibus praeſtare exiſtimat. Omne enim ſolum tolerat, diu durat, vt ad quadrageſimum annum ſuperſit. Siccatio curam exigit: cauendum enim, ne folia delabantur, ac ne absque ſale aut intermiſto ſtramine in horrea condantur. Cultus eius facilis eſt. Huc addit *Hedyſarum alpinum* et aliud, quod *coronarium* LINN. eſſe videtur. De viciis nihil profert. *Coronillam* vero *variam* LINN. diffundentibus magnisque ramis, ſi colatur, praeditam, oeconomiae vtilem fore coniicit: tentanti tamen non ſucceſſit, cum ſemina male maturentur. *Robiniam pſeudo-acaciam* LINN. aliasque arbores in foliis nutrimentum praebere addit. Suadetque, ſi ex papilionaceis aliqua planta coli debeat, vt *Orobus luteus* LINN. coletur, cuius, cum nulla icon proſtet, addit deſcriptionem. Praeter has duas herbarum pabularium claſſes, in eundem finem coluntur *Spergula aruenſis*, et *Poterium Sanguiſorba* LINN. Potiſſimum virides plantae pabulo ſeruiunt; ex poſteriore tamen et foenum fit, equis non ingratum. Huc etiam referri poſſe exiſtimat Ill. Auctor *Iſatidem ſatiuam*, *Rubiam tinctoriam*, atque *Alchemillam*.

p. 19.

p. 29.

p. 30. 2. EIVSDEM *commentatio de vento Rupenſi* *) Cum Ill. Auctor *Rupe* ſex integris annis vixerit, ventum, qui illic ſolennis erat, ſollicite, exſtructo in libero loco proprio theatro, obſeruauit, atque hic, praemiſſa loci deſcriptione, tabulas, quae venti tempeſtatumque varietatem indicant, proponit. In aula Rupenſi ventus hic frequenter regnat, incipitque a hora nona matutina, vt ſenſim eius vires intendantur: deinde a quarta pomeridiana ſenſim iterum exſpirat, vt noctes absque vento calidiſſimae ſequantur. Ex tabulis, per octo menſes continuo annotatis, apparet, ventum plerumque ex boreali plaga flare, et ſerenum coelum cum eo conſpirare; dari etiam, vbi turbidum ſit, aut pluat.

p. 41. Cauſſam phaenomeni deriuat Ill. Auctor inde, quod anguſta vallis pateat inter boream et occidentem, montesque ad orientem et auſtrum poſiti reliquos auertant ventos. Ratio, cur certis diei horis ſpiret, in ſole poſita eſt, qui aerem rarefacit, et ita frigidior borealis in rariorem ſe diffundit. Idem ſtatus ventus dominatur in valle Vrienſi; in Valeſia vero Eurus vel Fauonius ſpirant, vel plena eſt ventorum quies. Hinc coguntur incolae per aeſtatem in montanis degere locis. Frequens ibi, Octoduri etiam frequentior eſt fatuitas. Plurimique homines ibi miſere viuunt, ſtrumisque et inertia totius corporis infeſtantur, vt etiam a collectarum foecum in inteſtino recto mole moriantur. Dubitat, an ſolis aeſtus ſit vna cauſſa, quem conferre quidem concedit; neque aquis eam tribuit, cum ſint puriſſimae.

Ex

*) prael. d. 8 dec. 1770.

Ex Tomo ſecundo ad nos pertinet. T. II.

1. ALBERTI DE HALLER *ad figuram nervorum cordis lateris ſiniſtri Cl. Iuuenis* ANDERSCHII, *diſcipuli ſui diuinatio* *). Prouulgat hic Ill. Auctor iconem neruorum cordis, quos Cl. ANDERSCH perſequendos olim commiſit. Qui multo labore eos disquiſit, et tabulam a *Kaltenhofero* pingi curauit. Poſtea vero, ſcripta iam diſputatione, infelici morbo Cl. ANDERSCH mentis liberum vſum amiſit. Ill. HALLERVS igitur hanc egregiam tabulam noluit perdi, ſed, cum diſputatio ipſa interiiſſet, quae delineata ad corpus humanum ſunt, et litterarum ſenſum deſcriptionibus expreſſit, et multa emendauit, litteras resque ipſas cum tabula comparans. Ipſae vero horum neruorum ramificationes a nobis hic non nominari poſſunt, ſed Lectores ad ipſam ſunt amandandi iconem. p. 1.

2. *De hodierno more examinandi aquas minerales, nondum ab omnibus erroribus ac commentis repurgato, commentatio*, Auctore RVD. AVG. VOGEL **). Primo neceſſarium eſſe affirmat, vt fontium medicatorum disquiſitio in ipſo ſcaturiginis loco inſtituatur, vt aquam accipias omnibus ſuis particulis conſtitutiuis praeditam, poſſisque de grauitate ſpecifica recte iudicare; ad quam determinandam etiam requiratur, vt cum eadem ſemper aqua fontana, cruda, fons medicatus comparetur. Tum oſtendit, non ineſſe eas particulas aquis medicatis, quas hactenus aſſumſerunt doctiſſimi viri. Negat enim ineſſe iis vitriolum martis, cum poſt euaporationem eiusdem nihil reperiatur; ſed colorem nigrum deriuandum dicit, ex martialibus p. 21.

 et

*) miſſa ad ſociet. d. 14 aug. 1771.
**) praelecta d. 5 ian. 1771.

et vitriolico ſpiritu, ſeparatim in aquis his contentis, ſaleque vel amaro, Glauberiano ſimili, vel communi, vel vtroque. Id quod experimentis, quae inſtituit Cl. Auctor, comprobatum habet.

p. 21. Poſtea non concedit Cl. Auctor, ineſſe aquis mineralibus ſal alcali minerale, cum ſolutiones vitrioli martis, et veneris, itemque aluminis et ſacchari ſaturni, omnes aliis ſalibus, culinari et mirabili Glauberiano aeque, atque a ſalibus alcalinis praecipitetur. Nec ſyrupi violarum coeruleus color, mutatus in viridem, neque efferueſcentia fontis mineralis cum acidis, alcali adeſſe probant: prius enim a particulis vitrioli martis conſtitutiuis coniunctis; alterum a terra alcalina, aquis inhaerente, dependet. Vt ſalis alcalini praeſentia demonſtretur, requiritur, mercurium viuum, aqua forti ſolutum, a fonte minerali praecipitari colore aurantio: ſal commune, addito aquae medicatae ſpiritu ſalis, oriri, et ſal mirabile, coniuncto acido vitrioli. Neque ſalis communis praeſentiam inde certam eſſe concedit Cl. Auctor, quod aqua fortis in regiam conuertatur: nam ſal mirabile idem praeſtat: hinc ad alia, vt illud probetur, eſt reſpiciendum. Sulphur denique, quod pluribus aquis medicatis ineſt, ita optime oſtendi putat Noſter, ſi fons mineralis per aliquot menſes putredini exponatur, atque in eundem, ſuper prunis calefactum, nummus argenteus recens purusque coniiciatur: qui, vbi ſulphur ineſt, breui denigrabitur.

p. 27. 3) *Commentatio, naturam foliorum, de arboribus cadentium expendens*, Auctore IO. ANDREA MVRRAY *). Mutationes, quae in frondibus, vetuſtate deciduis, ſeſe manifeſtent, ſuis obſeruationi-

*) praelecta d. 4 maii. 1771.

tionibus hic illuſtrat Cl. Auctor, quas cum in horto botanico inſtructiſſimo, tum in ſiluis nemoribusque inſtituit. Annuarum plantarum folia plerumque poſt floreſcentiam iunctim cum ipſa planta marceſcere et perire refert; quaedam tamen ex illis et biennibus decidunt prius, quam caulis pereat: quorum nonnulla affert exempla. Stirpes vero arboreſcentes, quoad caſum foliorum, in tres diuidit claſſes; aliae enim folia per hiemem integra ſeruant; aliae quotannis autumno eadem deiiciunt; aliarum frondes autumno emoriuntur; colore tamen alieno varieque contortae atque aridae per hiemem in ramis reſtant. Priores pleraeque calidis in terris creſcunt; ſunt tamen in noſtra etiam regione quaedam claſſes ad coniferas potiſſimum referendae, quae ſemperuirentes videntur. Quod in coniferis negat Cl. Auctor pendere a copia reſinae, quum *Pinus Larix* et *Cupreſſus diſticha* LINN. folia perdant. Hanc notam ſpeciebus diſtinguendis etiam idoneam iudicat, monetque non ſemper harum arborum vigere folia, ſed tantum per tres pluresue annos durare, poſtea clanculum decidere. Folia emortua iam per hiemem retinent, e noſtris, *Fagus ſiluatica*, *Quercus Robur*, *Carpinus Betulus*, potiſſimum ſi tenellae ſunt arbores: inter peregrinas *Rhus Cotinus*, et Quercus variae Americanae. *Atriplici Halimo* id peculiare eſt, vt folia vsque ad ianuarii initium vegeta maneant, quo cum ramis exareſcunt et arida remanent.

In foliorum, quouis autumno cadentium, conſideratione Cl. Auctor primo ad colorem, varie mutatum, diligenter attendit, eumque eſſe conſtantem, et ad ſpecies conſtituendas aliquid ponderis habere confirmat. Quaedam folia, etiam viridia, cadunt. Diſci ſuperioris, inferiorisque color foliorum cadentium variat; ſuperiorque prius labem inferiore P. 37.

 contra-

contrahit; quod quidem a diuerſa vaſorum natura fabricaque pendere cognitum habemus. Varios hos colores Cl. MVRRAY ad claſſes quasdam reduxit, obſeruauitque flauum eſſe maxime frequentem. Poſt ſuperficiem ſuperiorem ex plana vel concaua plerumque in conuexam mutari vidit. Directionem foliorum ante lapſum ita mutari, vt apice ſuo dependeant: quod quidem in variis varie obſeruatur. *Gleditſia* autem *triacanthos* folia offert ſurſum oblique ſpectantia, foliolaque imbricatim petiolo appreſſa. Hanc directionem foliorum Cl. Auctor icone ex exemplis *Robiniae pſeudo acaciae*, *Mori nigrae*, *Gleditſiae triacanthae* et *Pteleae trifoliatae* illuſtrauit.

p. 42. His praegreſſis, ipſe delapſus foliorum ſequitur, qui laxiore facto et tandem exſoluto nexu folii per petiolum cum caule deriuandus eſt, atque diuerſus eſt in foliis ſimplicibus, a caſu foliorum compoſitorum. Cum enim illa vna cum petiolo ſuo delabantur; in his foliola prius, remanente petiolo communi, cadunt. Tempus, quo folia dimittuntur, eandem legem ſeruat, quae in reliquis plantarum mutationibus obtinet. Nimirum ad variam aeris temperiem ſe adſtringit; eadem tamen ſerie, quoad ſpecies ſeſe concomitantes, vel excipientes. Attendendum etiam ad plagam coeli, ſtationem vel aere clauſam, vel liberiorem atque ad variam arborum aetatem, quae in vna ſpecie varietatem temporis efficiunt. Eſt igitur quaedam temporis conformitas, quoad eruptionem et caſum foliorum: quae quo pateat, Cl. Auctor quorundam foliorum caſum ad temporis ordinem hic deſcribit.

p. 50. Cauſſam huius delapſus foliorum Noſter non in frigore ſolo; ſed in gemmarum progerminatione praecipue ponit, quae, cum emergant, foliorum nexum infirmiorem reddunt. Id tum adiuuant variae accedentes cauſſae, gelu, pluuiae et pro-

procellae, quibus perſpiratio et inſpiratio, omninoque aſcenſus humorum impediuntur.

4) D. AVG. GOTTLIEB RICHTER *obſeruationes de bronchotomia* *). Varia, quae Cl. Auctor et in canibus, et in cadaueribus, et in hominibus viuis, circa bronchotomiam notatu digna obſeruauit, hic communicat. Primo, cum glandula thyroidea plerumque deſcendat, locumque, in quo operatio inſtituenda ſit, tegat, eam vel caute remoueri, vel inferius tracheam incidendam iubet. Poſtea non cutem ſolum, verum etiam telam celluloſam, pinguedinem, muſculos ibi poſitos, et quidquid tegat locum arteriae aſperae perforandum, prius ſeparanda exiſtimat, quam inſtrumentum in tracheam infigatur. Ad inſtrumentum quod attinet, planus ſit fere tubulus oportet, compreſſus, ad latera tenuis, in medio paullo eleuatus, vt vulnus, clauo triquetro factum, plane claudat, ne ſanguis arteriam aſperam intret, vel aër irrumpat in telam celluloſam: hinc vulgaris acus triquetra reiicienda Cl. Auctori videtur. Praeterea tubulus incuruus recto praeſtat. Vt itaque incommoda vulgaris inſtrumenti euitarentur, Cl. Auctor inſtrumentum compoſuit, quo operatio bene ſuccederet. Eſt illud lanceola, vaginula, praeter cuſpidem, vnius lineae longitudine prominentem, latens, anceps, et cum vagina incurua. Quae vna cum vaginula tracheae immittitur; poſtea vero extrahitur, vulnere, a vagina clauſo. p. 54.

His de cirſocele et hernia inteſtinali incarcerata quaedam annectit. Priorem, quam alii rarum dicunt morbum, frequenter obſeruauit, putatque, ſaepius cirſocelem fuiſſe a chirurgis habitam pro epiplocele: cum qua, praeſertim in malo aucto, plurima communia habet. Differre tamen ita dicit, p. 60.

R 4 vt

*) lecta d. 3 auguſt. 1771.

vt cirſoceles tumor lente increſcat decreſcatue, tumorisque augmentum ex inferiori regione ad annulum quaſi adſcendere videatur, atque compreſſio annuli abdominalis eam augeat. Multis iisque periculoſiſſimis ſymptomatis, quae Cl. Auctor enarrat, ſtipata eſt cirſocele: hyeme eam minui obſeruatio docuit, ſaepe ſequitur hydrocele. Vix curatur, ſi diutius durauerit, (initio enim ſuſpenſorium ſaepe iuuat,) niſi caſtratione, quam Noſter certum neque periculoſum iudicat auxilium. Si enterocele coniuncta eſt, haec prius aperienda reponendaque, deinde funiculus ſpermaticus reſecandus.

In hernia inteſtinali clyſteres ex fumo tabaci non ſolum plerumque inutiles, ſed noxios etiam iudicat, ſi inteſtina inflammata fuerint. Symptomata eius varia, ſubinde mitiora; quae tamen ſemper ſunt metuenda. Cauſſa mortis non ſemper eſt ſphacelus, ſed aliud quidpiam, Cl. Auctori non plane cognitum. In duobus enim aegris, praeter inſignem inteſtini incarcerati friabilitatem, nihil, quod laeſum eſſet, inuenit. Reperit etiam in operatione cuiusdam herniae fibrillam, quae vno extremo annuli poſteriori parieti, altero inteſtino adhaeſerat, atque repoſitionem impedierat; ea vero diſſecta, inteſtinum, iam valde inflammatum, feliciter reponebatur. Bracherium ferreum elaſticum, quod annulum blanda et aequali vi comprimat, coriaceis vel linteis praefert.

p. 68. 5) IOANNIS BECKMANNI *commentatio de reductione rerum foſſilium ad genera naturalia prototyporum* *). Petrificata melius *Foſſilia* dici, doctrinamque de iis et oryctologiae nomen mereri, et vt quartam diſciplinam reliquis hiſtoriae naturalis partibus adiungendam putat Cl. Auctor: deinde plura

*) praelecta d. 6 iul. 1771.

plura de foſſilium antiquitate, et huius diſciplinae vtilitate in omnem hiſtoriam naturalem docte et eleganter diſputat: atque, cum foſſilia in ordinem redigere neceſſe ſit, praeſtare affirmat, eadem ad easdem claſſes, eosdem ordines, genera eadem, easdemque ſpecies reducere, quo ante petrefactionem fuiſſent referenda. Diuidit igitur ea, in *nota*, *ignota*, quorum protypa latent, eaque vel ex coniectura ad protypum quoddam referenda, vel fini oryctologiae ſubiungenda, veteribusque nominibus nominanda putat; et *ignorabilia*, quae ita ſunt deformata, vt, etiamſi eorum protypa cognita ſint, non tamen ad ea reduci queant: quae igitur ex oryctologia eiicienda, luſoribusque relinquenda arbitratur. Tum foſſilia ſunt vel *totalia*, quae integrum referunt protypum; vel *partialia*, quae partem eiusdem aliquam tantum exhibent: Totalia in ordine partialibus antecedant oportet. Denique, quoad modum, quo foſſilia ſint mutata, nominat ea 1) *immutata*, quae vix vllam ſubierint mutationem; 2) *incruſtata;* 3) *calcinata;* 4) *petrificata;* 5) *metalliſata;* 6) *impreſſa* et 7) *redintegrata*. Conuenit igitur ſyſtema Cl. Auctoris in plerisque cum Linneano, cuius hic ſpecimen zoolithorum addit.

Tetrapodolithum hominis omnino dari negat. p. 81.
Praeterimus alios tetrapodolithos a Cl. Auctore, hic diligenter collectos et ad ſpecies protyporum reductos; illius tantum mentionem iniiciamus, quem in Ruſſia accepit, atque *tetrapodolithum cerui ignoti*, quem alcen fuiſſe coniicit, nominat, atque icone illuſtrauit. Oſtendit illa portionem cranii, cum cornubus difformibus, forſan exoſtoſi laborantibus. Ornitholithos veros non agnoſcit Cl. Auctor: roſtra enim auium, quae ab Auctoribus iudicantur, ſepiarum roſtra fuiſſe ſuſpicatur.

catur. Ex amphibiolithis, amphibiolithos teſtudinis dubios habet; affert autem, praeter alios a LINNAEO dictos, amphibiolithos Raiarum. De ichthyolithis monet, eos fere omnes ad duo genera piſcium eſſe referendos, nimirum ad *Pleunorecten* et *Anarrhicham:* reliquos eſſe ignorabiles.

p. 104. 6) HENRICI AVGVSTI WRISBERGII *diſſertatio de membrana fetus pupillari* *). Primo oſtenditur membranae huius inuentionem noſtris temporibus ab Ill. HALLERO et CL. WACHENDORFIO eſſe factam, eamque eſſe diuerſam ab ALDROVANDI velamine, quod ſit tenuis pellicula, inter iridem et extremum corneae marginem haerens; eamque etiam a communi quadrupedum carniuororum differre. In omnibus reperiri quadrupedibus, probabileque eſſe, quod omnes vtero viuentes pulli, praeter auium piſciumque, ea ſint inſtructi. Tempus, quo haec pupillaris membrana appareat, Cl. Auctor diligenter disquiſiuit, illudque in variis animalibus eſſe varium obſeruauit. Ab initio muci cuiusdam inſtar videtur; quinto vero menſe in humanis, vaccinis et equinis, conſpicitur, in reliquis animantibus eo maturius, quo breuius grauiditatis tempus iis eſt conceſſum. Quonam tempore, aut qua ratione haec membrana diſpareat, nondum conſtat. Verſus finem octaui et per nonum menſem, fluctuantia quaedam vaſcula vidit, in maturis fetubus vero plane abfuit. In iis tamen, quae clauſis palpebris naſcuntur, fetubus, membrana pupillaris per quoddam tempus remanet. Id quod confirmat exemplum pueri coeci, per aliquot annos ad mortem pupillari membrana inſtructi: qui, cum eum mortuum anatomice disquireret, oculumque maſſa ceracea iniectum luſtra-

*) d. 6 april. 1771.

luſtraret, obtulit, cornea detracta, iridem coniunctam cum membrana pupillari, cuius vaſa nitide erant repleta. Pars eiusdem membranacea, naturali erat paullo robuſtior; ceterum ei plane ſimilis. Ex hac igitur membrana remanente coecitatem ortam fuiſſe apparet.

Quae naturam huius membranulae concernunt ex Cl. Auctoris obſeruationibus eo redeunt, vt ſit membrana tenuiſſima, pallida, continuata ab iride, inſtruaturque numeroſis vaſculis, quae a ciliaribus et decoloribus circuli iridis ſecundi, et lentis cryſtallinae vaſculis oriantur; ipſa vero membrana a cryſtallinae lentis capſula ſit diuerſa. In icone addita egregie pupillaris membrana, vaſis eiusdem iniectis, cum ab anteriore, tum a laterali parte, repraeſentantur. p. 112.

VIII.

RVDOLPHI AVGVSTINI VOGEL Phil. et Medic. Doct. Archiatri Regii et in vniuerſitate Gottingenſi Prof. Medic. Ordinar. etc. academicae praelectiones de cognoſcendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus. Gottingae apud Viduam Abr. Vandenhoeck 1772. 8. pagg. 668. praeter dedicationem, praefationem, tabulam totius operis, indicem et addenda.

Nouem claſſes morborum conſtituit Cl. VOGEL, eruditus, felix et prudens medicus, iisque ordines ſubiicit, quarum prima ſpectat *febres*. Altera claſſis *profluuia* continet, quae in duo ordines diſpeſcuit, nimirum in *haemorrhagias* et *apocenoſes*. Tertia claſſis pertractat *epiſcheſes*. Quarta *dolores* Noſter perſequitur. In quinta *ſpaſmi* deſcribuntur. Claſſis ſexta *adynamias* complectitur. Claſſis ſeptima *hyperaeſthiſes* declarat. Octaua

Octaua *cachexias* enarrat. Et nona denique claſſis *morbos mentis* expendit.

p. 4. Febris, quae et morbus, et medicina eſt, idea communi conſiderata, primum pertractat Noſter intermittentes, inter quas et decimanarum et vltra mentionem fecit. Nec minus diſpeſcit Cl. Auctor intermittentes in benignas et malignas, harum magnam collectionem recenſuit Cl. MEDICVS *), quem Noſter hic commendat. Valde pernitioſum ſymptoma, quod febribus intermittentibus ſe adſociat, eſt ſopor, qui primo aut altero frigoris in ſtadio incipit paroxysmo, ac plerumque in letalem apoplexiam abit. Raro periodicam obliuionem relinquunt. Eiusmodi febres apoplecticae et ſoporoſae interdum epidemico more graſſantur, teſtibus SYDENHAMO, BAGLIVIO, WERLHOFIO, aliisque. Ex vehementiore animi affectu vidit Noſter, tertianam in tenera muliere in ſoporoſam mutatam; nec tamen letiferam, cum ſemel tantum incideret.

p. 10. Cauſam materialem harum febrium Noſter ponit in pituita, lympha, bile ſeorſim vel coniunctim vitiata. Tertianae exquiſitae in corpore iuuenili, et viſceribus haud laeſis plerumque per duodecim horas durant et quinque, ſeptem aut nouem circuitibus iudicantur. Accedentibus efflorescentiis labiorum tertio vel quarto paroxysmo, iudicatur febris ſeptimo. Tempeſtas et anni tempora curationi febrium harum nec ſeruiunt, nec officiunt. Quartana interdum furunculo in buccis ſoluitur.

Curatio

*) EIVSD. *Geſchichte periodiſcher Kranckheiten* II *Th.* p. 201. v. comm. noſtr. ſecund. decad. ſuppl. I. p. 91 ſeqq.

Curatio intermittentium cernitur in depurandis primis viis: dein in eo, quod reliquum eſt, corrigendo, fibrarum tono labefactato reſtaurando et tota humorum maſſa nouo quaſi balſamo iterum condiendo. Vomitoria vel breui ante paroxyſmum, vel die vacuo exhibeantur. Neque grauidis iſta nocent. Quartanae nec ſine ſale ammoniaco, aut regulo antimonii medicinali poſſunt ſuperari. Regulo poteſt quoque in pertinacioribus quartanis addi mercurius dulcis et ſulphur antimonii auratum. Inde interdum excitata ſaliuatio fugat quartanam. p. 14.

In diaeta febricitantium ſaliti et muria conditi cibi neutiquam nocent; ſed potius valde ſalubres ſunt. Neque animalium carnes Cl. Auctor temere iuxta vulgi opiniones damnare poteſt. p. 20.

Inter febres continuas ſunt malignae et benignae. In his ſuadet Noſter inter alia acida diaphoreticis remixta; monet autem, ea quoque non omnem paginam abſoluere, propter maiorem humorum corruptelam. In horum ergo connubio antiſeptica non ſunt negligenda, inter quae cortex Peruuianus in decocto, cum ſucco citri, et puluis contrayeruae compoſitus, cum nitro datus, palmam ceteris omnibus praeripiunt. Camphorae autem igneam naturam adſcribit et idcirco eius vſus Noſtro diſplicet. p. 28.

Ephemeram Noſter appellat diariam, eamque pro cauſſarum diſcrimine in primariam et ſymptomaticam diſpeſcendam eſſe monet. Haec vulnerariam, lacteam, eryſipelaceam, leuiorem catarrhalem ac podagricam febrem ſub ſe comprehendit. Amatoriam refert Noſter ad primariam ſpeciem. p. 34.

In ſynocho ſimplici facies rubra, cutis humida et pulſus magnus atque frequens inprimis attenduntur a Noſtro. p. 37.

Febris

p. 39. Febris neruoſa lenta recentiorum, quam Cl. Auctor malignam lentam dicere mauult, etiam ſynochus ex claſſe putridarum eſt, cuius ſymptomata hic accurate enarrat, inſimulque cum aliis ſuam diſſertationem *), de neruoſa febre eiusque genuina indole indicat.

p. 44. In phrenitide obſeruatur conſtans inſania, maximeque a congeſtione ſeri tenuioris vel inſpiſſati, ſiue humorum omnino efficitur. Non eſſe ſemper phrenitidem inflammationem, in cerebro et meningibus ex ſectionibus cadauerum patet; nec non ex maniacis, quibus cerebrum, vt et encephalos omnino, ab inflammatione eſt immune. Paraphrenitis eſt inflammatio diaphragmatis.

p. 55. Quamquam ardentes febres ad malignas pertinent; diuerſa tamen a malignarum cura omnino opus eſt ardentibus medendi methodus, quae cernitur in humectantibus ac refrigerantibus, cum ingeſtis, tum applicatis.

p. 72. Hydrophobia in duo genera eſt diſpeſcenda; vnum pendet a morſu animalis rabidi ſeu omnino irati; alterum ſine contagione a cauſis inquilinis in acuta et inflammatoria febre ſponte oritur. Experientia docuit, hic optimum praeſidium eſſe in mercurialibus medicamentis interne et externe adhibitis, quibus Cl. Auctor adſcribit vim ſpecificam, qua virus ſenſim eneruatur ac demum exſtinguitur. Ceterum limatura cupri, ſcarabaeus melolontha, meloeque, anagallis, radix belladonnae virulenta quoque a Noſtro in hydrophobia laudantur. Praeterea et commendat vnguentum Neapolitanum, et

*) Quae prodiit Gotting. 1767. 4. Reſp. *Sigism. Ern. Alex. Volprecht.*

et pilulas WERLHOFII, ex camphora, cantharidibus mercurioque dulci compoſitas. Arteriotomiae in dorſo pedis, ab ARRIGONIO nuper in promptuario Hannouerano propoſitae *), non fidit Noſter. Occiſi rabidi canis faucibus, gingiuis et dentibus affricatur fruſtum elixae carnis, quod ſi ſanus canis deuoret, nil de rabie illius timendum eſſe; ſin autem repudiet cum anxio et triſti eiulatu, rabie canem fuiſſe correptum conſtat.

Sed haec hactenus de hydrophobia contagioſa. p. 81. Sine contagio acutis morbis ſponte ſuperueniens hydrophobia haec remedia non deſiderat. Multo potius in ea repetitae venaeſectiones conducunt.

Praeſeruare homines a variolis graſſantibus p. 91. magis in votis eſt, quam in artis poteſtate. Nec inſitio variolarum quemuis tutum a malignis et letalibus variolis praeſtat. Extra epidemiam initio non eſt adornanda ob metum contagii varioloſi. Exſtirpationis variolarum, quam Cll. KRAVSIVS **) et MEDICVS ***) propoſuerunt, poſtremo facit mentionem.

Morbilli ſemel ſalutatos vix iterum occupant, p. 95. ſequuntur variolas, ſeu iis antecedunt, interdum vterque morbus mixtus obſeruatur. Morbillorum inſitionem primum a FRANCISCO HOME ****) tentatam

*) a. 1767. 64 *St.* a. 1768. 33. 38. 103 *St.* a. 1769. 14 *St.*

**) comm. noſtr. vol. XIII. p. 48.

***) comm. noſtr. ſecund. decad. ſupplem. II. p. 214 et 224.

****) v. princ. medic. p. 186. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 657.

tatam fuiſſe Noſter affirmat cum ſanguine, goſſypio excepto. Cl. MONROOVS *) ſaliuam, lacrymasque aegrorum morbilloſorum tempore criſeos bombace exceptas aut ſquamulas cutis defluentes inſeruire poſſe inſitioni aſſerit.

p. 107. Petechiae, nunquam criticae, a Noſtro vt morbus et vt ſymptoma, aliis morbis accedens, conſiderantur. Veroſimilius porro Noſtro videtur, haec exanthemata prouenire a ſpiſſa putridaque lympha, quam a putrida ſanguinis diſſolutione: quum in his ſanguinis cruſta denſiſſima, vti pleuriticorum poſt venaeſectionem nonnunquam apparuerit. Quapropter et cum Cl. STRACKIO **) purgantia et enemata hic ſuadet.

p. 111. Scarlatina, purpurae quoque nomine, rubeolorum, morbillorum igneorum, zonae, ignis ſacri, et roſſaliorum veniens, ad remittentes amphimerinas ſpectat. Cuius duplex Noſter conſtituit genus, ſimplex nimirum ſeu maculatum, dein puſtulare. Saepe populariter graſſatur ſcarlatina et per tres menſes plerumque ſaeuit. Praeterea laudatur et Cl. PLENCITZ ***).

p. 114. Eſſaram, quam SENNERTVS cum vrticata confudit, Noſter hic deſcribit. Febrem poſtea bulloſam pemphygoden recentiorum, quam b. SAVVAGES bis in mendicantibus vidit, Noſter conſiderat. Bis Noſter vidit linguae inflammationem, quam gloſſiten appellat. Tumet lingua interdum

*) de ven. lymphaticis p. 58. comm. noſtr. Vol. VII. p. 39. it. *Neues Bremiſches Magazin.* Vol. II. *St.* 2.

**) EIVSD. obſ. medic. de morbo cum petechiis. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 415 ſeqq.

***) EIVSD. oper. med. phyſ. Tom. III. comm. noſtr. Vol. XV. p. 137.

terdum variis ex cauſſis, vt ex copia alimenti *), a materia venerea et cancroſa; quibusdam autem et a natiuitate. Talis tumor congenitus Noſtro ſemel occurrit. Lingua erat magis extenſa in latum, omnino vero tumida cum mollitie, ex ore perpetuo emanabat ſaliua, nec et in tertio anno infans fari poterat.

Angina a Noſtro in veram, gangraenoſam, p. 133. ſtrangulatoriam, pituitoſam et arthriticam diſpeſcitur. Gulae reſolutio a quibusdam temere ad anginam eſt translata. Secundum hanc anginae diuerſitatem Noſter dirigit curam. Anginam ſpuriam Noſter aquoſam et catarrhalem vocat cum HIPPOCRATE, quae vuam et tonſillas occupat. Sciendum praeterea eſt, ſyphilliticos et ſcrophuloſos ad quandam anginam ſpuriam eſſe pronos, quae, tametſi catarrhali ſeſe appropinquet; multum tamen ab ea diſtat. Alia rurſus angina notha morbis, vt variolis, acutis febribus etc. ſuperuenit, alia ab hydrargyroſi efficitur.

Pleuritidis diuiſio in humidam et ſiccam Noſtro p. 146. non arridet, quoniam vera et ſola pleuritis ſemper ſicca eſt. In peripneumoniam autem, ſeu pleuropneumoniam cadit haec diuiſio. Ad expectorationem nimis tenacis pituitae commendat Noſter eſſentiam galbani, cum ſpiritu frumenti paratam, ita, vt vnciae dimidiae galbani impurioris ſuperaffundantur ſpiritus dicti vnciae octo, cuius cochlear plenum quouis bihorio exhibendum ſit. Id quod remedium Noſter ex reſoluentibus potentiſſimum atque tutum iudicat. Suadet et eandem eſſentiam externe lateri afflicto applicare.

Quando-

*) vid. CHPH. GOTTLIEB BÜTNER *von einem aus dem Munde herausgegangenen Fleiſchgewächſe. Königsb.* 1770. 4. comm. noſtr. XVIII. p. 350.

p. 173. Quandocunque hepatitis in ſuppurationem abit; tum nulla reſolutionis ſigna, certe non perfecta apparent. Vrinam enim quidem ſemel Noſter vidit criticam; at nullos ſudores in hoc caſu. Interim aeger poſt ſuppurationem rurſus lectum reliquit, appetens bene cibos et dormiens, paullo poſt denuo febricitans, multum ſputi purulenti exſcreabat et anxie exſpirabat. In ſuprema hepatis parte ingens apoſtema detectum eſt. Ad hepatitidem externe lapſus, atque grauior ictus hepatis, et vulnera capitis notabiliora *) conferunt.

p. 178. Nephritis potius ſiniſtrum, quam dextrum occupat renem, raro vtrumque. Pariter in ſuppurationem abit, vbi, tumore in dorſo apparente, nephrotomiae ope pus eſt euocandum. Fiſtuloſum quidem vlcus in dorſo plerumque relinquitur; ex quo autem nulla noxa aegro euenit. Ad vlceris purgationem internus et diuturnus vuae vrſi vſus videtur proficere.

p. 189. Veſicae vrinariae et vteri inflammatione tractata, ad vteri ſcirrhum Noſter venit. Feminae, eo laborantes, concubitum, ob dolorem ferre vix poſſunt, neque amplius fere ad concipiendum aptae ſunt; grauidae autem factae perdifficilem partum aut nullum experiuntur et rupturae vteri letali patent. Alias vteri ſcirrhus abortum citat.

p. 192. Agmen febrium inflammatoriarum, de quibus hactenus Cl. Auctor egit, claudit eryſipelacea, quae vel partes corporis infeſtat et in facie ſaeuioribus ſtipata eſt ſymptomatibus, vel interdum omnes propemodum corporis partes ſimul occupat. Qui ſaepe eryſipelate ſpontaneo ſeu primario, relicto

*) v. Cl. CHESTON patholog. inquir. and obſeru. in ſurgery p. 32 et 122. comm. noſt. Vol. XV. p. 38 ſeqq.

licto tumore pedis, quem occupauit, corripiuntur, eodem tandem pereunt. Interdum aliis morbis ſuperuenit eryſipelas, quod appellatur ſecundarium, mortemque celeriter inducit. Denique quaedam addit de zoſtere, zona vel herpete, vbi zoſteris ſpurii quoque mentionem iniicit Cl. VOGEL.

Non videtur Noſtro in haemorrhagia narium ſanguis ex venis, ſed arteriolis promanare, rariusque fluit idem ex vtraque nare ſimul. Porro de epiſtaxi et de artificiali narium haemorrhagia per dilacerationem vaſorum in naribus agit, a veteribus et recentioribus commendatam. p. 201.

Ex quorundam auctorum obſeruatione haemoptyſis, eademque larga, ſine omni tuſſi cum quadam veluti duntaxat exſpiratione patet. Id quod Noſter quoque non negat quidem penitus in praemagno ſanguinis effluxu; exiſtimat tamen, eam ſaepe πτύσιν eſſe GALENI et ARETAEI haemorrhagiam oris vel faucium, quacum pulchre poteſt confundi haemoptyſis, de qua Noſter non multum ante diſputauit, vbi et de bulla ſanguinea, in palato occurrente, egit. Inter remedia contra haemoptyſin inuenimus quoque ſerum lactis aluminatum et ſal volatile oleoſum SYLVII. p. 209.

In infantibus recens natis vomitus cruentus cum ancipiti euentu etiam aliquando incidit, et id quidem procul dubio ex vehementi ventris aut capitis in partu compreſſione. Suadet hic olei amygdalarum dulcium vnciam vnam, in qua diſſoluta ſit drachma dimidia ſpermatis ceti. p. 215.

Fluxus hepaticus ex hepatis vlcere inſanabilis eſſe Cl. Auctori videtur. Alter ex inteſtinorum vaſorumque meſaraicorum laxitate rebellis et pertinax eſt, tabemque letalem ſaepe infert. p. 220.

p. 229. Stymatoſis eſt haemorrhagia penis immodica, ſeu actiua, idem periculum offert, atque aliae haemorrhagiae. Periodica ſeu paſſiua aeque ſalubris eſt viris, ac menſtrua mulieribus. In morbos enim incidunt, quibus ſupprimitur aut retinetur ſtymatoſis. Si ictero accedit ea, hunc ſolui obſeruatum eſt. Id quod tamen vix vnquam fieri ſolet.

p. 236. Vteri in haemorrhagia laudatur a Noſtro oleum martis, ad guttas octo vel duodecim cum largo aquae vehiculo aliquoties ſumtum. Haemorrhagias a partu pilulae balſamicae BECCHERI vel STAHLII celerrime ſiſtunt.

p. 237. Inter apocenoſes refert et Noſter catarrhum narium, faucium et pulmonum. Catarrho narium proxime accedit phlegmatorrhagia, in qua vltro et copioſe humor tenuis lymphaticus, velut ſanguis e naribus, quibusdam, ſine ſatellitio catarrhi alioue incommodo, deſtillat.

p. 255. Fluxus coeliaci fons vniuerſa humorum maſſa eſt, reliquosque illius fontes Noſter reiicit. Repentinum alteroque die iam finitum profluuium eiusmodi aluinum Noſtro in iuuene occurrit, quod choleram aemulabatur, atque copioſa deiectione aeque, ac vomitione materiae albae, pulticulam, ex braſſica cauliflora cocta et contrita factam, quaſi conſiſtentia et colore referentis, abſoluebatur.

p. 267. Cholera in ſiccam et humidam a Noſtro diuiditur, iisque additur recentiorum flatuoſa. Sicca Noſtro videtur ſymptoma hypochondriacum, ſaepeque recurrens eſſe. Per aluum porro prodeunt calculi, hydatides, molae et alienigena. Subinde nimirum ex aluo concrementa ſanguinea, fibroſa, cartilaginea deturbantur, quas molas inteſtinorum vocant. Item non temere quaeri poſſe Noſtro videtur: annon interdum in inteſtinis

queant

queant generari pili, cartilagines aliaque monſtroſa concrementa, cuiusmodi interdum in abſceſſibus et tumoribus viſcerum tunicatis reperiantur? Ipſi Noſtro conſtat, glomerem pilorum, lino pexo ſimillimorum, ab aluo matronae, diu afflictae, reiectum eſſe.

Ad epiſcheſes eos morbos Noſter refert, qui ex retentione excernendorum oriuntur e. gr. menſtruorum ſuppreſſione, quam nonnunquam hymen prorſus clauſum, aut membrana, ibi ſita, et oſtium vaginae claudens efficit. Hic ſcalpello via aperienda et turunda aperta ſeruanda eſt. Dein eſt fiſtula plumbea digiti craſſiti, e ceruſſae vnguento obducta, ſi opus eſt, immittenda. p. 289.

Ad cauſſas iſchuriae et dyſuriae rariores pertinent hernia verſicae, vermes ibidem hoſpitantes et capilli. Si capilli minguntur trichiaſis appellatur morbus. Hernia veſicae eſt, vbi eius pars in perinaeo apparet, aut per annulum muſculi obliqui prorumpit, vel in inguine prominet, vel teſtis adeo tunicas diducens in ſcrotum deſcendit. Qui morbus cognoſci poteſt, ſi homo vrinam non reddere poteſt, niſi preſſo exterius tumore. p. 310.

Inter dolores primum nominat Noſter cephalalgiam, odontalgiam et otalgiam, iisque ſubiungit deglutitionem impeditam. Denegatur nimirum tranſitus ciborum vel ex impedimento in ſuperiori gulae parte, vel in media*) aut inferiore **). Procedente morbo, et tenuia molliaque absque dolore non deglutiri poſſunt. Ventriculus vacuus, cum repletur, dolet, magis tamen hic, quam ille. Non paucis, maxime ieiunis inſipida lympha in os aſcendit. Sub deglutitione magna eructatio, quae ſi abeſt, inſignis anxietas. Malum interdum remittit, ſed mox p. 317.

*) vid. Verhandel. van. de Hollandſche maatſch XIII. Deel. p. 262.

**) vid. ibid., XII. Deel p. 644. Comment. noſtr. Vol. XVIII. p. 597.

mox recurrit. Corpus ſubinde emarceſcit et loco tenuioris lymphae ſpiſſior demum pituita ſub deglutitione reiicitur. Morbus diu ſaepe durat, et per plures menſes annosque continuat. Cauſſae huius mali non raro in cadauere primum cognoſcuntur. Spaſtica plerumque tollitur, niſi proficiſcatur a vitio mechanico, quod in glanduloſarum et membranacearum partium humoribus, ſcirrhis, indurationibus, modo glandulam thyreoideam, modo tracheam, gulam, glandulas dorſales, ventriculum ac imprimis cardiam, pancreas, nec non alias atque alias partes, quin pulmones ipſos occupantibus, cernitur.

p. 334. Signis iam communibus, iam propriis huius morbi vel ſuperius, vel inferius oeſophagum ſpaſtice contrahentis, accurate enarratis, ad iſtum morbum tollendum, externa aeque, atque interna antiſpasmodica et anodyna cum diſcutientibus requiri, Noſter arbitratur, atque purgantium noxium vſum hic declarat. In extremo caſu balaenae flexilis, cuius apex ſpongia eſt munitus, aut fiſtulae, quae longae in oeſophagum demiſſae cum annexa veſica, ſuccos nutrientes in ſe continente*), vſus hic ſuadetur. Quidam aegri neceſſitate commanſos cibos digitis ſuis vi intrudere didicerunt.

p. 337. Praeterea impedit etiam, licet rariſſime, deglutitionem laxatio appendicum oſſis hyoidis, eaque a violenta muſculorum hyopharyngeorum diſtenſione ſub maioris atque craſſioris boli deglutitione producitur. Tum apta oſſis hyoidei ope digitorum contrectatio, eaque reiterata, illico morbum tollit.

p. 341. Maxime affinem cardialgiae Noſter arbitratur eſſe ventriculi inflationem, quae continuata ſuffocationis metum facit, quin immo cartilaginem enſiformem ex ſua ſede mouet, ipſumque ventriculum ad rupturam deducit.

Videtur

*) vid. Journ. de Médéc. cet. Tom. XXXI. p. 431.

Videtur Noſtro arthritis ex peculiari ſucco morbido naſci, quem natura ad praeternaturalem legem coquit et per iſta plerumque vaſa, quae articulorum ligamentis ac membranis non minus, quam tendinibus ſmegma ſuum naturale largiuntur, rariſſime in ipſo articulorum cauo per glandularum, ibi poſitarum, arteriolas cum rubore inflammatorio, vel inflammatione deponit. P. 371.

Raphania, ſeu morbus rigidus eſt morbus ſpasmodico conuulſiuus, interdum epidemicus, ab Ill. LINNAEO *) ita dictus. Cauſſam huius morbi, ab Ill. LINNAEO nominatam non aſſumit. Nemo fere non, praeter infantes lactentes, eidem ſubiectus eſt. Forte lac videtur antidotum eſſe contra hunc morbum, quoniam lactentes ab eo manent immunes. Perdifficile iudicat quidem, cauſſam huius morbi reperiri; exiſtimat tamen, omnes cauſſas materiales, quae ſpasmos excitare valent, etiam vim habere, raphaniam nunc in multis, nunc in paucioribus, nunc et in vno homine ſuſcitandi. Tametſi vero legitima morbi cauſſa nondum potuit reperiri; minime is pro incurabili cenſendus eſt. Conſtat, eſſe miasma acre cauſſam, illiusque vel correctio, vel expulſio a medico eſt tentanda. Quod ſi vero ſuſpicio cadit in ſemina venenata, ſecalinis ac hordeaceis, vnde panis conficitur, intermiſta, tutum omnino eſt, licet ſuperuacuum, iſta ſemina ſollicite a prioribus repurgare, eaque in animantibus domeſticis tentare. P. 397.

Specifici cuiusdam medicamenti aduerſus epilepſiam chronicam, quod venereae indolis eſt et ex vitriolo de cypro paratur, hic a Noſtro mentio eſt iniecta. p. 406.

*) v. amoen. Acad. Vol. VI. p. 430. v. comm. noſtr. ſecund. decad. ſupplem. I. p. 24.

p 415. Oleum ſcorpionum, lumbis illitum, iuuat in tuſſi conuulſiua, nec non vnguentum pectorale commode pectori applicatum. Hoc minus proficit, quam illud. Inter cibos acetaria quam maxime prodeſſe in hac tuſſi, fideliter monet Cl. VOGEL.

p. 431. Ruminationem humanam neminem audacter negare poſſe Noſter arbritratur. Alia ruminatio a natiuitate ſuam originem trahit, ſic, vt a parentibus ad embryonem transferatur, aut connata ſaltem exiſtat; alia a morbo ventriculi, nominatim vomitu frequenti aut diuturna eructatione. Haec nec ſelectis cibis, nec medicamentis obtemperat; ſed pertinaci repreſſioni, qua motus ventriculi ſupprimuntur; illam nemo quidem curauit, quam Noſter tamen non pro plane inſanabili habet.

p. 435. Peſſimum atque exitialem Noſter eum iudicat vomitum, quo liquida, atramentum, choccolatam, aut tabacum colore referentia, copioſe euomuntur. Vomitum a vectione optime auertit ſpiritus rorismarini, in charta empiretica extus ventriculo applicatus.

p. 455. Progreditur Noſter ad apoplexiam, cuius cauſſae in ſex claſſes hic ſunt diſtributae. Nulla aetas, ne infantilis quidem, ab ea immunis eſt. Diſcrimen apoplexiae in ſanguineam et ſeroſam in curatione non magnopere eſt attendendum, quod certis notis non vbiuis corporum deprehenditur. Curam inprimis dirigere oportet depletio et repletio vaſorum encephali. Apoplexia ex obeſitate omnem curationem reſpuit; prophylaxin vero permittit, quam oxymel ſcilliticum cum ſale neutro, ſapo Venetus, ſingula quidem ſub largo ac diuturno vſu ſimulque diaeta tenuis, modicaeque exercitationes ſpondent.

Tinctu-

Tincturam veſpae auratae ſuadet Noſter in paralyſi cum GODOFR. CPHP. BEIREIS*), et tentamina vlteriora cum ea optat. Paralyſis a frigore curationem ab antimonio crudo recipit. Interdum paralyſin vehementior animi commotio tollit. p. 468.

Cauſſa catalepſeos non tam in encephalo, quam in imo ventre haerere videtur. Id quod methodum medendi dirigit. Aduerſus amauroſin ex vulnere ſupercilii ipſius fricatio ea parte, vbi ex orbita neruus, qui ramus nerui ophthalmici eſt, educitur, prodeſſe obſeruata eſt. p. 470.

Ad loquelae vitia pertinent blaeſitas, balbuties ischnophonia, battarismus, ſibilismus, rottaciſmus, mutitas ſeu aphonia. p. 492.

Vertigo ſimplex eſt cum ſenſu circumgyrationis; ſcotomia, ſi viſus ſimul obſcuratur; caduca denique, ſi praeterea homo in terram cadit, pereunte omni ſenſu. Quo grauior et diuturnior eſt vertigo, eo pertinaciorem cauſſam prodit. In vertigine a narium haemorrhagia ſuppreſſa ſcarificationes ceruicis ac dorſi vel ipſarum narium ſuadentur. p. 515.

Si capitis dolorem ac vertiginem ſequitur ſonitus aurium, infauſtum ſaepe exhibet apoplexiae praeſagium. Ac in vertiginoſis, ſyncopticis atque epilepticis inſultum nouum prodit. In febribus acutis ſoluit ſonitum aurium, haemorrhagia narium, qua non ſuccedente, delirium portendit, vtique ſi ſuppreſſum lotium, aut ſi crudum mingitur. p. 520.

S 5 Venit

*) vid. EIVSD. diſſ. de paralyſi grauiſſima femorum crurumque ſanata. Helmſtad. 1762. 4.

p. 527. Venit iam Noſter ad icterum ab antiquis tunc arquatum, tunc regium, dictum, omni omnis aetatis generi communem, cuius cauſſae ſunt multiplices. Talem Noſter vocat eum morbum, qui durat, et interea corpus, febre quadam plerumque ſuperueniente, conſumitur: quae, ſi leuior eſt febricula lenta, ſi grauior, hectica nominatur. Tabis autem cernuntur hic plures ſpecies: atrophia, infantibus potiſſimum communis; phthiſis neruoſa, olim hectica, ſeu cachexia. Cum ea conuenit tabes dorſalis ſeu coeca HIPPOCRATIS. Tertia ſpecies tabis hectica appellatur, et quarta eaque grauiſſima a graecis φθίσις nominatur ac ſicca et humida deprehenditur. Accidit interdum, vt vna fouea, aut forte binae in pulmone efformentur, parietibus calloſis circum circa obductae, ita, vt collecta ibi materies minime parenchyma penetrare aut inficere poſſit, ſed quotidie tota exſcreetur, idque ingenti copia. Eiusmodi ergo homines fonticulum quaſi in pulmone habent: alias bene comedunt, reſpirant, dormiunt, neque quidem contabeſcunt. Tuſſis autem conſtans, humida et longa facit, vt phthiſi laborare eos nemo fere dubitet.

p. 546. In curatione tabis ſiue hecticae, ſiue phthiſicae, ad febrem eſt reſpiciendum, et ad ipſius fomitem in maſſa ſanguinea. Fruſtra plerumque hic cortex Peruuianus datur; antihecticum POTERII et tinctura antiphthiſica GRAMMANI autem cum ſucceſſu citra omnem experientiam exhibuit in hoc morbo.

p. 548. Atrophiae rachitis admodum affinis eſt, quin ipſa atrophia eſt, cum ea epiphyſes articulorum in tumorem eleuentur, ipſaque membra ſimul marceſcant. Internae carotides arteriae et iugulares venae

venae iuſto maiores; externae contra exiliores ſpectantur in rachiticis.

Proxima hydropis qualiscunque cauſſa plerisque hodie eſſe creditur atonia, ſiue laxitas totius corporis omniumque viſcerum; idque recte colligitur quidem ex remediorum tonicorum energia, quae omnia omnino proficiunt in hydropis variis ſpeciebus; attamen neſcit Noſter, annon, in languore ſpeciali vaſorum nunc arterioſorum, nunc venoſorum, nec non lymphaticorum, cauſa melius cernatur? Multos enim cachecticos ab hydrope immunes, et hydrope ſaccato laborantes ſatis alacres et ſine cachexia ſaltem valde diu vidit. Quapropter languor in dimittendis humoribus ſeroſis ex ſuis vaſis facilis Noſtro videtur hydropis cauſſa. Ac ſpeciales tales imbecillitates, ſine communi corporum labe, ex aliorum viſcerum morborum affectione, ſine totius corporis debilitate exemplis probat, quorum vnum addimus: obſeruauit nimirum olim in matrona, cui brachium ex apoplexia paralyticum factum, particularem eiusmodi arteriae brachialis languorem, vt per plures dies nullus in carpo perciperetur pulſus, paralyſi licet iam finita. Ex his omnibus itaque Cl. Auctor colligit, hydropes particulares multos in optima etiam viſcerum et humorum conſtitutione oriri poſſe. p. 552.

Optimum ſignum hydropis pectoris eſt fluctuatio, quam aeger ſentit, reliqua Noſter ambiguitatis accuſat. Hydrops peritonaei, vt omnis ſaccatus hydrops, in mulieres potius cadit, quam in viros. p. 564.

Omnis hydrops ſaccatus fere inſanabilis eſt. Semel nihilominus tamen Noſtro contigit, hydropem peritonaei ſtupendum, qui iam duodecim annos durauerat, oxymelite de colchico Cl. p. 567.

STOER-

STOERCKII *) feliciter ſanatum fuiſſe: quod fere incredibilem diureſin per aliquot dies excitauerat. Hydrops peritonaei et abdominis ſaccatus, nec non hydrops vteri grauiore lapſu nonnunquam ſolvuntur.

p. 573. Clyſteres in tympanite ex carminatiuis, licet vbique commendati, nullam ferunt opem. Calidi enim vapores flatus augent indeque et incommoda. Frigidi vero potius interdum conducunt. Paracenteſis in tympanite abdominali non aliena videtur; tantum vero abeſt, vt vere proſit, vt mortem potius acceleret.

p. 576. Scorbutus ſubinde oritur, paullatim ſymptomata augentur, ac tandem noua ſuperueniunt. Quapropter tria ſcorbuti ſtadia Noſter conſtituit. Ad diſcrimen in calidum, frigidum et muriaticum ſcorbutum in curatione non eſt attendendum: vtpote quae nunquam experientia fida, ſed imaginatio docta tantum ſtabiliuerunt; nec ad contagioſos, vti nonnulli volunt, eſt ſcorbutus referendus.

p. 582. Morbi venerei naſcuntur quoque tum ex ſolo immoderatae veneris vſu, tum ex contagione. An vero ex communi lecto, ex infecta veſte, ex poculis, ex eiusdem latrinae vſu, et per manus obſtetricis venereae illi propagentur, valde dubitat Noſter: item an illi interdum diu et ad multos annos lateant in corpore ſine vlla nota manifeſta. Vſu cereorum, a Goulardianis diuerſorum, commendato, ad bubones Noſter venit, quos phlegmonodeos, oedematodeos, atque ſcirrhodeos eſſe aſſerit.

Tum

*) Erat hoc oxymel colchici ex duplo maiore doſi radicis paratum, quam Cl. STOERCKIVS in libro de colchico. v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 127 et 130 ſeqq. recipi praeceperat, et quantitate cochlearis maioris mane et veſperi offerebatur.

Tum in viris, tum in feminis apparent in partibus genitalibus vlcuſcula ſuperficialia perinde, ac circa anum. Solent vero haec citra contagium venereum in viris interdum accidere, nec non in feminis quoque, ſine et cum coitu. In coitu ex fluore albo acriori, ſine coitu, ex acrimonia humorum, has partes inungentium, itemque ex haemorrhoidum vitio. Facile autem eiusmodi vitia ab vlceribus venereis poſſunt diſtingui, quod ſolis abſtergentibus atque cathaereticis, ſedulo applicatis, ſanationem haud aegre admittunt.

Inter excreſcentias venereas, quibus topicos venereos morbos finit, reperimus verrucas, porros, condylomata, criſtas, thymos, mariscos, rhagades ſeu fiſſuras, quae in partibus genitalibus vtriusque ſexus, circa anum et in perinaeo apparent et ſolummodo, quoad magnitudinem, amplitudinem, rotunditatem, longitudinem, planitiem inter ſe differunt; curam autem omnes eandem poſtulant. p. 600.

Ad ſanandam luem veneream vnum ex his tribus ſufficit, lignum guaiacum, mercurius viuus et quaedam *) eius praeparata, dulcis et corroſiuus. Reliquis remediis antiuenereis aegros, et medentes ſuperſedere poſſe Noſter arbitratur. Inter potentiora vero antiſyphilitica merito huc camphora et lobelia **) ſunt referenda: Guaiacum inprimis laudat Noſter hic tum, ſi ſcrophuloſa aut ſcorbutica cachexia, cum lue coniuncta eſt, nec minus contra dolores, ab impura venere olim ortos, et ab hydrargyroſi relictos. Lubenter Noſter cum guaiaco radicem dulcamarae, ſaponariae, eiusdemque folia coniungit. p. 603.

Si

*) v. VAN SWIETEN ſupra p. 87.
**) ib. p. 90.

p. 609. Si manus vel pedes tantum ſcabies infeſtat, eam optime citoque tollit herba boni Henrici recens bis de die impoſita, quae, quaſi magnetis inſtar, omnem humorem morboſum copioſe et cum maximo foetore ex ſanguine extrahit, vnde breui quoque tumor harum partium euaneſcit. Repulſae aut regreſſae ſcabiei ad cutem propulſionem adiuvat inter alia et fuligo, ad ſcrupulum ſaccharo admixta, et quotidie bis ſumta. Porro et haec ſcabies velut miasma varioloſum poteſt inſeri. Hanc ſequuntur hic lepra Graecorum, impetigo, elephantiaſis ſeu lepra Arabum.

Elephantiaſin bis in mare et femina Noſter obſeruauit, multaque ſymptomata, nunc ab antiquis, nunc a recentioribus nonnullis narrata, in ſuis aegris non vidit. In mare animaduertit Cl. VOGEL praemagnum pedum oedema et copioſum ſeri foetidi ex eo effluxum, vna cum ſingularibus vermibus, quos Cl. MVRRAY *) accurate, vti ſolet, expoſuit, addiditque icones: in femina hoc oedema prorſus defuit. Ad conſtituendam rite atque cognoſcendam elephantiaſin, eamque a Graecorum lepra, qua multo peior ac funeſtior, diſcernendam nihil aliud requiritur, quam vt cutis aſpera, atque pruriens, non ſolum crebris maculis, ſed et tumoribus crebris iisdemque, ex rubro liuidis, vel atris, inſimulque, duris et valde dolorificis, inque longam et tardigradam exulcerationem pronis, obſeſſa ſit. Laudatur et hic in elephantaſi externus ſus boni Henrici et dropaces reprehenduntur.

Iam

*) EIVSD. de vermibus in lepra obuiis iuncta leproſi hiſtoria etc. Gotting. 1769. 8. c. f. v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 238.

Iam Noſter progreditur ad achores, fauos et tineam, quorſum et cruſtam lacteam refert, quae faciem inprimis occupat. Sunt vlcera manantia ingenti cum prurigine et ſcalpendi cupidine coniuncta, acceduntque phthiriaſis et ſcrophuli. Suſtinent haec exanthemata interdum in acutis vicem criticarum excretionum. p. 622.

Inter quadrageſimum quintum et quinquageſimum aetatis annum mulieres maxime cancro laborant; frequentiſſimeque moniales eo corripiuntur. Non ſolum ex ſcirrho, licet plerumque, oritur; ſed ex nudatis, eroſis, vel alio atque alio modo laeſis papillis nerueis in qualibet cutis parte, inprimis in palpebris, oculis, lingua et cole. Eſt tum tumor fungoſus et idcirco quoque a Noſtro cum b. VAN SWIETEN *) cancer fungoſus appellatur. Profluuium ſanguinis ex cancro aperto cauſſam mortis non raro affert. Excipienda autem hic eſt illa haemorrhagia, quae in mulieribus, quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, ex papilla cancroſae mammae ſingulis menſibus forte contingit; quaeque nec immoderata, nec pernitioſa eſt, ſed quam maxime potius ſalutaris, dum ad bonam curationem cancri permultum confert. Belladonnae, quam et Cl. TIMMERMANNVS **) laudat, vſum cicutae Noſter in cancro praefert. Commendat porro Noſter aquae calcis viuae ***), ſex vel octo vncias mane et vesperi cum totidem vnciis decocti radicis ſarſaparillae vel ligni guaiaci aliorumque radicum et p. 634.

*) EIVSD. comm. in BOERHAVII aphoriſm. Tom. V. §. 496. v. comm. noſtr. Vol. hoc. p. 72 ſeq.

**) EIVSD. progr. de belladonn. Rintel. 1765. 4. v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 544.

***) v. Noſtri diſſ. de curat. cancr. occ. et apert. per aq. calcis viu. potam praeſtitam. Reſp. *G. M. H. Baumbach.* Gotting. 1769. 4.

et lignorum ſanguinem depurantium, addito decocto ſecundario pro potu ordinario et ſumtis ſingulo quatriduo vel octiduo pilulis balſamicis BECCHERI.

p. 640. De vermibus dum a Noſtro exponitur, crinonum et comedonum iniecta mentione, aſcaridibus, lumbricis teretibus atque taeniae addit duas alias ſpecies, faſciolam nimirum et trichuridem. Taeniae rurſus tres conſtituit ſpecies, taeniam acephalam, capitatam, cucurbitinamque. Praeter has vermium, qui ſaepe figura et colore variant, ſpecies, varia animalcula, vt bufones, anguillulae, hirudines, gordii, lacertae, ranae e. s. p. reperiuntur.

p. 652. Inter anthelmintica palmam centenis aliis praeripere videntur Noſtro, purgantia mercurialia, iterum iterumque data, ſemen cynae et decoctum hydrargyri. Atque iſta remedia aſcarides, lumbricos et trichurides fortiter enecant ac expellunt. Taeniis autem obuiam it radicis filicis, in puluerem contritae ſcrupulo, vel drachma dimidia, cum gummi guttae granis tribus mane et veſperi per aliquot dies. Lumbricorum numero euacuato, aut taenia expulſa, homines ita, vt poſt paracentheſin, ſe vacuos ſentiunt. Non raro et tum morbi neruoſi remanent.

Hac occaſione Noſter genuinam compoſitionem remedii arcani Cl. HERRENSCHWANDII, qui Cl. VOGEL hanc reuelauit, eamque patefacere permiſit, communicat cum Lectoribus. Conſtat nimirum ille puluis ex gummi gutta, ſale abſinthii et carbone fraxini.

p. 655. Morbis mentis finitur hic elegans ac lectu digniſſimus liber. Ac primum mania et melancholia: dein fatuitas, ſtupiditas, amentia, et denique obliuio a Noſtro exponuntur. Arcanam quandam diſpo-

diſpoſitionem in cerebro et ſyſtemate neruoſo, cum idioſyncraſia quadam, quae et hereditaria eſt, ſtatuit Noſter. Falſa eſt opinio, febre carere maniam. Febre acuta iudicata eſſe inſaniam et febrim per vrinam criticam vidit. Inter remedia hic hellebori albi radicem maniacis, melancholicis nigri ad pauca grana conducere legimus. Cadit porro in hos morbos mentis diſtinctio in connatos et acquiſitos, quae profecto et curam magnopere dirigit. Laudantur et hic alii libri, ad quos legendos lectores amandantur, vti praeclare et pulchre ſolitus eſt Cl. VOGEL, per totum hunc librum.

IX.

Das in Wien im Jahre 1771 *und* 1772. *ſehr viele Menſchen anfallende Fäulungsfieber. Samt Anhang einer bösartigen Krankheit, welche im Jahre* 1770. *unter den Kindbetterinnen im Spitale zu St. Marx gewütet hat. Beſchrieben von* I. P. XAVERIO FAVKEN *D.* A. D. etc. *Wien* 1772. *gedruckt bey Jo. Thom. Edlen v. Trattnern. Seiten* 70. *nebſt Vorrede.*

i. e.

Febris putrida, Viennae 1771 et 1772. admodum graſſata, cum maligno quodam morbo puerperarum, qui 1770. in noſocomio St. Marx occurrit. Auctore I. P. XAVERIO FAVKEN. M. D.

Venaeſectio in febribus putridis dirigenda eſt inflammatione, cum iis interdum coniuncta. Vbi venaeſectio et eius repetitio aeque magna commoda, quam in febribus putridis, inflam-

inflammatione non coniuncta, eadem affert incommoda. Quapropter et Cl. FAVKEN ſymptomata et ſigna febrium ſimplicium putridarum, vbi materia morboſa in primis ſolummodo haeret viis, et compoſitarum ſeu cum inflammatione, vbi praeterea et alia pars corporis inflammata eſt, ſedulo diſtinguit.

p. 31. Inter remedia, a Noſtro hic adhibita, reperimus et camphoram, cuius vim antiputridam magnopere laudat. Saepe et criſis metaſtatica ad parotides aliasque partes in his morbis occurrit, et hic ſuadet, emollientibus, externe applicatis, et lente agentibus, laxantia crebriora, ne impuritates, his emollientibus motae, ad viſcera nobiliora deferantur. In laeſis actionibus animalibus non ſolum epiſpaſtica Noſter adhibuit; ſed et praeterea caput, capillis detonſis, fermento panis non fruſtra inuoluit. Infantili aetati morbus nec adeo infeſtabat, nec adeo diu durabat: ac, cum ſaepe in hac aetate accedebat haemorrhagia narium, non tam crebro exhibuit laxantia, quae illam cum maxima noxa turbare, quin imo ſiſtere potuiſſent. Circa finem huius morbi in multis obſeruauit pelliculam ſalinam granuloſam, interdum ſedimentum rubellum. Porro et exanthematis vidit leuatos fuiſſe aegros.

p. 44. Inter cauſſas huius morbi refert Noſter aeris viciſſitudinem et impuritatem, nec non victus deprauationem, quin interdum boni defectum.

p. 61. Puerperarum morbus cernitur in depoſitione lactea in abdomine, qui cum eo, a b. VAN SWIETEN *) deſcripto, conuenit. Vterus nimirum poſt partum remanebat durus et tumebat, cum

*) v. EIVSD. comm. in aphor. BOERHAAVII Tom. IV. p. 505. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 407.

cum doloris ſenſu, lochiorum ſuppreſſo fluxu, diarrhoea, aeſtu, ſiti et cute humida, capitisque dolore. Abdomen tertio et quarto die nimis tumidum, et tenſum, verſus diaphragma, omnino dolebat et mammae inueniebantur flaccidae. Die ſexto et ſeptimo ita increſcebant haec ſymptomata, vt hic interimerentur.

Abdomine aperto, reperiebatur pſeudomembrana ex caſeoſa lactea materia (*Laab*), quae omnia omnino viſcera abdominalia eodem modo, quo omentum, obtegebat. Serum lactis autem in abdomine diffuſum erat. In quibusdam et illud ſpectabatur in thorace. Alia atque alia viſcera erant inflammata, et vterus in nonnullis ſphacelo tactus. p. *64*.

Ab initio hic morbus pro inflammatorio habebatur, atque ita venaeſectione cet. tractabatur; Sed, morbo hic accuratius examinato, in cadaueribus, ſuaſu Cl. STOERCK venaeſectio omittebatur et camphora in magna doſi cum cortice Peruuiano exhibebatur, nec non in clysmatibus; quae componebantur ex drachma vna camphorae, cum gummi arabici duabus trita, et octo vnciis iuſculi tenuis immixta, et ano immiſſa; quod tam diu uam diu fieri poteſt, ibi retinere aegrum oportet. Atque ita plus, quam quadraginta conſeruauit. p. *66*.

T 2 X. Re-

X.

Recueil d'obſervations de médécine des hôpitaux militaires. Fait et rédigé par Mr. RICHARD DE HAUTESIERCK Ecuyer, Chevalier de l'Ordre de St. Michel; ancien Prémier-Médécin des camps et armées du Roi; Inſpecteur général des Hôpitaux militaires de France, ayant la correſpondance des mêmes Hôpitaux et des autres du Royaume, où l'on reçoit des ſoldats malades; Médécin-conſultant du Roi, et ordinaire des grande et petite Ecuries; de l'Univerſité de Montpellier, et des Académies de Gottingue et de Beſiers. Tome ſecond. A Paris, de l'imprimerie royale. 1772. 4. Alph. 4. plagg. 7. Praefatio et elenchus capitum plagg. 4.

i. e.

Collectio obſeruationum medicarum, ex noſocomiis militaribus facta, et in ordinem redacta a Cl. RICHARD DE HAUTESIERCK. Tomus ſecundus.

p. 1. Idea ſecundi huius tomi eadem eſt, quae prioris, cuius recenſionem alio tempore exhibuimus *): in eo tamen ordinem nonnihil mutauit Cl. RICHARD, quod ſingulos tractatus pro ſubiectorum conuenientia et affinitate combinauerit et inde tredecim capita conſtituerit, quae nunc, iisdem, vt in priore tomo, legibus ſeruatis, indicabimus.

Caput primum commentarios topographico medicos ſiſtit, nimirum

De

*) comm. horum Vol. XVI. p. 88 ſeqq.

De ſolo, incolis et morbis Alſatiae, Auctore Cl. RENAVDIN. p. 6.

De ſitu, aere et aquis vrbis Perpiniaci (Perpignan, *et comitatus Ruſcinonenſis* (Rouſſillon), Auctore Cl. BONAFOS. p. 49.

De ſolo, aere et aquis vrbis Caleti (Calais) *et regionis eiusdem* (Calaiſis), Auctore Cl. DAIGNAN. p. 64.

Hiſtoriam medico topographicam vrbis Monteli-marti in Delphinatu, Auctore Cl. MENVRET. p. 121.

Caput ſecundum obſeruationibus meteorologicis dicatum eſt; ſed nullas, niſi eas continet, quas Cl. DE LASSE' Atrebati per integrum annum, nempe ab octobri 1770. vſque ad ſeptembrem 1771. inſtituit. p. 191. p. 193.

Caput tertium morbos epidemicos continet. Primo loco Cl. BONCERF febrem putridam malignam cum purpura coniunctam deſcribit, quae 1764. in vico *Angeruille*, prope Stampas graſſata eſt: ortum debebat aeri, a putrefactis cadaveribus infecto, itemque eſui animalium, morbo iam affectorum, et cerealium, humido tempore collectorum, neque ſiccatorum: remotis his cauſſis vniuerſalibus multum miteſcebat; de reliquo autem in principio vomitoria et poſtmodum laxantia ex acidulorum claſſe, (venae ſectionem non, niſi in ſubiectis plethoricis, et quum intolerabilis capitis dolor vrgeret, ac ne tunc quidem absque cautione), poſtmodum acida vegetabilia et mineralia, cum regimine diaphoretico, adiuncto, vbi opus erat, kermes minerali, requirebat. p. 217. p. 223.

Pertinacior et grauior eadem febris fuit, quae ex deſcriptione Cl. BONNEVAVLT, per octo integros menſes anni 1766. Arboſii (*Arbois*) in p. 228.

in comitatu Burgundiae (*Franche - Comté*) potiſſimum inter inferioris ſortis homines ſaeuiit; cui tamen purpura non ſuperuenit: vermes eidem iungebantur: praeter conſueta remedia acetum camphoratum viribus cardiacis et antiſepticis maxime ſe commendauit.

p. 231. Amplior eſt deſcriptio morbi epidemici, cuius curam in noſocomio Montelimartenſi Cl. MENVRET anno 1767 habuit. Erat pleuritis cum febre putrida verminoſa complicata, cuius cauſſae in praecedente autumno humido atque hyeme intenſius frigido, et improuido vſu animamalium, morbo epidemico aegrotantium, quaerendae erant; ſubſequente autem vere euanuit: remediis, aduerſus vtrumque morbum directis, in vſum vocatis, licet periculoſior videretur, tamen feliciter plerumque ceſſit.

p. 259. Cl. DE LOISY morbos epidemicos deſcribit, qui eodem anno Cabilloni (*Challon - ſur - Saône*) graſſati ſunt, et quos ab eodem intenſiore frigoris praegreſſi gradu deriuat. Vernali tempore morbi inflammatorii faucium, febre acuta ſtipati, cui frequenter eruptiones cutaneae, non tamen criticae, imo ipſa purpura, ſuperueniebant, maxime communes erant, et potiſſimum infantibus infeſti; lenioribus tamen medicamentis refrigerantibus, diluentibus, humectantibus, optime ſuperabantur, raro, nec niſi in adultis, venae ſectione neceſſaria: calidiore contra medicina exaſperabantur. Autumno vero iidem morbi ſenſim ſenſimque in febres putridae indolis tranſibant, easque graviores, horrendis interdum ſymptomatibus comitatas, et vltra quinquageſimum ſaepe diem durantes; neque tamen et hae, modo conuenienter tractarentur, adeo inſignem ſtragem ediderunt, licet ſummum omnino periculum portendere viderentur.

tur. Sanguinis miſſio vel inutilis erat, vel adeo noxia: ſumma ex aduerſa parte vomitoriorum neceſſitas: laxantia, ne leniſſimis quidem exceptis, morbum exacerbabant. In leuiore morbi gradu ſola diluentia, refrigerantia, leniter reſoluentia ſufficiebant; grauior autem veſicatoria et cardiaca, praecipue camphoram, poſtulabat. Criſis manifeſta numquam morbum ſoluebat, vnde tam diuturna eius duratio; verſus finem tamen tranſpiratio paullum aucta obſeruabatur.

Cl. DVFOT de morbis epidemicis diſſerit, p. 272. quos per annos 1766-1770. in pago Laodunenſi (*le Laonnois*) obſeruauit. Omnes ad febres putridas vel ſolas, vel ſimul inflammatorias pertinebant, licet diuerſas formas aſſumerent; omnes etiam eodem fere modo tractauit, a venaeſectione prorſus abſtinens, vomitum ope tartari emetici primo cum ſale Epſamenſi, poſtea cum decocto ipecacuanhae in largo vehiculo ſumti, ciens, et poſtmodum, ſeruato regimine antiphlogiſtico, ſi quid amplius requirebatur auxilii, in cortice Peruviano, nunc ſolo, nunc cum camphora, nunc cum ſale ammoniaco, nunc cum rheo, plerumque in infuſo vinoſo ſubſiſtens.

Progredimur ad caput quartum, quod de criſibus et metaſtaſibus agit. p. 286. Praemiſſis nonnullis generalioribus, quae hanc doctrinam ſpectant, obſeruationes variorum medicorum enarrantur, quas breuiter repetemus. Infans ſexennis poſt febrem acutam cum dolore in femore dextro correptus eſt abſceſſu ſub axilla eiusdem lateris, cuius aperturae cum parentes repugnarent, pus reſorptum aegrum in ſummum periculum coniecit: donec idem per vrinam vltra tres menſes excerneretur, isque nullis in omni morbo adhibitis remediis, ſanitati reſtitueretur. Miles pleuro-peripneumonia laborans, cum

recrudeſcente paroxysmo ex pede ſanguis detractus eſſet, vrina ſanguinolenta, per tres dies miſſa, ſanatus eſt. Alius, cui in febre tertiana vena ſecta et emeticum exhibitum fuerat, diſparente protinus febre, paralyſi linguae et aſperae arteriae corripiebatur; emetica, draſtica et clyſteres ſtimulantes, licet efficaciter agerent, tamen vſu carebant; ſed ſternutatorium ex maiorana et helleboro albo, et maſticatorium ex pipere albo, ingens materiae ſeroſae effluuium praeſtabant, et vna cum veſicatorio, nuchae applicato, curationem abſoluebant. Decubitus fiſtuloſus ad anum in viro viginti ſeptem annorum febrem acutam cum exſcreatione materiae purulentae ſuſtulit. Leucophlegmatiae, ipſiusque adeo anaſarcae curationes, per febrem intermittentem, ſponte accedentem, praeſtitae, morbo iam per diureſin, iam per ſudorem ſublato. Vir viginti duorum annorum, poſt ſuppreſſos tumores ſubaxillares ſcrophuloſos, inflammatione pectoris capiebatur, quam icterus vniuerſalis, amauroſis, dolores inteſtinorum et vomitus continuus inſequebantur: tandem decubitus fiebat in epigaſtrio dextro, cum paralyſi extremitatum inferiorum; maturantibus autem applicatis, tumor eo deductus eſt, vt aperiri poſſet: quo facto, ingenti copiae puris cum materia nigricante ſeu ſanguinolenta exitus factus et aeger ſanitati priſtinae ſucceſſiue reſtitutus eſt. In ſexagenario, poſt apertum abſceſſum in digito minimo manus ſiniſtrae, retentio vrinae acceſſit, vbi catheteris ope vrina nigra et corrupta educta eſt; ſuperſtite tamen paralyſi veſicae ſatis pertinaci, nec niſi ſucceſſu temporis cedente: Cl. MOVBLET, obſeruationis huius auctor, explicationem ſe plane ignorare fatetur; Cl. RICHARD autem hanc mutationem conſenſui neruorum tribuendam putat. Febris tertiana pertinaciſſima, omnibus adhi-

adhibitis remediis obſurdeſcens, non, niſi reuocata per vſum decoctorum aliorumque reſoluentium ſcabie, quae antea intempeſtiue repulſa fuerat, cedebat. Eques deſultorius a vulnere gladio inflicto, febre inflammatoria corripiebatur, quae ob neglectum regimen in putridam degenerabat: poſt varias mutationes veſperi quadrageſimi diei dolor in femore percipiebatur; ſuccedentibus paullo poſt fluctuationis indiciis, abſceſſus incidebatur, detegebaturque faſcia lata prorſus ſphacelo corrupta: aptis autem adhibitis remediis internis aeque ac externis curatio perfecte ſuccedebat. Triſtior erat metaſtaſis in alio milite, qui angina inflammatoria laborabat, quae nocte inter quartum et quintum morbi diem in pectoris oppreſſionem et colicam tranſiens ſeptimo die aegrum iugulabat.

Caput quintum de morbis cutaneis, ſcabie cet. retropulſis differit. Cur haec vitia noſtris temporis adeo communia ſint, inde forte pendere exiſtimat Cl. RICHARD, quod virus venereum nunc male corrigatur, et praeſentis ſeculi viuendi ratio humores, acriores redditos, facilius ad cutim debilitatam amandet. Adductae obſeruationes variorum auctorum morbos periculoſiſſimos, a repreſſa ſcabie ortos, enumerant, v. c. febres acutas, inflammatorias, hydropis varias ſpecies, aſthma, haemoptoen, phthiſin, cariem coſtarum et ſterni cet. qui, quod optimum erat, ſcabie quocumque modo reuocata; interdum etiam ſine eius recurſu, ſanationem admiſerunt; nonnunquam tamen, omnibus incaſſum tentatis, aegros miſere confecerunt. p. 308.

Caput ſextum obſeruationes de morbis hepatis, ſimili modo collectas, ſiſtit. Occurrunt hic varia p. 329.

exempla abſceſſuum ad hepar, felici euentu curatorum; calculus veſiculae felleae poſt choleram enatus, ſaluo tamen aegro per inteſtinum rectum excretus; nonnulla exempla noxae ex abuſu potus ſpirituoſi, variis mutationibus viſcerum abdominalium conſpicuae, inprimis hepatis, quod in vno ſubiecto 26, in alio 6 librarum pondus habuit: in alio multis tuberculis ſcirrhoſis obſitum conſpectum eſt (in vno tamen horum aegrorum culpae quaedam pars in improuidum corticis Peruuiani vſum, quo quartana repulſa fuit, coniici debet); icterus, et in alio ſubiecto abſceſſus ad hepar, laeſionibus capitis ſuperuenientes, abſceſſus in parte ſuperiori, poſteriori et conuexa hepatis, eroſo diaphragmate pus in pectoris cauitatem effundens; tandemque peculiaris quidam morbus, hydropis billioſi et purulenti nomine, a Cl. DVBOVCHER inſignitus, in femina viginti annorum obſervatus, quae hepatitide affecta, quinta hebdomade fluctuationis in abdomine indicia prodidit, vnde, ter intra paucos dies paracenteſis inſtituta, et ingens copia materiae flauae et craſſae educta eſt: poſt decem menſes, iterum tumeſcente abdomine, eadem operatio repetebatur; febre vero hectica ſuperueniente, res in deterius ruere videbantur: quum autem decimo quarto morbi menſe ſeptima vice paracenteſin ſuſtinuiſſet, eaque pus foetidiſſimum vna cum materia biliosa, ſed vtrumque non inter ſe commixtum, reddidiſſet, abſceſſu ad vmbilicum formato et ſponte rupto vsque ad decimum ſeptimum menſem eiusdem indolis materiae exierunt, quam criſin excepit profluuium alui, eiusdem indolis, quo mediante ſimul partes membranaceae, ambitus aliquot pollicum, coloris ex rubro flaueſcentis, excretae fuerunt; duobus elapſis menſibus, ſcabioſa eruptio, totum corpus obtegens, morbum feliciſſime terminauit.

Caput

Caput ſeptimum de hydrope agit. Prolixe ſatis Cl. RICHARD demonſtrat, morbum hunc ideo ſaepe omnem curationem reſpuere, quod medentes tantum euacuantibus reſoluentibusque inſiſtant, primae morbi originis, ab obſtructis aut ſpaſtice contractis vaſis minimis pendentis, nulla plane ratione habita; ideoque humectantibus prae reliquis opus eſſe, quibus ſi valentiori medicinae viae patulae redditae ſint, omnia melius progreſſura eſſe. Quod et copioſae obſeruationes adiunctae probant; ex quibus praeterea memorabilis viſa eſt ea, quae Cl. BONAFOS debetur, de duobus militibus hydropicis, ſolo ſucco taraxaci reſtitutis: porro hydrops aſcites, a plethora ortus, quem Cl. DVTIL potiſſimum repetita ſanguinis miſſione ſuſtulit; oedema, in corpore gibberoſo itidem ab intercepto humorum circulo ortum, eodem modo curatum, quo, cum poſt annum rediiſſet, et alius medicus auxilio priori vti noluiſſet, aeger mortuus eſt, et cor mirae magnitudinis et capacitatis obtulit; aſcites pleuritidem ſecutus, paracenteſi et diaeta lactea curatus; exemplum feminae, quae, intra duos annos cum dimidio, ſexageſies paracenteſin ſubſtinuit, et hoc auxilio ſenſim medicinae locum parante tandem reſtituta eſt; hydrops aſcites in ſene 79 annorum vomitu curatus; idemque morbus in milite ſublatus, in quo vectio in curru, cum vna cum aliis aegrotis in alium locum deferretur, primum curationis initium fecit. Multae hic enarratae curationes peractae ſunt pilulis quibusdam tonicis, a Cl. BACHER iam anno 1731 in vſum vocatis, quarum vtilitatem filius eius peculiari iam libello *) depraedicauit, (in quo etiam vſum p. 360.

*) Expoſition des différens moyens vſités dans le traitément des hydropiſies. à Paris, 1771.

vſum humectantium, in hoc morbo ſummis laudibus extollit), et multorum medicorum teſtimonia, qui iuſſu regis in noſocomiis militaribus experimenta cum hoc remedio inſtituerant, adduxit. Huius iam remedii compoſitionem, qualem Cl. BACHER exhibuit, nunc Cl. RICHARD publici iuris facit: conſtant ex radicis hellebori nigri extracto, quod paratur, radicibus prius cum ſpiritu vini alkaliſato maceratis, poſtea cum vino rhenano optimae notae digeſtis, dein extracto in aqua ſoluto, rurſus inſpiſſato et addito tantillo ſpiritus vini optimi in extracti conſiſtentiam redacto; huius extracti vnciae vni adduntur ſimilis portio myrrhae, in aqua lento igne ſolutae, et ad extracti conſiſtentiam inſpiſſatae, et ſcrupuli decem pulueris foliorum cardui benedicti, vt maſſa exiſtat libero aere ſiccanda et in pilulas, ſingulam grani dimidii, formanda. Harum pilularum effectus, praemiſſis humectantibus, eorumque vſu adiuncto, cernitur potiſſimum in purgatione aluina et diureſi mouenda: vſum etiam aliquem earum eſſe poſſe in pituitoſis pectoris morbis, obſeruatio quaedam, Cl. DAIGNAN ſperare iubet; exulare autem debent, vbi nimia ſiccitas, aut putredo, aut gangraena adeſſe conſpiciuntur: multum praeterea in doſi et tempore exhibendi prudentiae requiri, quisque facile perſpicit.

p. 443. Caput octauum varias obſeruationes de morbis conuulſiuis et verminoſis continet. Puella octo annorum, epileptica, vſu infuſi concentrati galii lutei et ſuperueniente febre tertiana curata eſt; alia vndecim annorum, chorea S. Viti laborans, ſolis emollientibus et demulcentibus clyſmatibus et balneis pauciſſimis antiſpaſmodicis, proprie ſic dictis, in vſum vocatis: alia ſeptendecim annorum, eodem

morbo

morbo laborans, vomitoriis, purgantibusque repetitis, tandem tonicis et antiſpaſmodicis, cumque conualeſceret, frequenti ſanguinis miſſione, qua tandem menſtruus fluxus prouocatus, ſanitati prorſus reſtituta eſt: qua occaſione ſimul Cl. MADIER monet, caſtoreo tripla doſi opio addito, hoc vere corrigi; neutiquam tamen imminuta eius virtute, et tria opii nouemque caſtorei grana, ſpiritu vini diſſoluta, et aquae tepidae admixta in inteſtinum rectum iniecta, praeſentiſſimum anodynum ſiſtere, quum opiata ventriculum offendant. Pleuritis, opii abuſu in paraphrenitidem tranſiens, copioſis et ſubito repetitis venae ſectionibus, kermes minerali in ſucco borraginis, quod ſudor vehemens et diarrhoea bilioſa inſequebantur, et demum lacte vaccino cum infuſo hyperici remiſto tollebatur. Piſtores morbo quodam ſingulari, aſthmatis ſpecie, laborant, in quo venaeſectio aperte nocet; tuſſi autem per potionem ſtimulantem ex ſpiritu ſalis ammoniaci, floribus benzoes, ſyrupo de eryſimo et aquis deſtillatis excitata, reiiciuntur glomeres, ex muco et farina compacti, bronchia obſtruendo morbi cauſſam ſiſtentes. Podagricus, a peripneumonia conualeſcens, grauiter iratus conuulſionibus letalibus corripiebatur. Miles vomitu continuo, ſingultu et conuulſionibus iam ad incitas redactus, potione anthelmintica et purgante ſeptem vermes viuos, longitudinis ab octo ad duodecim pollices, vomitu reddidit et ſanatus eſt. In alio nauta epilepſia vehementiſſima producta eſt, a verme pedis longitudine, qui etiam vomitu viuus reiectus eſt. Iuuenis tredecim circa annorum per vndecim dies conuulſionibus affectus eſt, quae omnibus remediis obſurdeſcebant; tamen vſque ad articulum mortis ſonis inſtrumentorum muſicorum mitigabantur. Secto cadauere in confiniis ilei et craſſorum inte-

ſtino-

ſtinorum ſeptem vermes, longitudinis tertiae partis brachii, conſpiciebantur: qui irritando inflammationem inteſtinorum produxerant; ſimilis etiam ſub agone egreſſus erat. In alio viro, colica, 24 horas durante, exſtincto 367 vermes, quinque ad ſex pollices longi et craſſitie calami ſcriptorii, inuenti ſunt, in glomerem conuoluti, qui inferiorem coli partem et coecum prorſus replebant; his ipſis inteſtinis ſimul inflammatis et gangraenoſis. Miles quidam paralyſi linguae affectus et vocis exercitio deſtitutus, adminiſtrato emetico valentiore, multos vermes eiecit, et continuato purgantium cum anthelminticis coniunctorum vſu, perfecte conualuit. Virgo melancholica et conuulſionibus tentata ſenſim plus quam tria millia vermium cucurbitinorum per anum eiecit, et hoc morbo liberata ſanitatem recuperauit. Cephalaea enormis, vermiculo, per ſternutationem reiecto, ſanata. Poſt febrem putridam verminoſam in abdomine inuentum eſt ſerum flaueſcens, in quo vermes duo natabant, tertiusque iam perforato ileo in eo erat, vt prioribus ſe aſſociaret; in eodem inteſtino erat voluulus, et in omnibus tenuibus excoriationes manifeſtae, iisdem animalibus adſcribendae.

p. 487. Caput nonum de morbis oeſophagi, ventriculi et inteſtinorum agit. Primo de angina inflammatoria, per ſanguinis miſſiones copioſas, clyſteres emollientes et interpoſitos purgantes, veſicatorium nuchae impoſitum, emplaſtra emollientia, et, quam primum licebat, gargariſmata ſtimulantia oppugnata, quam poſtea abſceſſus in anteriore colli parte felicem ad finem perduxit. Porro de deglutito fruſtulo carnis male coctae, cuius detruſionem ope linteoli virgae balaenariae affixi fruſtra tentauerant, imo ipſum linteolum in oeſophago reli-

reliquerant; febre iam exacerbata, ſanguis aliquoties detractus et topica emollientia applicata ſunt: poſtea, exhibita potione oleoſa emetica, excitatus vomitus corpora peregrina expreſſit et ſanitas rediit. Intempeſtiue ſumtum emeticum choleram produxit, quam diluentia, refrigerantia, acidula potulenta, adhibitis ſimul clyſmatibus et fomentis emollientibus, aegre ſuſtulerunt. Noxii effectus acidorum mineralium concentratorum: in puella oeſophagus, et ventriculus, vſque ad pylorum, gangraenoſi; in alia virgine, quae tardius occubuerat, hinc inde in iisdem partibus vlcera, et in trium digitorum a pyloro diſtantia foramen, per quod ouum tranſire poſſet, inuenta ſunt: miles autem, qui poſt duo minuta ſpiritum nitri vomitu reddiderat, denique ſine apparente laeſione oeſophagi vel ventriculi reſtitutus eſt, poſtquam omnium dentium iacturam feciſſet. Vomitus continuus materiae, cauſtica acrimonia praeditae, ſolius lactis vſu curatus eſt, contra quem omnis generis remedia nihil praeſtiterant. Scirrhoſae pylori indurationes, vomitus habitualis cauſſae. Nuclei ceraſorum et prunorum, coecum obturantes, in vno aegro, qui, globulis aliquot plumbeis deglutitis, ſine dubio obſtaculum, in inteſtinis haerens, ſe vincere poſſe exiſtimauerat, hoc inteſtinum cum proxima ilei et coli parte inflammauerunt, et harum partium, coalitum effecerunt, conſpicuis ſimul multis tuberculis ſcirrhoſis, et inſigni puris copia in cauitate contenta; in alio inſignem tumorem cum aſcite coniunctum, qui poſt decem menſes mortem induxit. De colica pictorum ſeu ſaturnina, et de colica vegetabili Pictonum, cuius egregiam deſcriptionem Cl. BONTE' exhibuit *): magna vtriuſque inter ſe conuenientia eſt,

*) vid. Comm. horum Vol. XII. p. 651 ſeqq.

eſt, cum ratione mutationum, quas cauſſae licet omnino inter ſe diuerſae in corpore producunt: tum ratione curationis, quae potiſſimum euacuantia primarum viarum, at valentiora, requirit (leniora enim ſolida non ſatis viuide ſtimulant, quod tamen opus eſt, quo materiam adeo denſe ſibi inhaerentem expellant) interpoſitis anodynis: recidiuae potiſſimum inde pendere ſolent, ſi morbus ſolis euacuantibus lenioribus impugnetur: venaeſectio rariſſime locum habet, et ſaepe paralyſin inducit; ſummum et certiſſimum remedium in mutatione ſoli et aeris poſitum eſt, quae ſaepe ſola paralyſin relictam tollit.

p. 517. — Caput decimum de iuſto et iniuſto vſu corticis Peruuiani agit. Improuide vſurpatus aduerſus febres intermittentes, antequam primae vel ſecundae etiam viae ſufficienter euacuatae eſſent (vomitorio vix vnquam ſuperſederi poteſt in eiusmodi febribus,) cachexiam, icterum, hydropem, pleuritidem, et mirando ſane exemplo loquelae priuationem cum oppreſſione pectoris induxit: epidemica etiam tertiana eiusdem vſum prorſus non tulit; quae tamen ſola ptiſana ex cichoreo et ſale mirabili GLAVBERI profligebatur: ceterum eius virtus antiſeptica duobus exemplis gangraenae cruris et carbunculorum in digito exortorum demonſtratur.

p. 533. Caput vndecimum morbos quosdam chirurgicos recenſet. Primo obſeruationes Cl. SIMON, de carie tibiae, trepanatione in parte ſuperiori et inferiori faciei internae, longa quidem, ſed felici curatione ſanatae; de fractura complicata tibiae, in qua cum ſuperior fracti oſſis pars ſemper ſurſum tenderet, nec tamen apte ſerra reſcindi poſſet, eam peculiari arcula et torculari Petitiano depreſſit et coali-

coalitionem praeſtitit: de exſtirpato tumore cyſtico, cranio inſidente, cuius futuram exfoliationem, ne caries ſubſequeretur, perforando adiuuit: de reſtituto motu digitorum, a cicatrice poſt acceptum vulnus ſublato, ita quidem, vt liber vſus manus redderetur. Cl. PETIT, noſocomii Heſdinenſis chirurgus, de equite, in quo a caſu ab alto pericranium ſolutum fuerat, quique, trepanationi iam ſubiiciendus, multum ſanguinis et puris per aurem reddidit, crebrisque adhibitis venaeſectionibus et ſeuero regimine, 43 dierum ſpatio conualuit: et de alio, qui ab equo deiectus et calcitratus, adhibito trepano et ingenti ſanguinis, duram matrem comprimentis, et fragmentorum oſſis copia remota, ſanatus eſt. Cl. FONPERINNE de alio milite, qui ab ictu acinacis enorme vulnus ſuper oculo dextro contraxerat, in quo, cum portio oſſis coronalis ſponte decederet, trepanationi ſuperſederi poſſe putabatur; ſymptomatibus tamen increſcentibus, eadem inſtituta et per diſciſſam duram matrem ſemper ſub deligando parte quadam cerebri, quam ad vnciam integram aeſtimabant, egreſſa, aeger poſt 95 dies reſtitutus eſt. Cl. MOISSIER in femina, cuius abdomen a boue cornibus vulneratum erat, inteſtino colo ſimul gangraena affecto, ſcarifationibus aliisque auxiliis aduerſus gangraenam, et gaſtroraphia curationem praeſtitit, licet per ipſum morbi decurſum aegra clam radicibus ſolani tuberoſi veſceretur. Cl. PEYSSON in ſene ſeptuaginta fere annorum herniam inguinalem, a violento motu exortam, incarceratam, aegro operationem abhorrente, poſt ſex dies ſuppuratione, per rupturam abſceſſus leuata, curatam vidit. Cl. LONGIS de hernia veſicae, qua ipſius filius laborauit: dolor erat in reddenda vrina, quae non, niſi guttatim effluebat, ad apicem glandis potiſſimum inſignis, cum

 tumo-

tumore in inguine ſiniſtro, enterocelen mentito, qui facile reponi ſe patiebatur, ſed ſubito redibat, et repoſitus vrinae excretionem liberam reddebat: eo tempore, quo hiſtoria morbi huius conſcribebatur, morbus nondum penitus ſublatus erat; cuius tamen ſpem alebat Cl. LONGIS, interea infante in latus dextrum collocato, vrina ope cannulae extracta et compreſſionibus modicis adhibitis, ſtrictaque diaeta ſeruata. Idem exemplum recenſet iuuenis, qui teſticulum, frigore tactum, ſibi ipſi nouacula reſcidit, et licet inprimis haemorrhagia ex diſciſſa arteria ſpermatica grauia ſymptomata produceret; tamen intra menſem ita curatus eſt, vt inito poſtea matrimonio, liberos procrearet. Cl. LE RICHE militem, ab imprudenti vſu emetici hernia inguinali affectum, in qua inteſtina incarcerata gangraena corrumpebantur, operatione chirurgica et exhibitis laxantibus ex manna, in ſero lactis ſoluta, et adiuncto oleo amygdalarum dulcium, intra duos menſes reſtituit. Exempla nonnulla curationum vlcerum cancroſorum, per cataplaſma ex radicibus dauci trituratis, ad mentem Cl. SVLZER *) praeſtitarum per Cl. DENIS. Idem in infante recens nato digitos coalitos, et membrana ſatis denſa obductos, vidit: cum poſt aliquod tempus infans ſufficiens robur acquiſiuiſſet, vt operationi ſubiici poſſet, eadem ſatis bene cedere videbatur; ſed interea infans ex indigeſtione mortuus eſt. Cl. BOUILLARD de mucrone gladii duo et dimidium pollices longo, qui per longum tempus intra oſſa cubiti delituerat, ac demum extractus erat; ſubſequens curatio tamen debilitatem quandam et difficultatem motus reliquit; de hypopyo, per inciſionem infimae partis corneae, eiusdem indolis, vt in cataracta fieri ſolet, cura-

*) vid. Comm. horum Vol. XVI. p. 71.

curato; de hemeralopia in nonnullis militibus, qui ſub dio, facie verſus ſolem directa, obdormiuerant, methodo Cl. FOURNIER *) curata. Eundem morbum Cl. BRIDAULT anno 1762 frequenter in militibus legionis pedeſtris Carnutenſis (*Chartres*) obſeruauit, quae ſola eiusmodi aegros obtulit, quinque aliis, quae vna in inſula Oliaro (*Oleron*) praeſidio eſſent, immunibus: quod inde pendere videtur, quod haec legio ſtationem in oppido S. Martini inſulae Radis (*Rée*) tenebat, multis ibi laboribus fatigata: veſicatoriis ſine fructu vſurpatis, Cl. BRIDAULT extractum cicutae bis de die, a grani doſi incipiens, et vsque ad integram drachmam de die aſcendens, ſummo cum vſu adhibuit: eodem etiam remedio polypum narium ſanauit, et cataplaſmate ex dauco, ſupra memorato, cancrum faciei ſuſtulit in femina, quae ob inopiam ne diaeteticum quidem regimen ſeruare, multo minus internis remediis curationem iuuare poſſet. Cl. ROCHARD de hemeralopia, communi in Caloneſo (*Belle-isle*) morbo, a ſuppreſſa tranſpiratione orto, et Cl. FOURNIER methodo tractando; de tumore tunicato ſub axilla dextra, qui inciſus, pure euacuato, folliculoque ipſo ſubſequente curatus eſt. Poſtremo Cl. BOURIENNE de effectibus puncturae araneae cuiusdam, in Corſica habitantis, quae ab incolis *Marmignato* dicitur, magnitudine et figura tarantulae ſimilis, maculis octo flaueſcentibus in dorſo notata: quindecim milites ab ea puncti ſubito dolorem immenſum per totum corpus ſentiebant, qui adeo inceſſum perhibebat, quem ſtupor inſignis potiſſimum in articulationibus ſubſequebatur, cum idea, ſe a canibus rabidis deuorari; locus puncturae in aliis prorſus non patebat, in aliis

 leui

*) vid. Comm. horum Vol. VII. p. 216.

leui rubore ſe prodebat, facies inflammata, oculi ardentes, calor ingens per totum corpus, cutis ardens, ſed ad ſudores propenſa; pulſus tamen fere naturalis. Scarificationes profundae ad locum laeſum, oleum tepidum hyperici illitum, et ſudor, curioſius obtecto in lecto corpore prouocatus, morbum intra tres vel quatuor dies tollebant; ſi vero locus non patebat, neque ergo ſcarificatio adminiſtrari poterat, idem diutius trahebatur. Verſus finem extremitates inferiores petebat, et tunc pediluuia curationem accelerabant. Effectus puncturae pro diuerſitate tempeſtatum et partium laeſarum variant. Indigenae venenum ab animali proiectum accuſant; ſed vna cauſſa in irritatione neruorum et aponeuroſeon, ab aculeo facta, ponenda videtur. Saepe adeo remediis nimium calidis nocent: de reliquo calido fornaci aegros imponunt, et ſudorem hoc modo, ſaepe ſalutarem, eliciunt.

p. 580. Progredimur ad caput duodecimum, in quo obſeruationes anatomicae continentur. Varia exempla triſtium effectuum, quos abuſus potus ſpirituoſi edit, nimirum lien ingentis magnitudinis, herniam vmbilicalem producens, cum ventriculo, duodeno, hepate, ligamento eius ſuſpenſorio, reliquisque proxime inteſtinis et peritonaeo coalitus; ſcirrhoſus, ſuperius gangraenoſus, inferius in pus conuerſus, vt alias mutationes morboſas taceamus: in alio ſubiecto idem viſcus, ſine praegreſſis ſignis inflammationis, gangraena in foetidiſſimam putrilaginem reſolutum, ſubitae mortis cauſſa: in alio omentum adeo extenſum, vt facile vsque ad mediam femoris vtriusque partem pertingeret, latitudinis ad minimum 22 pollicum, pinguedine craſſa refertum et vaſis ſanguiferis, multum dilatatis, inteſtina tenuia gangraenoſa, craſſa contracta, membrana

brana externa in ſacculos peculiares, pingues et craſſos diuiſa; meſenterium craſſum, partim ſcirrhoſum, partim abſceſſu conſumtum; pancreas et lobus minor hepatis ſcirrhoſa; lien octo libras ponderans, coloris rubri, ſubſtantia hepati ſimilis, membranis conſiſtentiae cartilagineae, cellulis nulla ratione detegendis; ventriculus maxime contractus, liquorem bile tinctum continens: in alio veſica vrinaria totam fere regionem hygogaſtricam occupans, vaſis varicoſis conſpicua, calloſa, membrana interiore gangraenoſa, intus haerente liquore ſanguinolento plus, quam trium librarum: in alio pulmones ſphacelati, concretionibus lapideis repleti, hepar inflammatum, lien et meſenterium ſcirrhoſa, inteſtina gangraenoſa: in alio concretiones polypoſae in vaſis menyngum cerebri, ventriculo dextro cordis cet. in alio gangraena cardiae, ventriculi, inteſtinorum tenuium: in alio pulmo, pleura, mediaſtinum, pericardium, diaphragmatis pars carnoſa ſuppuratione tacta: in alio primae viae adeo contractae, vt per vltimos vitae dies nulla alimenta aſſumere poſſet aeger: in alio, qui ex ebrietate lethargicus obierat, ſinus longitudinalis ſanguine farctus, aqua in baſi cranii effuſa, cor ingentis voluminis, in auricula ſiniſtra polypoſa concretio, pulmones gangraenoſi, ventriculus et inteſtina tenuia inflata, gangraena et ſphacelo tacta, veſicula fellea ſolito maior, bile repleta, lien puſtulis albis obſitus. Miles 25 circiter annorum, a iuuentute aſthmate vehementiſſimo laborans, peripneumonia corripiebatur, et recidiuam eiusdem paſſus obibat, quam aſthmatis grauitatem non, niſi capite in pectus inclinato genubusque ad mentum fere eleuatis, mitigare quodammodo potuiſſet: cauſſam aſthmatis ſectio patefecit, nempe hepar inſolitae magnitudinis, per totam regionem

epigaſtricam extenſum et cum liene, itidem maiore naturali, coniunctum, vtroque viſcere arctiſſime cum diaphragmate coalito. In alio hepar ſcirrhoſum et ſuppuratione penitus conſumtum diaphragma, vsque ad tertiam et quartam coſtam veram ſurſum egerat, ſic, vt pulmones, prorſus ſiccati, vix diſtingui poſſent. Pericardium ictu gladii penitus, corde tamen illaeſo, perfoſſum, ſero ſanguinolento extrauaſato mirum in modum dilatatum, vt pulmones verſus poſteriorem partem thoracis reprimeret, poſt 45 dies mortem induxit, baſi cordis fere prorſus ſuppuratione deſtructa, quae etiam aortam et pulmonalem arteriam laeſerat. Hydrops pericardii in milite, phthiſi exſtincto, a Cl. DE HORNE obſeruatus, qui obſcuriſſimi huius morbi ſignum pathognomonicum in eo ponit, ſi cum frequenti palpitatione cordis, ſuffocatione habituali, debilitate et virium decremento pulſus paruus et durus coniungitur, et praecipue ſi aeger in alterutro latere decumbere nequit: paracenteſis vnum forte remedium; ſemper tamen anceps cenſeri debet. Idem vir Cl. anno 1755 Verduni peripneumoniam, inter milites graſſantem, obſeruauit, qualem anno ſuperiori Cl. BAGARD Nanceii itidem inter milites tractauerat, frequenter cum inflammatione cordis coniunctam, quod, ſectione facta, pericardium, purulenta materia repletum oſtendebat; cum fructu autem vtebatur in principio morbi crebris venaeſectionibus, poſtea largo potu decoctionis borraginis, adiuncto pauco nitro, et per interualla refracta doſi kermes mineralis; poſtmodum veſicatorio in ſuris, et prioribus medicamentis, addito oxymelite ſcillitico: raro morbus expectoratione, ſed plerumque lyſi ſolutus eſt. In alio milite, qui poſt morbum inflammatorium plerorumque viſcerum abdominalium 26

dierum

dierum mortuus erat, praecipuum momentum attentione dignum in quadam diſpoſitione ad riſum ſardonium conſiſtit, ex qua Cl. DE HORNE inflammationem diaphragmatis ſuſpicabatur, quod etiam ſectio cadaueris demonſtrauit. Alius doloribus vagis in pectore, cum aſthmate ſuffocante et vehementiſſima reſpirandi difficultate coniunctis, corripiebatur: poſt aliquot dies tumor intra ſeptimam et octauam coſtam dextri lateris apparebat, ex quo inciſo pus bonum effluebat; nihilominus tamen cum ſignis empyematis viribus exhauſtus, nullo vmquam febris indicio perſentiſcendo, periit. Mediaſtinum inueniebatur ſcirrhoſum, pleura in latere dextro cartilaginea, duplicaturam et ſaccum, liquore purulento plenum, formans, qui pulmones ſurſum preſſerat, ſuppuratione deſtructos, et ſub coſta ſeptima carioſa, ſinus ex abſceſſu olim aperto formatus, qui vsque ad vertebras et diaphragma progrediebatur; pericardium itidem cartilagineum, cordi intime accretum; auriculae cordis fere ſcirroſae; pulmo ſiniſter flaccidus, innatans liquori extrauaſato. In alio, phthiſi extincto, conſpiciebatur hepar, in quatuor lobos diuiſum, ingentis voluminis; lien paruus, in duas partes ſeparatus; veſicula fellea vacua, per ligamentum, quod colon et hepar coniungebat, in duas partes diuiſa; prolongatio ſeu appendix inteſtini ilei, trium pollicum longitudine: ex quo Cl. DE HORNE occaſionem nanciſcitur de improuido vſu globulorum plumbeorum, vel mercurii in affectibus colicis dehortandi. In hominis febre continua laborantis, cui poſtremo diarrhoea biliosa colliquatiua ſuperuenerat, cadauere, bilis coloris pulueris nicotianae Hiſpanicae, hepar mole auctum eiusdem coloris, abſceſſus in ſubſtantia lienis, epiploon et pancreas prorſus fere deſtructa, pericardium ſero flaueſcente

repletum, cor pallidum et liuidum, inuenta ſunt. In femina inteſtinum rectum incarceratum tympanitem letalem induxit. Stupendus effectus ingratorum animi affectuum in aegro, palpitationibus cordis ſubiecto: pericardium mirum in modum extenſum, aqua ſanguinolenta plenum; cor figurae prorſus rotundae; ventriculus vterque ad minimum libra dimidia ſanguinis craſſi, nigri, praetereaque multis grumis ſanguinis plenus. Excrementa lapideae duritiei, calculorum biliariorum ad inſtar flammam alentia, quae inteſtinum ileum penitus obdurauerant, in iuuene morbum eiusdem nominis letalem producebant. Poſt febrem intermittentem, quae vltra 18 menſes neglecta fuerat, lien ſcirrhoſus tandem maraſmum lethalem induxit: viſceris huius pondus ſeptem, vel octo librarum inuentum eſt, ipſumque figurae informis, duabus eminentiis itidem ſcirrhoſis terminatae, quae figuram pedis bouini referebant. Tandem effectus letiferi plagarum, quae militi in caput et pectus inflictae fuerant: praeter fracturas et contuſiones, exterius in capite conſpicuas, apophyſes baſilares diffractae et os ſphenoideum et occipitale, a ſe inuicem ſeparata erant, ſinus longitudinalis vacuus, laterales contra et omnia vaſa encephali ſanguine nigro ſpiſſo repleta; pulmones inflammati, ſuppurati; cor inflammatum, ventriculo anteriore grumis ſanguinis refertum; hepar magnum, bilis nigricantis ingens copia, inteſtina tenuia inflammata; vaſa ventriculi infarcta; lien putredine reſolutus; renes inflammati, pure repleti. Mirandum tamen, aegrum his laeſionibus, licet lethargo oppreſſum, tamen ad ſeptimum vsque diem ſuperviuere potuiſſe.

Longio-

Longiores fuimus in recenſendis iis, quae caput hoc complectitur, quum quisque vtilitatem facile perſpiciat, quae ex anatome practica in ipſorum morborum cognitionem illuſtrandam redundet. Breuiores nunc erimus in enarrando capite decimo p. 633. tertio, quod hiſtoriam et analyſin aquarum medicatarum Luxonienſium ſiſtit, curioſiſſime conſcriptam et experimentis ſolertiſſimis ſuperſtructam, cum ea omnia, quae hic traduntur, in compendio exhibere a breuitate noſtra quam maxime alienum ſit: quare in potioribus ſolummodo momentis adducendis acquieſcendum nobis eſt. Cl. SENAC iam in commiſſis dederat viris Cll. VENEL et BAYEN, ſupremo in exercitu regio pharmacopoeo, vt omnes aquas medicatas, quae non exigua in copia per totum Galliae regnum reperiuntur, examinarent; neque hunc laborem fructu cariturum eſſe, examen aquarum Selteranarum, a Cl. VENEL olim ſuſceptum *), ſperare iubebat: dolendumque omnino eſt, hoc opus, in medio curſu interruptum, ad finem nondum deduci potuiſſe. Interea, quum anno 1766 Cl. RICHARD iuberetur noſocomia militaria in tota meridionali Galliae parte luſtrare, iniuncta ſimul ei fuit disquiſitio et examinatio noſtrarum aquarum, ad quod opus laboris ſocium ſibi expetiit Cl. BAYEN, et ſic coniuncto ſtudio id effecerunt, cuius iam publice rationem reddunt.

Aquae hae, veteribus iam ſub nomine *Tarbellianarum* notae (ſiquidem plura etiam tum monumenta Romanorum proſtant, quorum nonnulla hic deſcribuntur), ſcaturiunt in valle, quae verſus meridiem, ad quartam horae partem a Bagne- p. 567. neriis, in pago conuenarum (*le pays de Cominges*)

 in

*) vid. Comment. horum. Vol. VI. p. 503.

in regione montoſa, haud procul a Pyrenaeis montibus ſita eſt; vnde etiam vernaculum nomen (*Eaux de Bagnères-de-Luchon*) traxerunt. Varii adſunt fontes, qui eas ſuppeditant: nempe principalis, ex fundo cauernae proſiliens, quae exſtructa eſt in domo, ad recipiendos pauperes aedificata, isque *ſource de la Grotte* vocatus; thermometrum Reaumurianum in eo ad 52 gradus aſcendit; in eadem domo balnea inſtructa ſunt, vbi, ob nimium calorem, aqua, admiſtis aquis ceterorum fontium, temperatur, (quod tamen Noſtri reprobant, ſatius ducentes, aquam refrigerio expoſitam, ad iuſtum caloris gradum reducere): porro fons reginae, (*ſource de la Reine*,) haud procul a priore, ſub dio, inter ſtrata ſilicis ſimplicis micacei erumpens, caloris 39 graduum, itidem canalibus ligneis in balnea, prius nominata, ductus: ad huius latera ex ſtrato lapidis ſciſſilis fons tertius, ſub egreſſu ſuo in duas partes ſe diuidens, quorum altera, caloris a 24 vsque ad 27 gradus, ob colorem fons albus, (*ſource blanche;*) altera caloris, 17 ad 21 graduum, fons frigidus, (*ſource froide,*) dicitur: et praeterea exiguus quidam, quem accolae ob frequentem in morbis oculorum vſum (*ſource aux yeux*,) nominant. In altero domus latere fons quidam conſpicuus eſt, qui a primo eius poſſeſſore (*ſource de la ſalle*) dicitur, ſed ad ipſum ex terra exortum obſeruari nequit: in peluim collectus calorem 35 graduum, nonnunquam etiam minorem, ſeruat. Haud procul ab hac ſcaturigine Noſtri aliam, olim iam detectam, intra lapides ſiliceos, et quarzoſos rurſus effodiendam curauerunt, quae immediate cum ea communicabat, et calorem 41 graduum, monſtrabat: in hoc labore, antequam ad aquam ipſam peruenirent, lapides omnes humidos, exterius efflореſcentiis vitriolico aluminoſis conſperſos, et profun-

profundius ligna, aqua hac impraegnata, deprehenderunt. Hae diuerſae ſcaturigines omnes, ſed diverſo gradu, odorem et ſaporem, hepati ſulphuris ſimilem, ſpargebant. Lapides iſti ex fragmentis, a montibus prope ſitis auulſis, exorti ſunt, et plerumque ex ſchiſto griſeo, intermiſtis fruſtis marmoris eiusdem coloris, et ſilicibus ſimplicibus micaceis conſtant; hi lapides comminuti etiam partem terrae conſtituunt: adſunt praeterea grana quaedam quarzi, et lapis arenoſus et ferruginoſus, mica conſperſus.

Succedit analyſis chemica aquarum, quae docet, iis ineſſe hepar ſulphuris ex natro ſeu alkali minerali et ſulphure compoſitum, ſalem mirabilem GLAVBERI, ſalem marinum, parcam portionem materiae pinguis, bituminis foſſilis nomine inſigniendae, et terrae vitreſcibilis; varia tamen horum ingredientium, pro varietate ſcaturiginum inter ſe proportione.

Eodem porro modo effloreſcentiae ſalinae, p. 603 prope ſcaturigines reperiundae, terrae et lapides, vicinae examinantur. Schiſtus ſupra memoratus duplicis indolis eſt, alter mica, alba et flaua repletus, alter eadem deſtitutus: terra, in interſtitiis horum lapidum haerens, itidem ſchiſtoſa eſt, multam micam continens; quae ex interiori et ex locis a fontibus humectatis educitur, caeruleſcit, et ſiccata griſeum colorem acquirit, odoremque, ac ſaporem hepatis ſulphuris, quem humida obtinet, perdit. Poſtquam autem aeri libero expoſita fuit, guſtum vitriolicum acquirit, et chemicis auxiliis tractata vitrioli et aluminis praeſentiam prodit, adeoque ipſae effloreſcentiae eadem principia cum ſelenite, ſed in diſpari proportione monſtrant; manifeſto indicio, has partes, non in aquis ipſis praeſentes, ſed extra eas productas

eſſe.

eſſe. Eaſdem mutationes in lapidibus obſeruarunt Noſtri, ſicut etiam in incruſtationibus quibusdam, quae muros balneorum obtegebant; in quibus tamen, praeter vitriolum, alumen et ſelenitem, etiam ſalem, Sedlizenſi ſimillimum detexerunt. Haec omnia obiter tantum indicaſſe ſufficiat; tamen nonnulla excerpamus momenta, non adeo preſſe ad harum tantum aquarum examen pertinentia; ſed vniuerſam hanc ſcientiae naturalis partem illuſtrantia.

p. 699. Quum poſt disquiſitionem quandam aquarum maſſa ſalina, bitumine tamen adhuc admiſto, relinqueretur; haec in aere libero humiditatem attrahebat: quod poſtmodum, calcinatione inſtituta, non amplius euenit, et elapſo ſatis magno temporis ſpatio ſal mirabilis, ſal marinus et alkali minerale inde producta ſunt: ex quo concludunt Noſtri, deliqueſcentiam nulli alii cauſſae, quam coniunctioni partis bituminoſae cum alkali minerali, adſcribendam eſſe.

p. 728. Mercurius in acido nitri ſolutus et per alkali fixum praecipitatus, ſi probe abluitur, et ad pondus vnciae vnius (menſurae gallicae), cum gr. XII florum ſulphuris triturando commiſcetur; in vaſe clauſo ſuper igne, cum maxima vi mouetur; vasque cum vehementi fragore diſrumpit; in cochleari ferreo igni expoſitus, poſt praegreſſum paucum fumum fulminat, et puluerem coloris, ex purpureo nigricantis relinquit, qui aqua deſtillata probe elutus, (et haec ſalinum principium ſuſcipit, ab alkali fixo in forma pulueris, nigri praecipitandum), et ſiccatus, in parua retorta, in pulcherrimam cinnabarin ſublimatur: ſimilia phaenomena praecipitatum, ex diſſolutione mercurii corroſiui, ope alkali fixi paratum, praebet.

Duae

Duae drachmae turpethi mineralis, non abluti, cum granis XXIIII carbonum, per triturationem coniunctae, retortae vitreae inditae et igni nudo expoſitae, dabant guttas aliquot phlegmatis, odorem penetrantem acidi ſulphurei, drachmam vnam et gr. vj. mercurii reſuſcitati, in recipientem tranſeuntis, flores ſulphuris in collo retortae, materiam nigram puluerulentam, quae cinnabarim nimio ſulphure alienatum, vel aethiopem mineralem referebat, et partem verae et elegantis cinnabaris; capite mortuo 20 granorum, in fundo retortae relicto. p. 729.

Notamus adhuc, Noſtros in Occitania inferiore, natrum ſeu alkali minerale ad ripam fluuii cuiusdam ſatis copioſe inueniſſe. p. 769.

Sub finem ex proprietatibus harum aquarum ipſarum virtutes reſoluentes, roborantes, abſtergentes et vulnerariae colliguntur, et morbi, in quibus internus aeque, ac externus earum vſus ſalutaris eſſe poſſit, recenſentur.

Appendicis loco (ſub peculiari paginarum numero) remedium quoddam, quod diu omnium attentionem in ſe traxit, publici iuris redditur: drageae KEYSERI. Hic nempe ſtatutam pecuniae ſummam a rege accipiens formulam huius arcani in duobus exemplaribus ſigillo munitis exſcriptam exhibuit, quae Cll. viris SENAC et RICHARD tradebantur, non, niſi poſt mortem auctoris, aperienda: quae cum eueniſſet, Cl. SENAC iam mortuo, Cl. RICHARD ſchedam ſibi commiſſam iuſſu illuſtris Marchionis DE MONTEYNARD, cui ſuprema rerum militarium, cura credita eſt, aperuit et modum, in ea deſcriptum, orbi erudito communicat. Per longinquam operationem, (quam quidem mutari multum et contrahi poſſe Cl. RICHARD perſuaſum habet; nullum certe, harum rerum gnarum, ſibi contradicturum inuenturus), mercu-

mercurius viuus iterata lotione in aethiopem vertendus, poſtea addita calce viua deſtillandus, et in mercurium reducendus, dein calcinatione in calcem rubram vertendus, et ſic mutatus in aceto deſtillato ſoluendus eſt: haec ſolutio poſtmodum, cum manna vel gummi arabico commiſcenda, et multiplici praeparatione paſta illa in drageas, ſeu pilulas formanda, Idem ille KEYSERVS varia momenta ſubiungit, quae ad illuſtrationem praeparationis remedii ſpectant, docetque, qua ratione varia alia inde elici remedia poſſint; pollicitus ſimul, ſe omnia, quae in horum remediorum vſu obſeruanda ſint, prolixe indicaturum; quod tamen, quantum nos quidem ſcimus, morte ſuperueniente oppreſſus, praeſtare non potuit.

XI.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche maatschappye der weetenschappen te Haarlem XIII. Deel Pars I. Te Haarlem by I. Boſch 1771. Pars II. 1772. 8. Alph. 2. pll. 15. tab. aen. 1.

h. e.

Commentarii Societatis ſcientiarum Harlemenſis. Vol. XIII. Pars I. II.

Societatem hanc, quo maior inde ex lectione horum commentariorum in lectores redundaret vtilitas, conſtituiſſe, indicem ſupra volumina prima duodecim generalem conficere, in quo quilibet commentarius, ſub quolibet doctrinae capite poſitus, in oculos quaerentium confeſtim incurreret, pateretque, in quonam volumine iſte contineretur,

legi-

legimus. Iam in eo conficiendo elaboratur, et ſimulac confectus fuerit, cura et ſtudio huius Societatis tanquam ſupplementum prodibit.

I. Reſponſio Cl. BENI. CARRARD V.D.M. ad quaeſtionem, ab hac Societate propoſitam: *Quid ad artem obſeruandi requiratur, et quatenus ea perfectioni mentis proſpiciat?* Ex ampla hac et bipartita tractatione, cum ad finem noſtrum non ita ſtare videatur, contenta tantummodó, quae cuilibet capiti praefixa ſunt, afferemus. p. 1.

Prima pars ſex capitibus abſoluitur, quorum primum agit, de deſcribendis variis obiectis naturae, eorumque virtutibus obſeruandis. Oſtenditur in altero, quid requiratur ad obſeruandam viam, qua natura in ipſis mutationibus, in rerum vniuerſitate oboriundis, incedit. Demonſtratur in tertio capite, qua ratione ſenſuum fallaciae obueniendum ſit, ita, vt omnia, quae ad magnitudines, diſtantias, figuras formasque corporum faciant, certo poſſimus definire, motus eorum eſſentiales ab apparentibus diſtinguere, curuasque inde, quas deſcribunt, detegere lineas. Agit in capite quarto de delectu inſtrumentorum, ad artem obſeruandi neceſſariorum, et de iis, ad quae in eorum vſu attendi debeat. Definitur animus in quinto, in obſeruanda natura neceſſarius. In ſexto denique capite ſuper nomenclatura, methodisque excogitatis producta naturae in ordinem redigendi disputatur. p. 6. p. 135. p. 252. p. 321. p. 367. p. 392.

In altera parte, quantum ars obſeruandi ad perfectionem animi conferat, examinatur, eaque quatuor capitibus conſtat. Commonſtrat in primo, quantum ars obſeruandi, ad augendas ideas noſtras iuuet. Definit in altero, quatenus haec ars comparationem idearum facilitet, quantumque nos p. 416. p. 419. p. 434.

iuuet,

iuuet, vt iuſtam inde et veram acquiramus cognitionem; vel vt, niſi ad rectam certitudinem pervenire poſſimus, rerum prohabilitates iuſte me-
p. 505. tiamur. Videmus in tertio, quatenus ars obſeruandi rationem humanam, ad res bene componendas, vel ſeparandas adiuuet; vel ſenſationi pulcri ſatisfaciendo, vel, ſi opus fuerit, nobis auxilium largiendo, producta naturae in vſum noſtrum con-
p. 539. vertendi. In quarto tandem oſtenditur, quomodo artis obſeruandi rationi noſtrae contemplationes offerantur, quae nos emendent, nobisque ideas creatoris magnificas ſubminiſtrent, quae animum noſtrum exacuent, et ad bene beateque viuendum conducant.

p. 557. 2. Commentarius *de parallaxi ſolis* Auct. I. F. HENNERT.

p. 601. 3. Obſeruatio *albae zonae coeli* (*witten hemelgordel*) Auct. Cl. IO. SCHIM et a I. F. MARTINET communicata. Aequalem, ſed paulo imperfectiorem, huius phaenomeni obſerationem Cl. MARTINET ſupra *) communicauit. Hic vero eam, quam Cl. SCHIM de hoc phaenomeno habuit, inſerit: ex quarum comparatione id elucet, hanc illa multo diſtinctiorem eſſe: id quod Noſter partim aedificiis Leidenſibus adſcribit, quibus impeditus, non horizontem totum diſpicere, nec ita lumen illud profundum boreale, cuius Cl. SCHIM meminit, obſeruare potuit; partim vero vario tempori, quo vterque obſeruationem inſtituit, attribuit.

p. 605. 4. Conſilium Cl. IACOBI VAN DER HAAR *de clauis verrucisque commode exſtirpandis.* Clauos a ſola

*) vid. Verhandeling. van deeze maatsch XII. Deel. p. 362 ſeq. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 592.

a ſola preſſione deriuandos eſſe, nemo facile negabit: id quod Noſter ex feminis Batauis probat, quae olim magnis prementibusque aurium ornamentis vſae, eiusmodi concretionibus calloſis, in marginibus aurium adficiebantur; vel quibus ob labem pectoris, phthiſeos v. c. vel carcinomatis, vni tantum lateri incumbendum eſt, iisdem excreſcentiis ob continuam auris frictionem, laborant *). Hinc omnis clauorum cura in remouenda preſſione ponenda eſt, quam ita ſuadet, vt rotunda corii craſſi et mollis particula, denarii magnitudinem aequans, vel etiam ſuperans, cuius media pars foramine, clauo paulo maiore, inſtructa eſt; vel emplaſtrum diapalmae, linteo ad eandem craſſitiem illitum, eiusdem magnitudinis et formae, ſupra clauum imponantur, ita, vt clauus non, niſi in margine radicis prematur; hoc vero operculum emplaſtro glutinante aliquoties obducto, per nonnullas ſeptimanas firmetur; vel, ſi opus fuerit, reiteretur. Simplici hac methodo cauſſa ſublata, effectum Noſter disparuiſſe vidit. Subſellium, vbi p. 609. clauus infra, vel lateraliter ſedem habuerit, craſſum et ex coactili exſtructum, pedi in calceo ſubiicit, vt in foramine, ibi, vbi clauus poſitus ſit, facto, ipſe ſine preſſione requieſcat. Exemplis Noſter preſſionem frictionemque, cauſſam clauorum, illuſtrat.

Verrucarum praeſentiſſimum et tutiſſimum re- p. 610. medium in tinctura cantharidum, vel emplaſtro veſicatorio conſtare Noſter expertus eſt. Pennula enim, hac tinctura imbuta, verruca, quotidie octies, vel duodecies tangitur; vel emplaſtro veſicatorio

*) HIPPOCRATES de morbis mulierum L. II. c. 20. edit. CHARTERII Tom. VII. p. 808. BOERHAAVE Aphor. p. 499.

torio per nonnullos dies tegitur. His remediis verrucas, cuiuscunque demum ſint generis, iuſte exſtirpari poſſe, Cl. Auctor defendit: quid? quod ipſae verrucae venereae, nullis, nec ipſi mercurio ceſſantes, ita plerumque euanuerunt. In atheromate eadem et calloſitatibus fiſtularum admodum ſe commendare Noſtro conſtitit; monet tamen, inveteratas cutis excreſcentias his non irritandas et maligniores reddendas eſſe.

Inſunt in altera parte:

p. 1. 1. *Reſponſio* S. R. IAN. SENEBIER *ad priorem quaeſtionem.*

p. 171. 2. *Eiusdem quaeſtionis tertia reſponſio* Auct. Cl. W. DE VOS.

p. 261. 3. Relatio Cl. G. BRVGMANS *de deglutitione difficili et vomitu pituitoſo.* Continuat Noſter eiusmodi morbos*) attente obſeruare. Vidua quadraginta trium annorum, temperamenti melancholici, paſſionibus crebrioribus hyſtericis vexata, impedimentum quoddam deglutitionis liberioris in medio circiter oeſophagi, aliquot ante mortem annos ſenſit, quem ſenſum abhinc continuo, ad praecordia eo magis, ſiquidem ea premerentur, percepit. Symptoma conſuetum vomitus continui materiae aquoſae, non aderat, nec viſcidum ſolutum, niſi in maiori morbi incremento, per os eiiciebatur. Pituita haec nunc craſſior tenaciorque, magna cum vi ſine praegreſſis alimentis ingeſtis, et cum inſigni ſiti, nunc vero ſtatim cum ingeſtis cibis euacuebatur, ita, vt etiam exinde ſumme aſthmatica redderetur, nec fere quidquam ingerere poſſet. Vſu interim ſeri lactis acidi valde iuuabatur,

*) Verhandel. van deeze maatsch. XII. Deel p. 13. in obſeruatt. vid. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 597.

tur, eiectioneque muci imminuta, deglutitio liberior paulo facta eſt; nec tamen, ſymptomatis paulo leuioribus, morbus ſublatus erat, quin potius non diu poſt mucus, per tempus in ventriculo collectus, ſimul cum ingeſtis cibis euomebatur, aegramque, non remittens, tabidam reddebat: quae denique, nullis iam auxiliis adiuta, paullo poſt exſpirauit. Cadauere aperto, ventriculum iuſto multo minorem in latere eius ſiniſtro ſuperiori interne et externe, multos paruos tumores carnoſos in ſe continuiſſe, quos diſſectos paullo exulceratos, nonnullasque horas in aquam immiſſos, in colorem aurantium mutatos eſſe repertum eſt. Inuenerunt porro oeſophagum, tres digitos ſupra cardiam valde induratum, copioſisque tumoribus ſimilibus duris obſitum, qui nec vllam exulcerationem, neque coloris immutationem oſtenderunt. Praeterea et in ſuperficie externa oeſophagi tumor paullo maior, oui columbini ad inſtar, ex fibris multis carnoſis filamentisque exſtructus, detectus eſt. Reliqua naturalia erant. p. 263.

4. *Experimenta ſuper noua agricultura* a Cl. I. F. MARTINET, communicata. Primum experimentum *Schalchly* quidam, ſecundum regulas nouae agriculturae, S. V. KEVCHENII anno 1767, cum tritico in horto ſuo ſic inſtituit, vt agrum in decem partes, octodecim pedes longas et duos latas, vnumque a ſe inuicem diſtantes diſtribueret, iisque iuſte adaptatis, grana boni tritici albi Seelandici, ſex pollices a ſe diſtantia, in qualibet parte terrae mandaret: his bene vegetatis maturisque redditis, quodlibet granum 36–38 ſpicas foecundas protulit, calculoque inde ex vno grano, 37 ſpicas ferente, ducto, 2153 vegeta grana et foecunda, 3 vncias ponderantia, habuit: ex quibus omnibus ergo ſimul collectis, conſtitit, ex ſemicyatho granorum ſupra p. 265.

 duos

duos modiolos (*vaten*) tritici boni productos fuiſſe. Caſu granum vnum ſecalis tritico immixtum 63 ſpicas, quae 3224 grana bona, et fertilia conferrent, protulit. Anno ſubſequente alterum inſtituit
p. 271. experimentum, cum eodem tritico Seelandico in agro, 192 pedes rheinland. longo et 62 lato, iuſte ad hunc finem adaptato et in 25 partes diſtributo, ita, vt menſe ſeptembri in qualibet parte tres ſeries, vbi grana, ſemidigitum a ſe diſtantia, inſereret, conſtitueret. Parte vigeſima, cum cura iuſta paullo negligeretur, loliumque, copioſius ibi excreſcens, non ita ſtatim eradicaretur, emortua, reliquarum 19 partium haec fuit productio: ſeptem ſupra 35, ſeptem 25-35, et quinque infra 25 ſpicas protulerunt: tres ariſtarum faſciculos porro, ſingulos ex vno grano progerminatos, computauit, quorum primus 38 ſpicas, quae 1337 grana comprehenderent, alterus 39, cum 1560 granis, et tertius 52 et 1898 granis oſtendit: computoque generali facto ex vno 339 grana habuit.

p. 277. Tertium experimentum 1769, eadem methodo et maiori quidem cura in eo ipſo agro inſtitutum, non ita felicem habuit ſucceſſum: hyeme enim ſatis pluuioſa ager inundatus glacieque obductus eſt, ita, vt etiam parte vigeſima deperdita, 19 ſaluae quidem manerent, haud ita vero gratae. Secalis granum caſu huc immiſſum, 73 ſpicas cum 4337 granis produxit.

Sequuntur obſeruationes meteorologicae Zwanenburgenſes anni 1770.

XI.

The natural hiſtory of the human teeth: explaining their ſtructure, vſe, formation, growth and diſeaſes. Illuſtrated with copper plates by JOHN HVNTER F.R.S. and Surgeon to St. George's Hoſpital. London, printed for I. Iohnſon 1771. 4. mai. pl. 21. tab. aen. 16.

h. e.

Hiſtoria naturalis dentium humanorum, in qua ſtructura, vſus, formatio, incrementum et morbi eorum explicantur, ac tabulis aeneis illuſtrantur. Auctore IOHANNE HVNTERO.

Egregium hoc, quod nunc indicamus, opus ſtudio IOHANNIS HVNTERI, fratris GVILIELMI HVNTERI celeberrimi illius Londinenſium diſſectoris et medici conſcriptum eſt, quem hic Noſter in examinanda corporis humani ſtructura non modo adiuuat, ſed et doctrinam fratris artemque mirifice aemulatur. Quod quidem, niſi iam ex aliis ſpeciminibus pateret, hac dentium humanorum hiſtoria ſatis comprobaretur, quippe quae inter praeſtantiſſima ſcripta anatomica, quibus noſtrum aeuum gloriari poteſt, omnino referri meretur. Omnes autem, quae in ea continentur obſeruationes, vti Cl. Auctor in praefatione ipſe monet, ante annum huius ſeculi quinquageſimum quintum factae et in Cel. GVILIELMI HVNTERI lectionibus publice demonſtratae ſunt. Tabulas vero aeneas praeſtantiſſimas, quibus hoc opus

ornatum eſt, Cl. RYMSDYCK delineauit; aeri autem eas inciderunt Cl. GRIGNON, STRANGE, RYLAND, aliique celeberrimi, quos iam Anglia alit, in hac arte viri.

In tractando vero argumento ſuo, hoc eſt, in exponenda dentium humanorum hiſtoria Cl. Auctor ita verſatur, vt primo deſcribat maxillam ſuperiorem et inferiorem, vna cum proceſſu alueolari, ſeu margine alueolari vtriusque maxillae et articulatione maxillae inferioris motuque huius articuli. Exponit deinde de muſculis maxillae inferioris, maſſetere ſcilicet, temporali, pterygoideo interno ac externo et digaſtrico; nec non de actione horum muſculorum: atque porro ſtructuram dentium in vniuerſum, tum in ſpecie corticem partemque oſſeam eorum, cauitatem in omnibus dentibus obuiam, ac perioſteum, quo ex parte obducuntur, verbis, figurisque deſcribit. Tunc de ſitu et numero dentium in genere et ſpeciatim de ſingulis dentium claſſibus, inciſoribus ſcilicet, cuſpidatis, quo nomine caninos inſignit, duobus prioribus molaribus, quos *bicuſpides* vocat, et tandem de reliquis molaribus agit. Deinceps ad articulationem dentium, gingiuarum deſcriptionem, actionem dentium, quae a motu maxillae inferioris pendet, progreditur, et comparationem motus maxillae in iunioribus et in adultis inſtituit. Porro diſputat de formatione proceſſus alueolaris et dentium in fetu, de cauſſa doloris in dentitione, de formatione et incremento dentium adultorum, ſeu eorum, qui in altera dentitione prodeunt, atque de ratione, qua in vniuerſum dens formatur, de oſſificatione dentium circa pulpam, qua interius replentur, de modo quo cortex naſcitur, de dentitione ſecunda, de incremento maxillae vtriusque et

cauſſa

cauſſa, quae dentitionem alteram neceſſariam reddit, de ratione, qua cauitas alueolaris ſenſim repletur, de continuo dentium incremento eorundemque ſenſibilitate. Tandem differit de dentibus ſupernumerariis, ac de vſu dentium in loquela. Disquirit etiam, ad quam claſſem dentes humani pertineant, vtrum ſcilicet cum dentibus carniuororum, an animalium herbis viuentium conueniant, ac de morbis dentium; ſicuti etiam varias obſeruationes circa rationem eos mundificandi, et ex vno alueolo in alium transplantandi addit.

Cum vero obſeruationum, quae in hoc libro continentur, nouarum praecipuaque attentione dignarum, inſignis ſit numerus, nec ſpatii anguſtia permittat, vt de ſingulis fuſius exponamus, ſpeciminis loco quaedam tantum hic adduxiſſe ſufficiat.

Proceſſus alueolares magis ad dentes, quam ad maxillas pertinent et dentium quaſi partes eſſe videntur. Vna enim cum dentibus formantur, creſcunt et pereunt: nam deſtructionem dentium proceſſuum deſtructio ſemper ſequitur. Caluam pueri Cl. Auctor vidit, in qua, cum dentes duo inciſores ſuperioris maxillae nondum gingiuas penetrauerant et radicibus deſtituti gingiuis adhaerebant, proceſſus quoque alueolaris et alueoli deficiebant, dentibus non in maxilla, ſed in gingiuarum carne formatis. Articulationi maxillae inferioris eiusque motui, tum cauitas oſſis temporum, tum eminentia, ante hanc cauitatem obuia, inſeruiunt. In homine viuo eminentia haec talis eſt, vt condylus ex hac cauitate, ſupra hanc eminentiam, non deſcendat, ſed recta antrorſum moueatur. Cartilago meniſcoidea magis

p. 7.
p. 8.
p. 10.

ad condylum, quam ad cauitatem articularem pertinet. Comitatur enim condylum in motu ſuo, ita tamen, vt non vbique eum, ſed eo vsque tantum ſequatur, vt inaequalitatibus variis oſſis temporum in vario et libero maxillae motu ſe accommodet. Partes illas quoque a frictione defendit: quare in carniuoris etiam animalibus reperitur, in quibus nec eminentia, nec cauitas; ſed ſimplex
p. 20. tantum ginglymus adeſt. Maſſeter ad iugum, cum temporali muſculo confunditur et quaſi eius continuatio eſt, ita vt hi muſculi tanquam vnus muſculus conſiderari poſſint. Digaſtrici maxillam deprimunt. Quod ſi vero vnus
p. 27. ex iis fortius agat, maxillae rotationem efficiunt, et antagoniſtae quaſi pterygoideorum externorum fiunt. Laryngem iſtos digaſtricos leuare negat Noſter, illosque potius pro praecipuis inſtrumentis depreſſionis maxillae inferioris habet: quod etiam tactu facile cognoſci poſſit, ſi digitus ante marginem maſtoidei retro maxillam inferiorem ponatur, ſub cuius depreſſione manifeſte venter digaſtrici poſterior intumeſcit. Sterno-hyoideos et ſterno-thyroideos, vna cum mylo- et genio-hyoideis maxillae depreſſioni inſeruire Cl. Auctor non concedit, cum os hyoideum in depreſſione maxillae non deſcendat, nec illud ipſum os antrorſum moueatur. Tactus quoque docet, omnes hos
p. 31. muſculos, ſi maxilla aperiatur, flaccidos eſſe. Si maxilla fixa eſt, caput retrahitur, et os aperitur, non actione muſculorum, vt multi putant, qui caput extendunt etc. ſed actione digaſtrici, quod pluribus Cl. Auctor demonſtrat. Fibroſam cortex fabricam oſtendit, fibris a peripheria ad centrum ductis, quo artificio et dentis oſſea ſubſtantia et cortex, eam inueſtiens, in manducatione firmantur. Cortex terra conſtat, quae per animalem quandam ſubſtan-

ſubſtantiam cohaeret. Admota vi ignis, non in calcem abit, niſi acido antea ſolutus fuerit. In igne album colorem diutius, quam oſſea dentis pars retinet, vaſculis vero plane deſtituitur. Oſſea p. 36. autem dentium pars, quae proprie eos conſtituit, ex terra calcarea et animali ſubſtantia componitur. Quamquam dentium radices nonnunquam intumeſcunt, vt alia oſſa in ſpina ventoſa intumeſcere ſolent, ac cum alueolis anchyloſi cohaerent; vix tamen his argumentis organica, ſeu vaſculoſa dentium fabrica demonſtrari poteſt. Radicum enim tumor a prima forte formatione originem ducit, ac anchyloſis dentis cum alueolo pulpae morbus eſt, qua radix cum alueolo vnitur. Nunquam, vel omnibus artificiis adhibitis, iniecta vaſis materia ceracea, ad ipſam dentium ſubſtantiam penetrat. In animalibus iunioribus, in quibus oſſa ex paſtu rubiae tinctorum, rubrum colorem acquirunt, partes iam formatae in dentibus non rubent; ſed eae tantum, quae poſtea formantur. Neque hae dentium particulae, ſi vſus rubiae omittatur, vt alia oſſa iterum albeſcunt, quod indicio eſt, differre dentes, a reliquis oſſibus, quae quotidie, vti reliqua c. h. ſolida, decrementum et incrementum capiunt. Cum etiam ſola abraſione decreſcant, nec in laeſa oſſium nutritione ſeu oſteoſarcoſi emolliantur, eos ratione circulationis humorum tanquam extraneas partes, nec ad corpus humanum proprie pertinentes, conſiderare poſſumus. Confirmat hoc obſeruatio, quae docet, morbos, corpus humanum in vniuerſum infeſtantes, raro dentes laedere. Vix tamen Cl. Auctori concedere poſſumus, in rhachitide dentes nunquam morboſe affici, cum dentes in pueris rhachiticis et tardius prodeant, et celerius iterum pereant. Ca- p. 47. vitas, quae in omnibus dentibus reperitur, figura

 ſua

ſua dentis figuram exacte refert. Medulla non repletur, ſed pulpa, quae ex vaſculis ſanguiferis et neruis, tela celluloſa inter ſe iunctis, conſtat. Nervorum tamen ad ipſos dentes progreſſum Cl. Auctor nunquam oculis conſpicere ſe potuiſſe confirmat. Bicuſpides poſteriores Noſtri, ſeu molares ſecundi, ſaepius, quam alii, dentibus ſic dictis ſapientiae exceptis, deficiunt. In pluribus quoque animalibus, inter dentes inciſores et molares, vacuum aliquod ſpatium reperitur. Molares poſteriores, quos Ill. HALLERVS *grandiores* vocat, in inferiore maxilla duas, in ſuperiore tres radices habent. Aſſerunt quidem nonnulli diſſectores, ſe plures radices vidiſſe; ſed cauſſa erroris huius in eo poſita eſt, quod ex aucto numero cauitatum in radicibus diffractis collegerint, plures radices in
p. 63. initio adfuiſſe, ac inter ſe coaluiſſe. Situs radicum in ſuperiore maxilla ita ordinatus eſt, vt eae diuergentes antrum HIGHMORI quaſi comprehen-
p. 64. dant, eique cedant. In alueolis ſuis motum aliquem experiuntur dentes; hinc in caluis in quibus perioſteum maceratione deſtructum eſt, molaribus exceptis, ſponte alueolis excidunt. Motus vero ille efficit, vt duriorum corporum vi atque impul-
p. 68. ſui cedant, nec facile frangantur. In maſticatione vulgari maxilla ſuperior non mouetur, ſed immobilis manet. Omittimus, quae Cl. Auctor de actione dentium, a motu maxillae pendente, et de motus maxillae in pueris ſenibusque diuerſitate egregie diſ-
p. 78. putat. Molares priores, ſeu bicuſpides Auctoris Cl. in pueris, qui nondum alteram dentitionem experti ſunt, veri molares ſunt, atque cum iis figura pror-
p. 80. ſus conueniunt. Dolor in dentitione, non ab actione mechanica et preſſione dentis in gingiuas oriri ſolet; ſed ab irritatione gingiuarum maior affluxus humanorum et inflammatio producuntur, quam decrementum et attenuatio

gingi-

gingiuarum ſequuntur, quibus deſtructis, dens demum prodit. Simile quid nonnunquam in aliis locis obſeruatur, ſi corpora peregrina, vt globuli plumbei, partes oſſis exfoliatione ſeparatae cet. ſub cute deliteſcant, quae etiam haud raro, deſtructis integumentis, nullo abſceſſu nato, ſponte quaſi prodeant. Hinc patet in dentitione difficili gingiuarum diſſectionem omnino magni vſus eſſe poſſe. Dentitio altera non a primo ſolum inciſore, vt p. 82.
prima, incipit, ſed etiam a primo molari. Dentes vero, inter primum inciſorem et molarem poſiti, celerius prodeunt, quam ii, qui poſt molarem primum ſiti ſunt. Tertia vice duos inciſores in ſene ſeptuagenario prodire vidit Noſter. Cum vero eiusmodi dentes rarius in integra ſerie prodeant, ſaepius extrahendi ſunt, ne in maſticatione gingivas laedant. Primo corpus dentis, deinde radices p. 86.
et cortex naſcuntur. Omnes dentes ſupra pulpam aut ex pulpa ipſa formantur. Haec vaſculoſa eſt et maxillae adhaeret in inferiore parte illius cauitatis, quae alueoli initium eſt, et eo in loco, vbi vaſa intrant. Comprehenduntur membrana, quae cum maxilla et gingiuis coniuncta eſt. Ipſi vero dentes liberi ſunt, et cum membrana tantum in radice cohaerent. In fetu ſex vel ſeptem menſium haec membrana, ſatis iam craſſa eſt et quaſi gelatinoſa. Duabus conſtat laminis, quarum exterior mollis eſt, ſpongioſaque et vaſculis deſtituitur; interna vero denſior ac vaſculoſa deprehenditur. Inter hanc membranam et dentem ipſum, nondum perfectum, ſemper aliquis liquor, liquido articulari ſimilis, reperitur. In dentitione haec membrana ſemper perforatur et dente progreſſo ſenſim perit. Oſſificatio dentis ſupra pulpam, ex p. 88.
vno, vel pluribus punctis pro varia dentium ſpecie incipit. Vnum punctum in *cuſpidatis*, duo vero in iis, quos *bicuſpides* Noſter vocat, in inciſoribus, tria

tria et in molaribus, quatuor vel quinque puncta deprehenduntur, quibus ſenſim auctis, tota tandem pulpa oſſe obtegitur. Pulpae vero huic nouus dens leuiter tantum adhaeret, ita vt ſine vlla vaſorum dilaceratione, ab ea ſeparari poſſit. Poſtquam vero omnis pulpa oſſe tecta eſt, os contrahitur paullulum et magis rotundam acquirit figuram, eamque dentis partem efficit, quam collum vocamus, ſeu eam cui gingiuae poſtea adhaerent, tandemque radicem protrudere incipit. Dum autem radices formantur, ipſa corpora dentium ſurſum per alueolos et gingiuas propellunt, quae tum, vt ſupra diximus, ſenſim pereunt. Proprie pulpa nullum proceſſum habet, qui ad radicem pertineat; ſed, dum cauitas in corpore dentis oſſe repletur, pulpa quoque in radicem elongatur. Haec magis magisque increſcit et in alueolo adſcendit, vsque dum omne corpus dentis prodierit. Quo facto, alueolus in fundo contrahitur, et radicis initium ſeu collum arctius comprehendit, eique adhaerens vna cum eo eleuatur, ita, vt radix in formatione non, vt vulgo putant, deſcendat, ſed vna cum margine alueolari ſurſum adſcendat. Extremus margo oſſificationis tenuiſſimus eſt, transparens et flexilis, atque accedit ad fabricam, quam teſtae cochlearum in incremento ſuo oſtendunt; in vniuerſum etiam portio dentis, quae iam oſſea facta eſt, cum pulpa fere eadem ratione cohaeret, vt teſtae animalium teſtaceorum, cum carne horum animalium coniunguntur. Omittimus deſcriptionem rationis, qua molares formantur, vel alii dentes pluribus radicibus inſtructi, quae magis compoſita eſt. Oſſea vero dentis pars, ſi accuratius examinatur, ex lamellis conſtare deprehenditur, quae ſibi concentricae quaſi incumbunt. Exteriores tamen breuiores ſunt interioribus, quae magis magisque

verſus

verſus radicem elongantur. Oſſea parte perfecta, cortex formari incipit. Materies, ex qua ille conſtat e pulpa ſeu capſula, qua dens tegitur, vt ex glandula ſecerni videtur, et a ſuperficie oſſeae partis attracta ſuper eam cryſtalliſatur. Formatur itaque eadem ratione, vt teſtae ouorum et calculi vrinarii ac biliarii, ex quo creſcendi modo fabrica eius ſtriata ſitusque ſtriarum radiatus explicari poteſt. In initio non adeo durus eſt, ſed, dum per gingiuas progreditur, duritiem acquirit. In dentitione altera noui dentes, non ex alueolis ſuis priores protrudunt; ſed in diſtinctis et nouis alueolis formantur. Hoc tempore, vti notum eſt, radices priorum dentium ſenſim deſtruuntur; haec vero deſtructio non a preſſione mechanica noui dentis efficitur, cum ea aliquando in iis dentibus accidat, quos noui non ſequuntur. Quae Auctor Clariſſimus habet de mutatione figurae maxillarum in diverſa aetate et cauſſa, quae dentitionem neceſſariam reddit, ob ſpatii anguſtiam omittimus. Alveolus dentis, dum ille ſenſim deſtruitur, non contrahitur, ſed noua quadam materia cauitas eius in fundo ſenſim repletur, quae obſcuriorem colorem habet. Non continuo dentes vltra definitos limites creſcunt, ſed cauſſa cur oppoſito dente deſtructo alter elongetur, magis in incremento proceſſus alueolaris poſita eſt. Figura et ſitus dentium humanorum oſtendunt, hominem naturam tum carniuori, tum herbiuori animalis habere. Cum inſtrumenta, quae hucusque ad extractionem dentium inuenta ſunt, illos non ſecundum directionem axis, ſed lateraliter extrahant, optimum videtur eſſe, vt in euulſione dentis ille verſus illud latus trahatur, in quo proceſſus alueolaris debilior eſt. Hoc vero in omnibus, ſi duos molares poſte-

p. 94. p. 98. p. 108. p. 110. p. 119. p. 122.

poſteriores maxillae inferioris excipias, externum eſt.

Figurarum huic libro annexarum elegantia ſumma eſt, in quibus non ſolum maxillae et dentes e humano corpore deſumti; ſed etiam animalium dentes, v. c. equi repraeſentantur. Ex tabula decima quarta apparet, in equis corticem oſſeam partem non includere, vt in homine, ſed illum, in ſtriis longitudinalibus diſpoſitum, ac oſſeae parti intermixtum eſſe.

XII.

Synopſis of Quadrupeds (by THOMAS PENNANT). Cheſter, printed by I. Monk. 1771. 8 mai. 1 Alph. 2 pl. tab. aen. 31.

i. e.

Synopſis Quadrupedum Auctore THOMA PENNANT.

Auctorem huius libri eſſe Cl. PENNANT, qui *zoologia Britannica* *) et *itinerario Scotico*, proxime a nobis indicaturo, ſuam zoologiae cognitionem abunde iam declarauit, ex nomine praefationi ſubiecto cognouimus. Conſilium vero Cl. Auctoris in hoc conſcribendo libro primum erat, vt ad proprium vſum nomina quadrupedum omnium ab Ill. BVFFON deſcriptorum, quae vti notum eſt, Ill. LINNAEVS in ſuo Syſtemate plane omiſit, colligeret, eaque nomina in ſyſtematicum ordinem redigeret, additis aliis animalibus, a LINNAEO et BVFFONIO non commemoratis. Cum vero, indice hoc ad finem perducto, Cl. Auctori ille dignus videretur, qui

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 408.

qui in lucem ederetur, ſynonyma aliorum Auctorum, deſcriptionesque animalium breues, locum natalem variasque de moribus et vſu eorum obſeruationes addidit; eaque ratione Synopſin hanc perfecit, quam omnibus hiſtoriae naturalis cultoribus gratiſſimam aeque, ac vtiliſſimam fore, putamus.

Ordo, quem Cl. Auctor in hoc Syſtemate quadrupedum ſequitur, ex RAII et LINNAEI methodo compoſitus eſt. Quamquam enim inſignia Ill. LINNAEI in zoologiam merita ſummis encomiis extollit; fatetur tamen, ſe in variis ab eo recedere, nec eius methodicam quadrupedum diſpoſitionem ſibi in omnibus arridere. Hominem enim a ſimiis, lemuribus et veſpertilionibus; elephantem, ſagaciſſimum illud animal, a ſtupidiſſimo bradypo, daſypo et myrmecophaga; talpam, ſoricem et erinaceum a feris; noctilionem, vt veſpertilionis ſpeciem, a gliribus ſeparare mauult. Nec cetacea ad vnam cum quadrupedibus claſſem pertinere, ſed propriam et ſingularem eorum claſſem conſtituendam eſſe putat.

Cum vero nos in recenſendo egregio illo opere Ill. BVFFONII *), ſynonyma Ill. LINNAEI non vbique adduxerimus; BVFFONII contra ſynonyma in Linnaeano ſyſtemate, quo omnes zoologi iam vtuntur, plane deficiant, tandemque a Cl. PENNANT multa animalia nouiter detecta, vel a prioribus ſcriptoribus omiſſa addita ſint; operae pretium, nec lectoribus iniucundum fore putauimus, ſi epitomen Syſtematis Noſtri, additis Ill. LINNAEI et BVFFONII ſynonymis, hic adducamus,

*) Primum volumen vid. comment. noſtr. Vol. III. p. 316 ſeqq.

camus, quae, quod ad poſterioris opus pertinet, indicis quaſi ſyſtematici, Linnaeani vero ſyſtematis ſupplementi loco inſeruire poteſt.

Quadrupeda, a quibus, vt diximus, *cetacea* ſeiungit, quae Ill. LINNAEVS vna cum iis communi *mammalium* nomine comprehendit, Cl. Auctor in quatuor ordines diuidit. Horum primus *quadrupeda vngulata* continet, ſecundus *digitata*, tertius *pinnata*, quae piſciuora, vel herbiuora ſunt et in aqua potiſſimum viuunt, quartus denique *alata*, quae inſectis veſcuntur. Ad hos ordines quadraginta tria genera Auctor Cl. refert, quae vt plurimum LINNAEI ſunt. Omiſit tamen *Hominis*, et *Viuerrae* genus ac *Noctilionis* ad alia retulit. Auxit vero ſyſtema ſuum nouis, *Giraffae*, *Antilopes*, *Tapiri*, *Hyaenae*, *Taxi*, *Lutrae*, *Cauiae*, *Marmotae* et *Ierboae* generibus, quae, vti notum eſt, LINNAEVS olim aliis generibus inſeruerat.

Primus itaque Cl. Auctoris ordo, animalium *vngulatorum* eſt. Inter illa *equi* genus *ſolipedum* eſt, (*whole hoofed*): reliqua omnia *pedem vngulatum biſulcum* vel *in plures partes fiſſum* (*cloven hoofed*) habent, et iterum vel *cornuta* ſunt, vel *cornubus* deſtituuntur.

Genus I. *Equi* ſequentes comprehendit ſpecies:

Sp. 1. E. *generoſus* ſeu *caballus* L. BVFF. T. IV. tab. 1. 2.

— 2. E. *zebra* L. BVFF. XIV. tab. 1. 2.

— 3. E. *aſinus* L. BVFF. IV. tab. 11.

Mulus hybridum ex equo et aſino animal.

Genus II. *Bos*.

Sp. 4. *B. taurus* L. BVFF. IV. tab. 14. Varietates eius ſunt *α*) B. *grunniens* L. *la vache de Barbarie* BVFF. XV. p. 136. *β*) B. *Indicus*

dorſo

dorſo gibboſo, qui magnitudine et cornuum figura multum variat.

Sp. 5. B. *Bubalis* L. *le Buffle* BVFF. XI. 25. Huius varietas eſt α) B. *nudus*, pilis rarioribus, tenuiſſimis, ſetaceis, ex India Orientali.

Sp. 6. B. *americanus* ſeu *biſon* L. BVFF. XI. p. 305.

S. 7. B. *pygmaeus* ſeu *indicus* L. *).

Genus III. *Ouis*.

Sp. 8. O. *aries* L. BVFF. V. tab. 1. 2. Varietates eius ſunt: α) O. *ruſtica* L. β) O. *ſtrepſiceros* L. γ) O. *anglica* L. δ) O. *polycerata* L.**) ε) *africana* ſeu *guineenſis* L. *le belier des Indes* BVFF. XI. t. 34. ξ) *laticauda* L. *le mouton de Barbarie* BVFF. XI. t. 33

Genus IV. *Capra*.

Sp. 9. C. *fera*. ſ. *Ibex* L. *le bouquetin* BVFF. XII. t. 13. Ad hanc ſpeciem tanquam varietates Cl. Auctor refert: α) C. *hircum* L. BVFF. V. t. 8. quae tamen omnino ab ibice differt β) C. *angorenſem* L. BVFF. V. t. 10. 11. γ) *ſyriacam* ſeu *mambricam* L. δ) C. *africanam* ſeu *depreſſam* L. *le bouc d'Afrique* BVFF. XIII. t. 18. 19. ε) C. *whidauienſem* ſeu *reuerſam* L. *le Bouc de Iuda* BVFF. XII. t. 20. 21. quae non in America, ſed Africa habitat. ζ) *Capricornum*. BVFF. XII. t. 15.

Sp. 10. C. *rupicapra* L. *le Chamois* BVFF. XII. t. 16.

Sp. 11. C. *ſibirica*, *le mouflon* BVFF. XI. t. 29. ***)

Ge-

*) *Zebu* BVFF. T. XI. tab. 13. ad varietatem β ſpeciei 4 huius generis pertinet.

**) Ab ea *le belier d'Islande* BVFF. XI. tab. 31. quodammodo differt.

***) Eſt *Capra Ammon* L. Hanc ouem in ſtatu fero eſſe Cl. BVFFON putat, quod vero Cl. Auctor negat, qui varia eiusmodi animalia ex Sardinia et Corſica allata vidit.

Genus V. *Giraffa.*

Sp. 12. G. *camelopardalis* ſeu *Ceruus camelopardalis* L. a quo genere tamen Cl. PENNANT ſingulare hoc animal, cuius ſpecimen in muſeo Academiae Lugdunenſis aſſeruatur, recte ſeparat.

Genus VI. *Antilope.* Genus hoc, quod ad *Capram* L. retulerat, ex Cl. PALLAS *) egregiis obſeruationibus Noſter ſequenti modo conſtituit.

I. Cornubus arcuatis eſt:

Sp. 13. A. *coerulea* ſeu *leucophaea* PALLAS. *an Kob* BVFF. XII. p. 210. t. 32.?

II. Cornubus rectis ſunt:

Sp. 14. A. *Aegyptiaca* ſeu *Capra gazella* L. *le paſan* BVFF. XII. t. 33. f. 3. A. *bezoartica* PALL.

Sp. 15. A. *bezoartica* ſeu C. *bezoartica* L. *algazel* BVFF. XII. t. 33. f. 1. 2.

Sp. 16. A. *indica* ſeu A. *oryx* PALL. *coudom* BVFF. XII. tab. 47.

Sp. 17. A. *loricata* (*harneſſed*) A. *ſcripta* PALL. *guib.* BVFF. XII. t. 40.

Sp. 18. A. *guineenſis. Moſchus Grimmia* L. A. *grimmia* PALL. *la grimme* BVFF. XII. t. 41.

Sp. 19. A. *regalis. le cheurotain de Guinea* BVFF. XII. t. 43. f. 2.

III. Cornubus antrorſum flexis:

Sp. 20. A. *indoſtanica* ſeu A. *tragocamelus* PALL. et in Philoſ. Tranſact. Vol. XLIII. p. 465.

Sp. 21. A. *albipes.* Noua ſpecies a Cl. Auctore ad ſpecimen ex India orientali allatum deſcripta et depicta.

Sp. 22. A. *celeris.* A. *dama* PALL. *nanguer* BVFF. XII. tab. 34.

Sp.

*) in *Miſcell. Zoologicis* p. 1. ſeq. vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 238. et *Spicileg.* Faſc. I. p. 1. ſeq. vid. com. noſtr. ib. p. 491.

Sp. 23. A. *rubra*, ſeu *redunca* PALL. *nagor* BVFF. XII. t. 46.

IV. Cornubus tortuoſis.

Sp. 24. A. *ſtriata*, ſeu *ſtrepſiceros* PALL. *condoma* BVFF. XII. t. 39.

Sp. 25. A. *vulgaris* ſeu *ceruicapra* PALL. *Capra ceruicapra* L. *Antelope* BVFF. XII. t. 35 et 36. ad quam varietates α) *brunea* et β) *cornubus laeuibus* BVFF. XII. t. 36. f. 3. pertinent.

V. Cornubus in medio flexis et antrorſum verſus finem recuruatis.

Sp. 26. A. *barbarica*, *Capra dorcas* L. A. *dorcas* PALL. *la gazelle* BVFF. XII. t. 23.

Sp. 27. A. *cornubus planis* A. *keuella* PALL. *kevel* BVFF. XII. t. 26.

Sp. 28. A. *alba*, A. *pygargus* PALL. Hanc *tzeiran* BVFFONII eſſe Cl. PALLAS autumat, quod Noſter negat.

Sp. 29. A. *ſinenſis*. *Capra campeſtris gutturoſa* Nou. Com. Petrop. V. tab. 9. *tzeiran* BVFF. XII. p. 207.

Sp. 30. A. *ſcythica* PALL. C. *tatarica* L. *ſaiga* BVFF. XII. t. 22. f. 2.

Sp. 31. A. *maculata*. *Corine* BVFF. XII. t. 27.

Sp. 32. A. *ceruina* (an C. *dorcas* L?) A. *bubalis* PALL. *le bubale* BVFF. XII. t. 37. 38.

Sp. 33. A. *ſenegalenſis*. *Koba* BVFF. XII. t. 32. f. 2.

Sp. 34. A. *gambienſis*. *Kob ou petite vache brune* BVFF. XII. t. 32. f. 1.

Genus VII. *Ceruus*. I. Cornubus palmatis:

Sp. 35. C. *alces*. L. *l'elan* BVFF. XII. t. 7. 8.

Sp. 36. C. *tarandus* L. *le renne* BVFF. XII. t. 10-12.

Sp. 37. C. *platyceros* ſeu *Dama* L. *le dain* BVFF. VI. t. 27.

II. Cornubus rotundatis:

Sp. 38. C. *elaphus* L. BVFF. VI. t. 9. 10. cuius varietas eſt *le cerf de Corſe* VI. tab. 11.

Sp. 39. C. *virginicus* ſeu *dama virginiana* RAII.

Sp. 40. C. *Axis* BVFF. XI. t. 38. 39.

Sp. 41. C. *Axis maior.* (an prioris varietas?)

Sp. 42. C. *porcinus*, a corpore craſſo ita vocatus. Noua ſpecies ex India orientali.

Sp. 43. C. *capreolus* L. *le chevreuil* BVFF. VI. t. 32. 33.

Sp. 44. C. *mexicanus. Cheureuil d'Amerique* BVFF. VI. t. 37. an *Cariacou* EIVSD. XII. t. 44.

Sp. 45. C. *griſeus* ſeu *guineenſis* L obſcura ſpecies.

Haec genera omnia cornua habent, ſequentia vero iis deſtituuntur.

Genus VIII. *Moſchus.*.

Sp. 46. M. *tibetanus* ſ. *moſchiferus* L. BVFF. XII. p. 361.

Sp. 47. M. *braſilianus. Cuguacu ere* MARGRAV. *Ceruula Surinamenſis* SEB. T. I. tab. 44.

Sp. 48. M. *Indicus*, BVFF. XII. p. 315.

Sp. 49. M. *guineenſis* ſeu *pygmaeus* L. *le cheurotain des Indes* BVFF. XII. t. 42. 43.

Genus IX. *Camelus.*

Sp. 50. C. *arabicus* ſeu *dromedarius* L. BVFF. XII. t. 9.

Sp. 51. C. *bactrianus* L. *chameau* BVFF. XI. tab. 22.

Sp. 52. C. *Llama* ſeu *Glama* L. BVFF. XIII. p. 16.

Sp. 53. C. *Pacos* L. BVFF. XIII. p. 16.

Genus X. *Sus.*

S. 54. S. *vulgaris* ſeu *ſcrofa* L. BVFF. V. t. 16. Varietates ſunt α) *guineenſis* BVFF. XV. p. 146. ſeu *Porcus* L. β. S. *chinenſis* L. *Cochon de Siam* BVFF. V. t. 15. γ. S. *vngula indiuiſa* (quales plures in Polonia inueniuntur). Alia varietas ſetis longiſſimis et auribus ſetoſis tabula XI. depingitur.

Sp.

Sp. 55. *Sus aethiopicus* PALL. *Miſc. zool.* p. 16. t. 2. et Faſc. II. t. 1. vid. comment. Vol. XV. p. 240. et p. 493. *Sanglier du Cap verd* BVFF. XIV. p. 409. XV. p. 148.

Sp. 56. *Sus mexicanus* ſeu *taiacu* L. BVFF. X. t. 3. 4.

Sp. 57. *Sus indicus* ſeu *babyruſſa* L. BVFF. XII. t. 48.

Genus XI. *Rhinoceros.*

Sp. 58. R. *unicornis* L. BVFF. XI. t. 7. cum Varietate *α*) R. *bicornis*. L.

Genus XII. *Hippopotamus.*

Sp. 59. H. *amphibius* L. BVFF. XII. t. 3.

Genus XIII. *Tapiir.* Pedibus anticis quater vngulatis, poſticis triungulatis vel biſulcis.

Sp. 60. T. *longiroſtris* (longnoſed). *Hippopotamus terreſtris* L. Edit. X. *Tapir* ſeu *Anta* BVFF. XI. t. 43. Quod animal LINNAEVS in Edit. XII. ſyſtematis omiſit.

Sp. 61. T. *craſſiroſtris* (thicknoſed) *Sus hydrochaeris* L. *cabiai* BVFF. XII. t. 49.

Genus XIV. *Elephas.*

S. 62. *magnus* ſeu *maximus* L. BVFF. XI. t. 1.

S. 63. *americanus.* Ex dentibus foſſilibus in America repertis nouam hanc ſpeciem conſtituit, vti iam alii ante eum fecerunt. *) Maxima differentia in figura dentium molarium poſita eſt, qui carniuororum animalium molaribus ſimiles ſunt. Hanc tamen differentiam a ſola aetate pendere poſſe, alio loco iam monuimus **).

*) vid. Phil. Transact. Vol. LVIII. p. 34. comm. Vol. XVII. p. 388.

**) vid. ib.

Secundus quadrupedum ordo *digitata* continet, quae Cl. Auctor in quinque diuiſiones iterum abire iuſſit.

Prima diuiſio continet *anthropomorpha.* Ad quam ſequentia genera pertinent.

Genus XV. *Simia.*

I. Cauda nulla. *Simiae* veterum.

Sp. 64. S. *magna.* ſ. *Satyrus* L. et *Homo troglodytes* EIVSD. *Iocko* BVFF. XIV. t. 1. et *Pongo* EIVSD.

Sp. 65. S. *pygmaeus* ſ. *Syluanus* L. *Pytheque* BVFF. XIV. p. 84.

Sp. 66. S. *longimana* (Eſt *homo lar* L. *Mantiſſ.* II. p. 521. vid. Phil. Tranſact. 1769. p. 71. t. 3. Comm. Vol. XVIII. p. 641.) *le Grand gibbon* BVFF. XIV. t. 2. cuius varietas eſt *le petit gibbon* EIVSD. l. c. t. 3.

Sp. 67. S. *barbarica* ſ. *Inuus* L. *Magot* BVFF. XIV. t. 7. 8.

Sp. 68. S. *faſtigiata* (tufted). *Mantegor* Phil. Tranſ. n. 290.

II. Cauda abbreuiata. *Papiones.*

Sp. 69. S. *naſo ſulcato* (ribbed noſe) *Mandril* BVFF. XIV. t. 16. 17. *Maimon* L. *).

Sp. 70. *S. minor S. apedia* L.

Sp. 71. S. *breuicaudata* (pig-tail) *Nemeſtrina* L. *Maimon* BVFF. XIV. t. 19.

III. Cauda elongata. *Cercopitheci.*

a. S. antiqui orbis, quae bucca ſaccata, natibus calluis et cauda elongata non prehenſili donantur.

Sp. 72. S. *cynocephalus* (dog-faced) *hamadryas* L. *Babouin* BVFF. T. XIV. t. 13. 14.

Sp.

*) Deſcriptionem huius animalis vid. in Act. Suecicis Vol. XXVII. p. 138. Com. Vol. XVI. p. 585.

Sp. 73. S. *cauda leonina.* Huc pertinent S. *faunus*, *ſilenus* et S. *veter* L. nec non *l' Ouwanderou* BVFF. XIV. t. 18. Quinque huius ſpeciei vacietates hic recenſentur.

Sp. 74. S. *labio leporino* (hare lipped) S. *Cynomolgus* L. et S. *cynocephalus* EIVSD. *Macaque* BVFF. XIV. t. 14. Varietas eius eſt *Malbrouck* BVFF. XIV. t. 29.

Sp. 75. S. *maculata* S. *Diana* L. *Exquima* BVFF. XV. p. 16.

Sp. 76. S. *viridis* ſ. *ſabaea* L. *Callitriche* BVFF. XIV. t. 37.

Sp. 77. S. *palpebra alba* ſeu *aethiops* L. quam ille varietatem S. *cephi* eſſe putat. Eſt *Mangabey* BVFF. XI V. t. 32. Huius varietas eſt: *Mangabey à collier blanc* BVFF. I. e. t. 33.

Sp. 78. S. *mouſtac* BVFF. XIV. t. 39. ſeu *cephus* L.

Sp. 79. S. *talapoin* BVFF. XIV. t. 40.

Sp. 80. S. *aethiops.* EDW. 311. quam figuram LINNAEVS ad ſequentem ſpeciem refert.

Sp. 81. S. *egretta* ſeu *l'aigrette* BVFF. XIV. t. 21.

Sp. 82. S. *rubra. Patas à bandeau noir* BVFF. XIV. t. 25. et varietas *à bandeau blanc* t. 26.

Sp. 83. S. *ſinenſis. Sinica* L. Mant. 2. p. 521. *Bonnet chinois* BVFF. XIV. t. 30.

Sp. 84. S. *variegata. Mone* BVFF. XIV. 36.

Sp. 85. S. *cochin-ſinenſis. Nemaeus* LINN. Mantiſſ. 2. p. 521. *Douc* BVFF. XIV. t. 41.

Sp. 86. S. *fuſca* (tawny). Noua ſpecies.

Sp. 87. S. *nictitans* L.

Sp. 88. S. *barba caprina.* Noua ſpecies.

Sp. 89. S. *annulata.* Noua ſpecies.

Sp. 90. S. *philippenſis* ſeu *ſyrichta* L.

b. S. noui orbis, quae receptaculo illo in buccis carent, nec nates caluas habent.

1) cauda prehenſili *Sapajous* (BVFF.)

Sp. 91. S. *concionator.* S. *beelzebul* L. (an *ſapajou ouarine* BVFF. XV. p. 5?) Varietas huius eſt S. *ſaniculus* L. ſeu *l'alouate* BVFF. XV. p. 5. ſeq.

S. 92. S. *palmis tetradactylis* ſeu *paniſcus* L. *coaita* BVFF. XV. p. 16. t. 1.

Sp. 93. S. *capucina.* Comprehendit S. *trepidam* L. et *capucinam* atque *apellam* EIVSD. Eſt *ſajou brun et gris* BVFF. XV. t. 4. et 5.

Sp. 94. S. *eiulans.* *Sai* et *ſai à gorge blanc.* BVFF. XV. t. 8. 9.

Sp. 95. S. *aurantii coloris* ſ. *ſciurea* L. *ſaimiri* BVFF. XV. t. 10.

Sp. 96. S. *cornuta* ſ. *fatuellus* L.

Sp. 97. S. *Antiguenſis.* Noua ſpecies.

2) cauda non prehenſili (naribus patulis, *Sagouins* BVFF.)

Sp. 98. S. *cauda vulpina.* *Pithecia* L. *ſaki* BVFF. XV. t. 18.

Sp. 99. S. *aurita* ſ. *midas* L. *tamarin* BVFF. XV. t. 13.

Sp. 100. S. *ſtriata* ſ. *iacchus* L. *l'ouiſtiti* BVFF. XV. t. 14.

Sp. 101. S. *ſericea* ſ. *roſalia* L. *marikina* BVFF. XV. t. 16.

Sp. 102. S. *caudà rubra* S. *oedipus* L. *pinche* BVFF. XV. t. 17.

Sp. 103. S. *pulcra. argentata.* L. Mant. 2. p. 521. *mico* BVFF XV. t. 18.

Genus XVI. *Maucauco* ſeu *Lemur* L.

Sp. 104. M. *ecaudatus* ſ. *Lemur tardigradus* L. *Loris* BVFF. XIII. t. 30.

Sp. 105. M. *laniger.* ſ. *Lemur mongooz* L. BVFF. XIII. t. 26.

Sp. 106. M. *cauda annulata.* *Lemur catta* LIN. *Mococo* BVFF. XIII. t. 22.

Sp.

Sp. 107. M. *collari barbato.* *Lemur macaco* L. *Vari.* BVFF. XIII. t. 17.

Sp. 108. M. *flauus.* Noua ſpecies.

Sp. 109. M. *volans* ſeu *Lemur volans* L. (Conf. BVFF. X. p. 98.)

Secunda diuiſio continet quadrupeda digitata, dentibus laniariis maioribus ab inciſoribus remotis, et ſex vel pluribus inciſoribus in vtraque maxilla inſtructis. Omnia carniuora ſunt et ad *Feras* L. pertinent.

Genus XVII. *Canis.*

Sp. 110. C. *fidelis* ſeu *familiaris* L. *) hanc ſpeciem ſecundum Cl. BVFFON in varias familias diuidit Noſter.

α) C. *domeſticus* L. *le chien de berger* BVFF. V. t. 28. Ad illum accedunt 1) C. *Pomeranus. Chien loup* BVFF. t. 29. 2) *Sibiricus.* ib. t. 30.

β) Auribus longis pendulis nudis. *ſagax.* L. *chien courant* BVFF. t. 32. ad illum pertinent 1) *le braque* BVFF. t. 33. 2) *dalmaticus*, *le braque de Bengale* id. t. 34. 3) *le baſſet à jambes torſes* et *à iambes droites* id. t. 35. 4) *aquaticus* L. *le grand* et *petit barbet* BVFF. t. 37. 38.

γ) Auribus longis, pendulis, nudis ſ. *auicularius* L.? *ſpaniel Anglorum.* 1) *le gredin* BVFF. t. 39. f. 1. 2) *le pirame* ib. f. 2. 3. C. *melitaeus* L. *bichon* et *chien lion* BVFF. t. 40. f. 1. 2.

δ) Auribus breuibus pendulis trunco elongato, pedibus longis. 1) *C. graius hibernicus.* (*Le matin* BVFF. t. 25.) 2) *C. graius vulgaris* ſ. *graius* L. *leurier* BVFF. V. t. 27. orientales cau-

 dam-

*) Characterem huius ſpeciei Cl. Auctor cum LINNAEO in cauda ſiniſtrorſum recuruata ponit, quod tamen non perpetuum eſt.

dam pilis longis veſtitam habent, cum reliqui laeues ſint. 3) *danicus*. BVFF. 26. 4) *moloſſus* L. BVFF. t. 45.

ε) auribus breuioribus pendulis, trunco, naſo et pedibus breuioribus 1) *le dogue* BVFF. V. t. 43. 2) *le doguin* ID. t. 44. 3. *le roquet* ID. t. 41. f. 2. 4. *nudus* ſ. *aegyptius* L. *Chien turc.* BVFF. t. 42.

Sp. III. C. *lupus* L. BVFF. VII. t. 1. Ad hanc ſpeciem quoque pertinet *Canis mexicanus* L. ſeu *Lupus mexicanus* BVFF. XV. p. 149. *).

Sp. 112. C. *vulpes* L. BVFF. VII. t. 6. Varietates eius ſunt: α) C. *alopex* **) β) *V. crucigera.* BVFF. XIII. p. 276. γ) *V. nigra.* δ) Varietas ex Penſyluania diuerſis caloribus variegata, quam Noſter ibidem *Brant-Fox* vocari aſſerit. ε) *V. Corſac* ſ. *Canis corſac* L.

Sp. 113. C. *arcticus* ſeu *lagopus* L. *Iſatis* BVFF. XIII. p. 272.

Sp. 114. C. *griſeus* ſeu C. *ex cinereo argenteus* BRISS.

Sp. 115. C. *argenteus.* Noua ſpecies ex Louiſiana.

Sp. 116. C. *iackal* ſeu *aureus* L. *Chacal* vel *Adive* BVFF. XIII. p. 255.

Sp. 117. C. *Surinamenſis* ſeu *thous* L.

Genus XVIII. *Hyaena.* Hoc genus palmis et plantis tetradactylis eſt, et folliculum inter caudam breuem et anum habet.

Sp. 118. H. *ſtriata.* *Canis hyaena* L. BVFF. IX. t. 25.

Sp. 119. H. *maculata.* Noua ſpecies, cuius in variis itinerariis mentio fit, quae vero nondum

*) Canem et lupum coitu miſceri et hybridum inde animal naſci Cl. Auctor obſeruatione conprobat.

**) Hunc noſtri *brand-fuchs* vocant, quod nomen Auctor varietati δ imponit.

dum a vulgari diſtincta fuit. Viuum animal Cl. Auctor Londini obſeruauit et depingere curauit.

Genus XIX. *Felis.*

1. Cauda elongata.

Sp. 120. F. *leo* L. BVFF. IX. t. 1.

Sp. 121. F. *tigris* L. BVFF. IX. t. 9.

Sp. 122. F. *pardus* L. *Panthere* BVFF. IX. t. 11. 12. quam ſpeciem et in America reperiri Cl. Auctor probat.

Sp. 123. F. *leopardus*. BVFF. IX. t. 14.

Sp. 124. F. *leopardus minor.* Noua ſpecies ex India orientali.

Sp. 125. F. *venatoria* (Hunting leopard).

Sp. 126. F. *vncia. L'once* BVFF. IX. t. 13.

Sp. 127. F. *braſiliana.* F. *onca* L. *Iaguar* BVFF. IX. t. 18.

Sp. 128. F. *mexicana. L'ocelot* BVFF. XIII. t. 35. 36.

Sp. 129. F. *fulua concolor* L. Mant. II. p. 522. *Couguar* BVFF. IX. t. 19.

Sp. 130. F. *nigra. Iaguarete* MARCGRAVII.

Sp. 131. F. *Capenſis.* Noua ſpecies.

Sp. 132. F. *Cayennenſis. Margay* BVFF. XIII. t. 37.

Sp. 133. F. *vulgaris* ſ. *ſylueſtris* BVFF. VI. t. 1. ex qua F. *domeſtica* ſeu F. *catus* L. BVFF. VI. t. 2. originem duxit. Varietates eius ſunt: α) F. *angorenſis* BVFF. VI. t. 5. β) F. *colore teſtudinis* ſeu *hiſpanica* BVFF. VI. t. 3. γ) F. *coerulea. Chat des Chartreux* BVFF. VI. t. 4.

II. Cauda abbreuiata.

S. 134. F. *montana* ſ. *pardalis* L. Varietas huius eſt: F. *Serval* BVFF. XIII. t. 34.

Sp. 135. F. *Lynx.* L. BVFF. IX. t. 21.

Sp. 136. F. *fuſca* (bay). Ex America ſeptentrionali haec noua ſpecies lyncis allata eſt.

Sp. 137. F. *Perſica* ſeu *caracal* BVFF. IX. t. 24.

Genus XX *Vrſus.*

Sp. 138. V. *niger* ſeu *arctos* L. BVFF. VIII. t. 31. 32.

Sp. 139. V. *polaris* ſeu *albus* BVFF XV. p. 128. Species magnitudine et aliis characteribus a praecedente differt. Prioris tamen ſpeciei quoque vrſi in Tartaria hyeme quandoque albeſcunt.

Sp. 140. V. *luſcus* L. Ad eum pertinere *Muſtelam gulonem* L. *le glutton* BVFF. XIII. p. 278. ſeu potius vnam eandemque ſpeciem eſſe Cl. Auctor putat, quod, ſi figuram, quae apud KLEINIVM in quadruped. hiſtor. tab. 5. et in Actis Nidroſienſibus *) exſtat, cum figura EDWARDI t. 103. comparamus, vix concedere poſſumus.

Sp. 141. V. *racoon* ſ. *lotor* L. *Raton* B. VIII. t. 43.

Genus XXI. *Meles.* Vnguibus anticis longiſſimis et folliculo putorio ab vrſo differt.

Sp. 142. M. *vulgaris* ſeu *Vrſus meles* L. BVFF. VIII. t. 7.

Sp. 143. M. *americanus.* Noua ſpecies ex freto Hudſonis.

Genus XXII. *Opoſſum* ſeu *Didelphis* L.

Sp. 144. O. *virginicus* ſ. *Didelphis marſupialis* L. *Sarique* ſ. *Opoſſum* BVFF. X. t. 45. 46.

Sp. 145. *murinus* ſ. D. *murina* L. *la Marmoſe* BVFF. X. t. 52. 53.

Sp. 146. O. *mexicanus. Cayopolin* BVFF. t. 55.

Sp. 147. O. *cauda abbreuiata* ſeu *Philander obſcure*

re

*) vid. Vol. III. p. 121. comm. noſtr Vol. XVI. p. 676.

re rufus in dorſo, in ventre heluus, cauda breui et craſſa BRISSON.

Sp. 148. O. *ſurinamenſis* (*Phalanger* BVFF. XIII. t. 10. 11.) Eſt *Didelphis orientalis* PALLAS *Miſcell. Zool.* p. 59. comm. noſtr. XV. p. 243.

Sp. 149. O. *merianenſis. Didelphis dorſigera* L. *Philandre de Surinam* BVFF. XV. p. 157.

Genus XXIII. *Muſtela.*

Sp. 150. M. *vulgaris* ſeu M. *ſupra rutila infra alba* BRISSON. *la bellette* BVFF. VII. t. 29. *Muſtela niualis* L.

Sp. 151. M. *erminea* L. *le roſelet* BVFF. VII. t. 28. f. 1. quae, ſi hyemali tempore candida fit Var. β. LINNAEI ſeu *l'hermine* BVFF. VII. t. 29. f. 2. eſt.

Sp. 152. M. *putorius* L. BVFF. VII. t. 23.

Sp. 153. M. *furo* L.

Sp. 154. M. *martes* L. *Fouine* BVFF. VII. t. 18. (Noſtratibus *Hausmarter*).

Sp. 155. M. *abietum*. Varietas prioris apud L. *la Marte* BVFF. t. 22. (*Steinmarter* Germanis.)

Sp. 156. M. *Zibellina* L. BVFF. XIII. p. 309.

Sp. 157. M. *piſcator*. Ex America ſeptentrionali, cum priori ſatis conuenit.

Sp. 158. M. *Madagaſcarienſis. Vanſire* BVFF. XIII. f. 21.

Sp. 159. M. *Pekan* BVFF. XIII. t. 42. ad quam ſpeciem etiam ea, quam IDEM l. c. t. 43. *Viſon* vocat, a Noſtro refertur.

Sp. 160. M. *Guineenſis. Tayra* ſ. *Galera* BVFF. XV. p. 155.

Sp. 161. M. *guianenſis.* ſ. *barbara* L.

Sp. 162. M. *ichneumon* ſ. *Viuerra ichneumon* L. cum varietate β) quae *Viuerra indica* BRIS-

SONII

SONII ſeu *Mangouſte* BVFF. XIII. t. 19. eſt.

Sp. 163. M. *digitis quatuor.* *Surikate* BVFF. XIII. t. 8.

Sp. 164. M. *braſilienſis.* *Viuerra naſua* L. *Coati brun* BVFF. VIII. tab. 48. cum varietate, quae *Coati noiratre* BVFFONII l. c. tab. 47. ſeu *Coati mondi* MARGRAVII eſt.

Sp. 165. M. *foetens* ſeu *Yzquiepatle* HERNAND. an *Coaſe* BVFF. XIII. t. 38?

Sp. 166. M. *ſtriata.* *Viuerra putorius* L. *Conepate* BVFF. XIII. t. 40.

Sp. 167. M. *Skunk.* *Chinche* BVFF. XIII. t. 39.

Sp. 168. M. *zorilla* (an *zorille* BVFF. XIII. t. 41?)

Sp. 169. M. *pedens* (*fizzler*) ex Capite bonae ſpei. Noua ſpecies.

Sp. 170. M. *zibetha* ſeu *Viuerra zibetha* L. *la Ciuette* BVFF. IX. t. 34. Huius varietas eſt *Zibet* BVFF. ib. t. 31.

Sp. 171. M. ſeu *Viuerra genetta* L. BVFF. IX. t. 36.

Sp. 172. M. *foſſane* BVFF. XIII. t. 20.

Genus XXIV. *Lutra.* Genus hoc palmas et plantas pentadactylas et plantas palmatas habet.

Sp. 173. L. *maior* ſeu *Muſtela Lutra.* L. BVFF. VII. t. 11. Varietatem maiorem nigri coloris ex obſeruatione Cl. BANKS addit.

Sp. 174. L. *minor* ſ. *Muſtela lutreola* L.

Sp. 175. L. *marina* ſ. *Muſtela lutris* L. *Saricouienne.* BVFF. XIII. p. 319.

Tertia diuiſio quadrupeda digitata continet, quae dentibus laniariis carent, ſed duos inciſores in vtraque maxillae habent. Herbiuora aut frugiuora ſunt (*Glires* L).

Genus

Genus XXV. *Cauia.* Genus hoc ad *mures* LINNAEVS retulit. Palmis tetradactylis, plantis tridactylis inſtruitur. Aures eius breues ſunt, ac cauda caret vel abbreuiatam tantum habet.

Sp. 176. C. *inquieta.* *Mus porcellus.* L. *cochon d'Inde* BVFF. VIII. t. 1.

Sp. 177. C. *petrea:* *Aperea* BVFF. XV. p. 160.

Sp. 178. C. *maculata.* M. *paca* L. BVFF. X. t. 43.

Sp. 179. C. *longiroſtris.* M. *aguti.* L. BVFF. VIII. t. 5.

Sp. 180. C. *oliuacea.* *Akouchi.* BVFF. XV. p. 158.

Sp. 181. C. *Iauenſis.* M. *leporinus.* L.

Sp. 182. C. *Capenſis* PALL. Miſc. zool. p. 30. Spicil. Faſc. II. t. 2. 3. vid. Comm. Vol. XV. p. 241. 493.

Sp. 183. C. *moschata.* *Rat muſqué* BVFF. X. p. 2.

Genus XXVI. *Lepus.*

Sp. 184. L. *vulgaris* ſ. *timidus* LINN. BVFF. VI. t. 38.

Sp. 185. L. *Sibiricus* ſeu *alpinus*, qui hyeme albeſcit.

p. 24. 4. *Idem* BERGMANNI *conſilium quomodo exſecutus ſit* refert PETR. ADLERHEIM. Conſil. metall. Ipſe hoc modo innumeras *Phalaenas brumatas* cepit vtriusque ſexus. Quasdam feminas ſuſpicatus euaſiſſe, vel per interſtititia corticis alligati et arboris ipſius perrependo, vel transeundo ſuper picem, quae tempeſtate frigida facile ita coit, vt ſatis viſcida non maneat; cui impediendo, vt aliquid admiſceri poſſit pici optat. Certe tamen erucarum futurarum numerum hoc modo inſigniter diminuit, et cortices arboribus alligatos reliquit, proximo anno rurſus vſui futuros.

p. 29. 5. *Obſervationes variolarum ſanguinolentarum* edit GABRIEL LVND M. D. Cum multi infantes variolis perirent Holmiae, ſub finem anni 1760. et initium 1761, has, quas deſcribit, vidit in infantibus 5. aut 6 parentum pauperum. Initium morbi ſimile initio variolarum malignarum, ardor, dolores capitis, anxietas, vomitus, inprimis laſſitudo et defectus virium, cuius indicium erat, pulſus paruus et celer, reſpiratio difficilis, plerumque etiam diarrhoea. Secunda die incipiebat ſtadium ſecundum; conſpiciebantur maculae rubrae, quarum aliquae paulatim eleuabantur, ad magnitudinem paruae iuglandis, ſanguine repletae, aliae minores, aliae exiguae, variolis confluentibus ſimiles. Maxima pars veſicularum ſaepius velut retracta intra corpus, vix amplius conſpiciebatur: deinde rurſus apparebant priori magnitudine, quae alternatio
p. 31. duo dies interdum durabat. Loca, a variolis libera, pallebant, circum variolas nulla apparebant inflammationis indicia. Durabant anxietas, deiectio virium, pulſus paruus et celerrimus, ardor, non adeo magnus; ſaepius vero accedebat profluvium ſanguinis ex naribus, diarrhoea difficulter com-

compeſcebatur. Tertio ſtadio, quod ſuppurationis vocatur, nulla ſuppuratio. Variolae, vt ante, ſanguine plenae, infantes, dum anxii ſe in lecto iactitabant, et ita veſiculas rumpebant, ſanguis, qui effluxerat, lintea ſimili colore tingebat, ac alius ſanguis, ſed pallidiore. Fundum variolarum, vbi disruptae erant veſiculae, gangraenatum non animaduertit; vbi vero veſiculae ſponte concidebant, locus poſt breve tempus nigreſcebat. Iam alternabant ardor et frigus, alternis vicibus etiam nares ſanguinem ſtillabant, excrementa erant ſanguinolenta, vires magis magisque diminuebantur, anxietas et deiectio virium increſcebant et aeger plerumque quinta die poſt eruptionem variolarum moriebatur. Nihil ad leuandum morbum faciebant nitroſa, acida mineralia, emulſiua, diluentia, camphorata aut chinata: analepticis videbatur optime effici, vt variolae extra ſuperficiem corporis retinerentur. Balnei vtilitas nulla, venaeſectio, cantharides, ſinapismus exigui vſus. Turundis, ſolutione vitrioli aut aluminis madefactis, narium haemorrhagia ſiſtebatur, rhabarbarina, et opiata lenia, veſpere data, diarrhoeam ad tempus impediebant, ſed haec remedia omnia, non niſi lenientia erant; infantes autem his variolis ſanguinolentis adfecti omnes, ſeptima die ab initio morbi moriebantur. Hunc morbum in Auctoribus fruſtra ſe quaeſiiſſe ait Noſter, et diuerſos oſtendit, qui ſimiles ipſis videri poſſint apud SYDENHAMVM, BOERHAAVIVM, LISTERVM, LA METTRIE, MEADIVM, SAVVAGES, et PLENCIZ.

6) *Obſeruationes eclipſeos ſolis d. 4. iun.* 1769. *Holm. in obſeruatorio habitas* edit PET. WARGENTIN, quas inprimis monet magni momenti eſſe ad definiendas differentias meridianorum loco- p. 35.

rum, vbi tum temporis aſtronomi degebant, propter tranſitum veneris ſub ſole. Ita ex ſua obſeruatione cum ea, quam P. HELL habuit, collata, Wardoehuſium, vbi Vir Cl. obſeruauerat 52 min. 11 ſec. temporis magis verſus orientem ſitum colligit Holmia; Eleuatio poli Wardoehuſii eſt 70 gr. 22 min. 35 ſec. quibus duobus definitur poſitio extremi borealis peninſulae Scandicae. Ceterum hic edit tempora, quibus maculas, quarum illa die multae in ſole erant, vel texerat luna, vel illas reliquerat.

p. 41. 7. *Eiusdem eclipſeos obſeruationes*, per ERICVM PROSPERINVM Math. Adi. Vpſaliae.

p. 42. 8. *Eiusdem obſeruatio* FRID. MALLET obſeruatoris Regii Vpſalienſis, Pello in Lapponia inſtituta. Vidit quaedam, quae exiſtimat ad lunae atmoſphaeram pertinere, et aſtronomis, vt ad eiusmodi phaenomena attenti ſint, commendat.

p. 48. 9. *Examen pulueris, caementariis vſitati* (Traſs) edit BENED. QVIST. ANDERSSON. Vſus eſt materia, quam Delphis reperit, vbi molis contunditur. Duas eius varietates inuenit. Prima griſea eſt, flaueſcens, duriuſcula, tactu aſpera et ſicca: diffracta in ſuperficiebus, quae cohaeſerant, ſpeciem exhibens ſubtilioris argillae, arenae mixtae, ignem paſſae: immixtas habet particulas corneorum cryſtalliſatorum WALLERII, item ſpati et quarzi, plena interſtitiorum, quorum alia vacua ſunt, alia referta particulis lapidis leuiter adhaerentis, pumici ex fibris tenuibus conſtanti ſimilis. Altera varietas eo ſolo a priore differt, quod plura admixta habeat, vt, praeter enumerata, particulas ſchiſti nigreſcentis, lapilli cornei cryſtalliſati, magneti obedientes, micam, particulas minerae ferreae cet. His mate-

materiebus contuſis aquam ſuperfudit, limumque et ſedimentum examinauit, liquores chemicos, inprimis ſpiritum vitrioli adhibuit: limum etiam ſiccatum et compactum examinauit, ex quibus, quae enarrare longum eſſet, haec infert:

Materia haec *Traſs*, varias alias habet admixtas, ſed tam exigua copia, vt fortuito ad illam delata eſſe iudicandum ſit, nec ad ſubſtantiam pertinere. Inprimis ad argillas videtur referenda: nam puluis, in aqua natans, ipſum odorem argillae ſpargit madefacta et ſiccata, in igne aliquantum indureſcit, ſola absque additamento funditur, ſpiritu vitrioli admixto alumen praebet, et ſal ſeleniticum, quo terram calcariam adeſſe oſtenditur. (Adiiciamus, caementariam hanc terram, *Traß*, Germaniae productum eſſe. Foditur prope Francofurtum ad Moenum et Andernaeum, et inde Belgis aduehitur. Examen chimicum eius inſtituit Cel. VOGEL in praelectione habita in Soc. Reg. Scient. Gotting. 14 Nou. 1772. v. Nouos Commentarios Soc. Sc. Gott. Tom. III. p. 10.) p. 65. p. 66.

10. *Viuerram Putorium* deſcribit IOSEPH. CELESTINVS MVTIS, M. D. Vic. Regis Sanctae fidei in America, quae Hiſpanis paret, medicus. Deſcriptio ex litteris ad NICOL. ALSTROEMER, ſermone Hiſpanico ſcriptis, hic Suecico editur. Habitat animal circa metallifodinas prope Pamplonam Americae; foueas in terra excauat, in quibus tota die dormit, nemini nociuum. Nocte inſecta venatur, quibus veſcitur, ſcarabaeos et lumbricos, quos ex terra effodit, fortibus eo fine praeditum pedibus anterioribus, illisque vngulis munitis. Quamprimum aliquid auditu percipit, vnde ſibi metuit, liquorem foetidiſſimum longe iaculat, quo facile inimicum quemuis abſterret. p. 67.

 Hunc

Hunc liquorem vrinam hactenus putarunt. No-
p. 75. ſter reperit eum contineri duabus glandulis oui columbini magnitudine, infra peluim prope anum ſitis, exitum habentibus in rimam, dimidii digiti longam. Hanc rimam initio pro vulua habuit falſo, erat enim animal mas; ſed hoc errore effectum eſt, vt, deſtructa rima, non ſatis obſeruare poſſet exitum puncti alicuius mammillaris, ex quo proiiciebatur liquor foetidus. Glandulae vero, quas diximus, conglomeratae erant, contentae folliculo ouiformi, in quo reperiebat aliquid liquoris foetidi. Folliculus erat membranoſo tendinoſus, laeuis, compactus. Punctum mammillare pertranſibat ductus excretorius; glandulae vero circumueſtiebantur muſculis, quorum ope liquor exprimeretur per ductum. Hos muſculos licet ſatis fortes, non tamen ſufficere credit Noſter liquori in tantam, vt re vera ſit, diſtantiam ſpargendo: igitur facere aliquid adhuc aeſtimat baſin caudae prementem. Veſica vrinaria vacua erat nullumque veſtigium in illa fuiſſe aliquid adeo foetidi. Exhibet Noſter tum animalis deſcriptionem, ad leges Linnaeanas concinnatam, tum varia ad anatomiam pertinentia de partibus, thorace ac abdomine contentis, item muſculis. Sed in his breuiorem eſſe, quam vellet, coegit intolerabilis foetor, vnde nati ipſi dolores capitis, nauſea, vertigo, et alia mala, vt huius anatomiae adhuc cum horrore reminiſcatur. Multos dies ſuperfuit adhuc foetor in conclaui, vbi peracta erat disquiſitio. Quodſi hyſtericae e paroxyſmis rebus foetentibus reuocandae ſint, nullum efficacius remedium adhiberi poſſe hac materia credit. Ceterum monet, animal prope accedere ad Ciuettam, quam deſcripſit Ac. Reg. Sc. Pariſina.

II. *Ex*

11. *Ex diario academiae* editur, Cl. HEY-KENSKIOELD experimento comprobaſſe, quod de aqua fontis *Loka* narratur, diutiſſime illam ſervari poſſe. Lagenas hac aqua repleri curauit 1759. et ad fontem ipſum ſubere et pice claudi. Harum aliquae Holmiae in cauea ſeruatae hoc anno 1770, ſaporem omnino, qualis aquae, ad ipſum fontem hauſtae, eſt, oſtendunt, nihil vel ſedimenti, vel turbidi habent. Igitur haec aqua iis commendatur, qui puriſſimam potui, vel alios ob fines quaerunt. p. 77.

Trimeſtre ſecundum.

1. *Hiſtoriam eorum, quae chymici fecerunt ad vniendum mercurium, cum acido ſalis communis* edit. T. BERGMANN. Hac prima parte agit de *ſublimato corroſiuo*, cuius praeparationis methodos varias recenſet et diiudicat: ſaepius etiam, quae ipſi euenerint experimenta pariter inſtituenti, narrat. Sublimati huius parum vel nihil in Suecia praeparari dolet, cum parcere Sueci poſſint pecuniae, in emendum illud ab exteris impendendae. Sit etiam id, quod emitur ſaepius arſenico mangoniſatum. Quam fraudem ita detegi aliqui dicunt, quod ſublimatum, arſenico inquinatum, indito ſale alcalino, nigrum praecipitetur. Noſter vero, valde obſcurum eſſe hunc characterem experimento comperit, et illi certius examen praefert, vt pauxillum ſublimati carbonibus iniiciatur, arſenico, odore allii ſe manifeſtaturo. p. 79. p. 87. p. 90.

2. *Sublimati corroſiui praeparationem absque igne* docet Cl. MONNET; Gallus, rei metallicae cauſſa itinera inſtituens; Acc. Regg. Scc. Taurinenſis et Rothomagienſis ſodalis, opere de aquis minerali- p. 102.

bus

p. 104. bus notus. Eius ſcriptum diſſertationi BERGMANNI occaſionem dedit. Experimenta eius haec ſunt. Libram mercurii ſoluit in acido nitri q. ſ. quod calens adhuc adfudit in vas lapideum. Antequam recederet calor omnis, adfudit ſolutionem librae et dimidiae ſalis communis omnem ſimul. Ortus in mixto motus internus, aſcenderunt vapores rubri, et multum praecipitati decidit, ſed id ſtatim rurſus ſoluebatur. Poſt aliquam quietem, magna multitudo coit cryſtallorum paruarum, pugionum forma triangulares, flexibiles, et illis omnino ſimiles, quas exhibet ſolutio ſublimati corroſiui, illae
p. 105. a reliqua maſſa non aliter ſeparari poterant, quam quod in filtro reſtarent. Cum bene eſſent exſiccatae, dimidium illarum exponebatur ſublimationi, in cucurbita, balneo arenae indita. Sublimatio ſatis celeriter procedebat calore exiguo. Alterum dimidium terebatur in mortario vitreo cum argento viuo; tres vnciae cryſtallorum aſſumebant duas vncias argenti viui; quam proportionem diſpenſatorium Pariſinum praeſcribit ad edulcorandum ſublimatum corroſiuum. Mixtura haec exponebatur ſublimationi. Cum hinc conſtaret, mercurium corroſiuum via humida tantum acidi ſalis recipere poſſe, quantum ſufficit, vt abeat in ſublimatum corroſiuum, tentare libuit, num maiori copia acidi onerari ſe patiatur? Itaque duae librae mercurii in ea acidi nitri quantitate ſoluebantur, cui aliquid adhuc deeſſet ad ſaturationem. Affundebatur ſolutio librarum trium ſalis communis. Oriebatur, vt ante, vehemens motus inteſtinus cum vaporibus rubris; liquor autem vix ad momentum temporis albeſcebat, ſtatim rurſus fiebat clarus, colorem vero obtinebat egregie coeruleum. Sali communi ſoluendo, aqua adhibita erat, copia, quam fieri poterat, minima: igitur mox oriebatur ingens multitudo cryſtal-

cryſtallorum, illis experimenti praecedentis omnino ſimilium. His ſeparatis, liquor exponebatur balneo arenae, vt quarta pars in vapores abiret: cum refrigeſceret, coibat plurimum eiusdem ſalis. Id ſiccatum, tantundem mercurii currentis, ac praedictum recipiebat, vt abiret in mercurium dulcem. Hae cryſtalli, cum a cryſtallis mercurii ſublimati corroſiui, conſueto more praeparatis, aqua ſua cryſtalliſationis differrent, adhibendus illis ſub initium ſublimationis eſt calor lentus et caute tractandus, ne cryſtalliſationis aqua ſubito mutetur in vapores, magnam partem ſublimati ſecum abducturos, imo vaſa diffracturos. Idem ſal mercurii ſi ſolum ſublimari debeat, maiori adhuc cautione opus eſt. Quod in his decompoſitionibus naſcitur nitrum quadrilaterum, difficulter cryſtalliſatur, et humidum ex aere attrahit, igitur nullum periculum eſt, id ſali mercurii, cum hoc cryſtalliſatur, ſe admixturum. Solutio quidem eius circumdat cryſtallos; ſed a charta, ſuper qua ſiccantur, ſuctione recipitur. Liquor ex ambobus his experimentis reſiduus, ſollicite in balneo arenae ad ſiccitatem euaporabatur: dum ſiccabatur maſſa ſalina, aliquid ſalis mercurii marginibus adhaerebat, etſi calor eſſet lenis. Itaque hoc modo multum perditur; ſal vero obtinetur omnino ſiccum. Haec maſſa ad ſeparandum ſal mercurii in puluerem redigebatur, quo 6 cucurbitulae vsque ad dimidium replebantur et balneo arenae immittebantur. Quarum fornices ſuperiores, cum breui tempore ſublimato obducerentur, paulo poſt ex media fumus craſſus albus exiit; quae cum accuratius Noſter conſideraret, in fundo reſiduum nitrum quadrilaterum fluere et vehementer ebullire vidit, imo variis in locis incendi; ſtatim reliquae cucurbitae eadem oſtendebant. Igitur quasdam ex igne ſuſtulit, ſed ſtatim elaboratorio fumo

p. 106. p. 107.

fumo, mercurii ſublimati pleno, fugere eum oportuit; inſpirauit et deglutiuit alcali volatile, quod vaporibus mercurii ſublimati vnitum, eorum effectus nocuos impedit, et eos exſpiratione eiici rurſus permittit. Itaque rediens in laboratorium cucurbitas, in balneo arenae reſiduas, claras reperit absque vllo ſublimato. Cum exiret ignis, nitrum quadrilaterum in magnis maſſis, fundis accretum reperit. Cucurbitae, quas exemerat, egregium ſublimatum corroſiuum continebant, paulo rarioris texturae. Haec, vt patet, oriebantur a fuſione nitri, quod ita ſolum accendi potuiſſe notatu dignum. Haec pericula vt euitarentur, maſſa ſalis mercurii aequali portioni arenae miſcebatur, quo impediebatur ſubita fuſio, calor vero ſub initium adhibebatur lenis, vt paulatim in vapores abiret humiditas. Ita facile obtinebatur ſublimatum; ſed, cum maſſa, antequam adderetur arena, plurimum nitri quadrilateri contineret, quaelibet cucurbita non, niſi tenuem laminam ſublimati, interiora obducentem, continebat; vnde conſultius eſt plurium cucurbitarum loco vnam maiorem adhibere, in qua ſublimatum magis compactum et cryſtallinum ob-
p. 108. tinetur. Solutioni octo vnciarum mercurii tantundem ſpiritus ſalis adfudit. Decidit magna quantitas praecipitati albi, etiamſi vehementer caleret ſolutio; praecipitatum hoc filtratum et aqua calida edulcoratum, omnino ſimile repertum eſt conſueto praecipitato albo. Hinc infert, cum mercurius ſat acidi receperit, vt in ſublimatum corroſiuum abire poſſit, deinde plus acidi difficulter recipere, aut omnino non. Euaporatione ex hoc liquore obtinuit cryſtallos, prius deſcriptis ſimiles.
p. 109. Tandem examinaturus, num acidum ſalis adoriatur mercurium, alcali ope ab acido nitri ſeparatum, vnciae praecipitati in cucurbita adfudit quatuor

vncias debilis ſpiritus ſalis, quae balneo arenae expoſuit, mox ſoluta omnia vidit, aqua diluit et euaporauit, ſed nullas cryſtallos obtinuit, reſiduam tantum maſſam ſalinam. Quod, cum a nimia copia acidi accidere iudicaret, aqua diluit, praecipitati plus addidit, donec ſaturaretur acidum, et cryſtallos prioribus ſimiles habuit. Itaque via humida obtineri poteſt mercurius ſublimatus corroſiuus; eius vero qualitas corroſiua non inſcribenda eſt acido ſalis ſoli, ſed acidi ſalis et mercurii coniunctioni.

3. *Obſeruationem, diſſertationem praecedentem illuſtrantem* edit AND. IOH. RETZIVS. Cum mercurium purificatum ſoluiſſet aqua forti, qualis vulgo venditur, acido ſalis communis inquinata, globulos mercurii inuolutos reperit maſſulis ſalinis; decantato liquore, ſal ſiccauit in charta, quod obtinuit, griſeo albens, prismaticum flexile, omnino, vt Cl. MONNET ſuum deſcribit, ſimile quid alias obtinuit, ex aqua forti eiusdem ſpeciei; aliis vicibus vero id ipſi non ſucceſſit, ſine dubio, quia aquae fortis alia portio acidum ſalis communis continebat. p. 110.

4. *Obſeruata, poſtquam fulmen d. 30 maii 1769. Holmiae domum tetigiſſet*, enarrat IO. CAR. WILKE Prof. Phil. Experim. Hic locus ſaltim eſt paucis ex hiſtoria prolixiore excerpendus. Exploſionem fulminis obſeruauit Noſter ſaepius velut praenunciari, imbre vehementius decidente; platea, in qua domus tacta eſt, et vicina minor igne plenae viſae; qui in portis aedium vicinarum ſtabant, ſuccuſſus ſenſerunt, quales ſunt electrici. Conclaue contignationis infimae totum igne plenum apparuit; et qui in eo fuerunt, ſuccuſſus electricos ſenſerunt: ceterum nihil damni domus paſſa eſt, paucis ſaltem locis p. 112. p. 113. p. 114.

locis calcis particulae deiectae aut feſtucae auulſae. Cuius rei rationem hanc reddit; quod domus praeſidiis contra fulmen inſtructa erat fere iis, quae ſuaſit Cl. BERGMANN in ſermone, *de aedibus contra fulmen muniendis.* Haec domus quomodo inſtructa fuerit, vberius deſcribitur, et ipſa domus
p. 115. figura illuſtratur. Tecti faſtigium munitum eſt laminis ferreis, ſtanno obductis. Similes laminae pluribus locis, exterioribus domus ſuperficiebus applicatae ſunt; iunguntur vero canali ferreo, ex tecto deſcendenti, per quem pluuia delabitur: illi canali et laminis, domus ſuperficiei externae applicatis, iunguntur columnae ferreae, oblique terrae infixae. Ita fulmen, in tectum decidens, per ferramenta illa deducitur. Leuia, quae obſeruari potuerunt fulminis veſtigia, omnia talia fuerunt, qualia ex hac ſtructura et notis electricitatis effectibus, poſſunt explicari. Haſtae praealtae in apices deſinentes veretur Noſter, ne fulmen ex nube, alias
p. 121. praegreſſura, eliciant. Ipſe exiſtimat, electricas materias contrarias, ex nube et ex terra exeuntes
p. 122. ſibi mutuo occurrere, et incendi, vnde aedes non ſolum in ſummis locis, ſed etiam in imis muniendae ſunt. Varia addit ad periculum, quod aedibus a fulmine imminet, pertinentia, et illa obſeruationibus, Holmiae inſtitutis, confirmat.

p. 125. 5. *Additamentum diſſertationi praecedenti* ſubiicit TORBERN BERGMANN. Inprimis, quae de tuendis aedibus olim Societati Reg. obtulerat, illuſtrat, de haſtis benignius iudicat WILKIO, et ad quaedam, quae hic haſtis obiecerat, tecte reſpondet.

p. 130. 6. *Conſectaria oeconomica, ex tabulis, quibus numeri ciuium continentur,* continuat EDVARD

FR.

FR. RVNEBERG. Hic inprimis numerum eorum conſiderat, qui vere manus oeconomiae rurali exercendae adhibent. Illorum vtriusque ſexus numerum, ad numerum omnium incolarum reperit in ratione 625: 1788: itaque multo minorem, quam bono publico conducat: quod vlterius illuſtrat comparando hunc agricolarum numerum cum amplitudine terrarum, quae ab ipſis colendae ſunt. Quo efficitur, vt ſerio de conſeruando et augendo vtiliſſimo hoc hominum genere cogitandum ſit. p. 137.

7. *Situm geographicum locorum quorundam Liuoniae* determinat PETR. VARGENTIN. Obſeruationes leguntur *Comm. Nou. Petrop. T. V.* et ibi ad longitudines definiendas, GRISCHOVIVS obſeruationes circumiouialium cum calculis contulit; ſed hi ex tabulis VARGENTINI antiquioribus ducti erant. Igitur VARGENTIN iam obſeruationes Liuonicas confert, tum cum calculis accuratioribus, tum cum obſeruationibus, actu inſtitutis. Loca ſunt Reualia, Riga, Dagerort, in apice occidentali inſulae Dago, Arensburg in Inſula Oeſel. Colligitur ex his obſeruationibus, mare Balticum inter litora Sueciae et Liuoniae paulo latius eſſe, quam huc vsque iudicatum eſt. p. 152.

8. *De halecis piſcatura in Norlandia Noruegiae* refert NIC. CHRISTIAN. FRIIS, Epiſcopus Laponiae Norvegicae. Recenſentur loca, vbi haec piſcatura inſtituitur, inprimis, vbi mare ſinus ad litora efficit; piſcandi tempus commodiſſimum eſt ab exitu auguſti, durante ſeptembri, et octobri. Magno frigore captus piſcis ſtatim congelatur, et difficulter ſalem recipit, vnde commercio non eſt idoneus. p. 158.

p. 168. 9. *De ligni quaſſiae vi aduerſus arthritidem*, refert
p. 170. ED. SANDIFORT M. D. phyſicus Hagenſis. Femina debilis corporis, annorum 47, cum pluribus annis vehementibus doloribus arthriticis eſſet cruciata, plerisque remediis fruſtra adhibitis, initio anni 1769 vehementius malum ſenſit. Cum nihil auxilii conſueta remedia adferrent, Noſter, purgatis
p. 171. ante, vt decebat, inteſtinis, tincturam ligni quaſſiae praeſcripſit, cuius in vino Gallico albo primo 30, poſt 60 guttas ſumſit, primo vna vice ſingulis diebus, deinde binis vicibus. Maiorem doſin, quod amarior eſſet medicina, ſumere non potuit. Poſt aliquod tempus multum imminuti ſunt dolores: igitur tunc ſumſit quotidie 2 vncias, omnino ab arthritide liberata, vt nullos amplius dolores ſentiret. In alia femina ſimilem effectum habuit remedium, ſimiliter adhibitum. Sed, cum non amplius ſumeretur, redierunt dolores, etſi leniores. Igitur rurſus iuſſit remedium ſumi, cuius effectum inte-
p. 172. grum, cum haec ſcriberet, nondum vidit. Tincturam aliis praeparatis praefert, quod commodius adhibeatur. Vncia quaſſiae conciſa, aut curatius raſpata, phialae altae vitreae iniicitur, ſuperfunduntur vnc. 6. ſpiritus vini Gallici, ita omnia digeruntur in calore mediocri, tinctura decantatur. Aegris, de quibus refert, nulla alia medicamenta interna dedit, exterius frictionem adhibuit. Subiicit Ill. A LINNE' accipiendam eſſe radicem quaſſiae ſubfuſcam, non lignum trunci album; hoc pharmacopolas adhibere, ſed, quod ab eo radix effectu differat, LINNAEVM vidiſſe.

p. 173. 10. *Obſeruationes de oculo mundi*, edit BENGT. QVIST. ANDERSSON Varietates huius lapidis mirabilis duas nouit. Altera, viridis, maculis albis, a poſſeſſore DYONISIO VAN WYNPERSEN deſcri-

deſcribitur in Ephem. Ac. N. C. *). Alteram Noſter vidit in muſeo Britannico. Tria exemplaria ibi aſſeruantur, e Thuſcia, vt dicitur adlata, emta a Cl. SLOANE, maximus lapis 300 libris Anglicis, duorum minorum quiuis 200. Hi lapides coloris ſunt griſei ſubflaui, omnino opaci, niſi in marginibus tenuibus ſemipellucidi. Grauitatis ſpecificae ad aquam vt 200 : 100, limae vel chalybi obediunt, etſi vitrum ſcindant. Cultro aut lima dentati, item vitro affricti, puluerem ſubtiliſſimum dimittunt, vaporis aut fumi forma, ſimul videtur odor, ſicut muſci, oriri. Sed, cum non liceat fortius lapides aggredi, haec phaenomena ſumma certitudine ſentiri non poſſunt. Textura videtur ſatis dura, ſed rigida, acida nihil ſoluunt, colorem reddunt magis griſeo flauum, poſt aliquot horas in priorem redeuntem. Maculae, ita ortae, non impediunt mutationes, quas lapis in fluidis ſubit. Maximus lapidum duabus horis, quibus in aqua iaceat, opus habet, vt clareſcat; nec tamen adeo clarus fit, ac minores. Primum clareſcit punctum aliquod ad centrum, vnde claritas paulatim ſe extendit verſus margines, qui vltimo clareſcunt. Minimus mox clareſcit; ſed a marginibus verſus centrum dimidia hora totus clarus euadit. Ex aqua exemti opacitatem eo tempore, eoque ordine rurſus adipiſcuntur, quo illam perdiderant, aut paulo citius, ſi breui tempore in aqua fuerint. Maximus, cum minutis 10 in aqua fuiſſet, pondus habuit parte ſui decima auctum. Minor, cum aequali tempore in aqua fuiſſet, non, niſi extremos margines claros habuit, pondus autem magis auctum. Aliis 10 minutis pondus habuit parte ſui quarta auctum, et adhuc 10 minutis in aqua relictus totus clarus euaſit, ſemipellucidus omnino colorem referens p. 174.

 electri

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 322.

electri ſaturate flauentis, pondus eius ad tertiam partem auctum. Diutius in aqua relictus, nec coloris, nec ponderis mutationem ſubiit.

Trimeſtre tertium.

p. 175. 1. *Obſeruationes Cometae* (1769) *Holmiae habitas* edit PETR. VARGENTIN.

p. 184. 2. *Eiusdem Cometae obſeruationes Vpſalienſes* exhibet ERIC. PROSPERIN, qui etiam, quae ad orbitam et motum cometae pertinent, computauit, calculis egregie cum obſeruationibus conſentientibus. Viae, inter aſtra apparentis, tabula exhibetur.

p. 189. 3. *De coementis ad lapides in muris ſtruendis conglutinandos* egit PETR. ADR. GADD Profeſſor chem. Oboenſis. Primum obſeruationes exhibet,
p. 190. quomodo ſe habeant naturae producta. Terram calcaream cum humo non indureſcere, parum dureſcere, argilla addita: argillas, ferro foetas, lapideſcere, ſi in aqua, aut terrae, aut pinguedini ex quocunque trium regnorum iungantur; et ſimilia. His, no-
p. 193. mine experimentorum *generalium*, ſubiunxit breuem hiſtoriam mortariorum et coementorum, variis
p. 198. in regionibus adhiberi ſolitorum; Sequuntur experimenta *ſpecialia*, quae Ipſe inſtituit coementa faciendo, quorum baſes eſſent calx, argilla, gypſum. Quae ſingulis baſibus admiſcuerit, et quomodo mixturas tractauerit, exponit. Experimenta ſimilia inſtituit plura quam 200, quorum hic 82 recenſet. Singulas mixturas, cum annis ſeptem in loco quodam, vbi ſiccabantur, iacuiſſent, aquae indidit per tempus decem minutorum, et narrat, quae nihil aquae imbiberint, quae ab aqua molliores factae fuerint. Hinc

Hinc conſectaria generalia deducit, vt, coementum p. 203.
maxime firmum naſci ex calce, ferro, aut terra, ferro foeta, admixta debita proportione pinguedinis. Picem liquidam, ſaponacea, acida vegetabilia aut mineralia, minuere bonitatem coementi. Melius eſſe, vt calx ſtatim, cum ea coemento adhibetur, extinguatur; non vero longo tempore ante: terram ferro foetam, quae in ſcorias aut calcem abierit, cohaeſionem minorem efficere, ferro, ſub forma metallica adhibito. Igitur ſcoriis aut calci ferri phlogiſton adiiciendum eſſe, vt metallica natura reſtituatur. Lateres, conſueto more igne paratos, comminutos, addito ſufficiente phlogiſto, cum calce efficere ſuccedaneum terrae Puteolanae; et plura alia, quae ipſa legantur in hac diſſertatione, plurimum ad vſus architecturae practicae faciente.

4. *Experimenta circa tartarum vini et eius acidum* p. 207.
inſtituit ANDR. IOHAN. RETZIVS Phil. mag. Occaſio fuit, quod in vſum praelectionum ſuarum pharmaceuticarum examinare vellet, num recte p. 208.
quidam aſſererent, acidum tamarindorum, tartarum ex ſolutionibus ſuis praecipitare. Itaque ſolutioni cryſtallorum tartari admiſcuit tum infuſum tamarindorum, tum acetum, item acidum malorum citrinorum; nullam vero praecipitationem obtinuit. p. 209.
Cum vero tartarus eſſet ſali vnitus, e. c. tartaro ſolubili et tartariſato, ſali DE SEIGNETTE; cremor tartari promte a praedictis acidis praecipitabatur. Vt TOVRNEFORTII ſententiam examinaret, acidum tamarindorum easdem proprietates habere, ac tartarum, collegit cryſtallos ſquamoſas, quae ex decocto tamarindorum ſaturato decidunt, dum per aliquod tempus quieſcit: has lotas, ſolutas, lixiuio ſalis tartari ad perfectum ſal medium ſaturauit.

 Huic

Huic ſalis medii lixiuio admiſcuit infuſum clarum
tamarindorum; praecipitatus eſt puluis acidus, omni-
no cremori tartari ſimilis, niſi quod fuſcus eſſet.
Idem accidit adfuſo ſucco malorum citrinorum, aceto
vini, aut acido minerali. Haec cum referret inge-
nioſo pharmaciae cultori, cui SCHEELE nomen
eſt, retulit is, continuaſſe ſe MARGGRAFII (*Chy-
miſche Schriften. 2. Theil*), experimenta cum tartaro
et creta inſtituta, et, cum cretam, ita acido tartari
ſaturatam, cum acido vitrioli digereret, puriſſimum
liquidum acidum tartari obtinuiſſe, proprietatibus
ſuis ab aliis omnibus acidis diuerſum. Simul ex-
perimenta ſua cum Noſtro communicauit, vnde
ad alia circa hanc rem inſtituenda RETZIVS in-
p. 210. citatus eſt, quae iam edit. *Primum* hoc eſt: li-
bram cryſtallorum tartari puluerisatarum in vas
ſtanneum coniecit, additis tribus menſuris (*ſtop*)
aquae, tamdiu ebullientis ad ignem, donec cryſtalli
omnes eſſent ſolutae. Admiſcuit cretam, in tene-
rum puluerem redactam, nulla arena inquinatam;
qualibet admixtione ſolutio parum coquebatur, et
agitabatur. Quae fiebant, donec a creta adiecta
nulla amplius ebullitio oriretur, et liquor clarus
ſuperſtans nihil ſaporis acidi oſtenderet: tunc fil-
trabatur liquor, et maſſa, in filtro reſidua, aqua
frigida ſoluebatur. Liquore filtrato, euaporato
ad ſiccitatem, obtinebatur tartarus tartariſatus.
p. 212. Reſiduum in filtro, quod vocant ſelenitem tarta-
reum, partim in vmbra ſiccabatur, reliquo ſu-
perfundebantur circiter vnciae 10 boni ſpiritus
vitrioli, vaſe in calore leni repoſito. Ebulliebat
mixtura: cum omnia quieuiſſent, maſſa ſuperſtans
erat clara. Cum horas 24 ſtetiſſet, decantabatur
liquor, reliquo nouus ſpiritus vitrioli ſuperfundeba-
tur, et ſic pergebatur, quamdiu ſupereſſet aliquid
acidi tartari in creta, quod examinabatur, particula
cretae

cretae, carbonibus iniecta, quae acidum odore tartari vſti prodebat. Acida ſalis et nitri, licet acido tartari auferre poſſint terram ſuam calcaream; minus tamen idonea ſunt huic operationi, quia fluida manent, et ſic acido tartari ſeparato miſcentur: acidum vitrioli cum terra cretae gypſum efficit, minus in aqua ſolubile. Acidum tartari, primis tribus p. 213. adfuſionibus ſpiritus vitrioli obtentum, miſcebat. An liberum eſſet ab acido vitrioli ita examinabat: miſcebat acidum tartari ſolutioni ſachari ſaturni, quo ſacharum coagulabatur: coagulo ſuperfundebat purum ſpiritum nitri, omnia rurſus ſoluentem, ſi nullum acidum vitrioli ſuperſit. Hoc modo optime detegi praeſentiam ac. vitr. monet, etiam cum nihil ad eam rem faciat, oleum calcis aut ſolutus merc. ſublimatus. Hinc eam methodum examinandis aquis mineralibus commendat. Aceto vini, bene concentrato, optime ſoluitur coagulum. Ita examinatum acidum tartari, et euaporatione aliquantum condenſatum, vocat acidum purum tartari, et plura cum illo experimenta inſtituit, quae hic tranſcribere longum eſſet, pauca ſpecimina conſectariorum, quae ex illis colligit, afferemus. Cum hoc acidum vini e retorta vitrea deſtillaret, igne adeo vehemente, vt fundus vaſis canderet, tranſiit in recipientem ſpiritus et oleum p. 217. tartari, manſit in fundo vaſis carbo niger, leuis, omni ſalis veſtigio orbus. Hic miratur, acidum illud tartari, quod lingua vix tolerat, tam facile deſtrui, cum vas luto optime eſſet clauſum, nihil vero ſaporis acidi ineſſet, nec ei, quod in recipientem tranſierat, nec carboni. Carbo hic, cum eſſet vera terra vitrificabilis, nullum veſtigium ſalis lixiuioſi oſtendit, indicio, vt credit Noſter, vulgares rationes de ortu ſalium lixiuioſorum in igne falſas

 eſſe.

eſſe. Plures alias chymicorum hypotheſes experimentis ſuis dubias reddi exiſtimat.

p. 226. 5. *Aletris Capenſis* deſcribitur a IO. ANDR. MVRRAY Prof. Bot. Gottingenſ. Ac. Reg. ſcient. Suec. ſocio. Binae plantae floruerunt in horto botanico Gottingenſi 1769, ſemina etiam matura tulerunt, educatae ſunt e ſeminibus, circiter 10 annos ante ſatis; alteri fimus datus, altera ſaltim in caldario ſeruata, vnde prior multo procerior, et perfectior euaſit: quaedam etiam diſcrimina oſten-
p. 231. derunt, ab hac cultura ſine dubio oriunda. In priore limbus florum inferiorum diſciſſus erat in 8 labia, ſaepius in 7, ſuperiorum in 6; tot etiam habebat in floribus ſingulis ſecunda. Stamina plantae maioris in floribus inferioribus 8, ſaepiſſime 7, rariſſime 6; ſed ſuperiorum ſingularum 6; tot etiam florum plantae minoris, vno, qui 7 habebat, excepto. Itaque, iudicium ex plurimis for-
p. 232. mando, planta pertinet ad hexandrias. Partes fructificationis proxime accedunt ad genera *Aloes*, *Hyacinthi*, *Alethridis*, et *Polyanthes*. Primum adeo accedere Noſtro viſa eſt ad *Aloen vuariam*, vt fere, videretur Ipſi, *vuariam*, a reliquis *Aloes* ſpeciebus, a quibus imprimis foliis membranaceis differt, remouendam eſſe, et cum hac planta in vnum genus coniungendam. Habet tamen vuaria, vt aloes reliquae, filamenta, receptaculo inſerta; MVRRAYI planta corollae. Eadem planta, quod nulla mellis receptacula habeat, corollae marginem vero erectum, et capſulam oblongam tres alas haben-
p. 233. tem, ab *Hyacintho* differt. Corollae ſuperficies glabra, cum rugoſam *Aletridis* corollam LINNAEVS ſtatuat Syſt. nat. ed. XII. p. 248. etc. Vnde credit Noſter, ſi florentem hanc plantam Archiater vidiſſet, vel genericum characterem *Aletridis* mutaturum fuiſſe,

fuiſſe, vel hanc plantam ab hoc genere ſeparaturum *).

6. *In naturam ſeri hydropici, ſeri ſanguinis, et ſeri albentis* inquirit PETR. ZETZELE, med. D. exercituum Regior. medic. Adhibuit ſerum hydropicum a femina, hydrope laborante, paracentheſi obtentum; ſanguinem a venaeſectione alius feminae, cruſtam inflammatoriam habentem, ſeruatum 30 horas poſt venaeſectionem, in conclaui 14 gradibus thermometri Suecici calente, denique ſanguinem a venaeſectione feminae 50 annorum, miſſum hora decima matutina, horis 12 poſt coenam. Is ſanguis effluens alte rubebat; ſed ſtatim poſt, ad margines in bullis aereis aliquid, lactis ad modum albeſcens, apparebat; ſequebantur variis in locis maculae albae, et, cum cruor ima occupaſſet, ſerum omne, lactis more, album apparebat. Has tres ſeri ſpecies numeris I, II, III, diſtinguit. Hydropici differentias ab aqua vulgari has expertus eſt. Calore ignis coit in maſſam, albumini oui ſimilem, quae carbonibus iniecta odorem ſpargit cornu vſti: admixtis acido nitri, lapide infernali, mercurio ſublimato, ſolutione mercurii in ſpiritu nitri, coit in maſſam caſeoſam; admixtis vitriolo albo et ſpiritu vini rectificato, coit in coagulum, cremori lactis ſimile; cum alumine in coagulum, ſebum facie et ipſo guſtu referens; in igne vero exhibens phaenomena, non pinguedinis, ſed albuminis oui: cum mercurio tritum, aliquid aethiopi minerali ſimile, etſi non perfectum, efficit: neque enim apparent globuli mercuriales, ſi, quod tritura effectum eſt, aqua diluatur, contra apparent, ſi euaporatione humidum minuatur. Contra ſequentibus momentis ſerum hydropicum accedit ad ſerum ſangui-

p. 235. p. 236. p. 237. p. 244.

*) vid. LINN. mant. II. p. 368.

p. 244. ſanguinis: vtriusque color plerumque ad flauum accedit, ſapor peculiari modo ſalſus eſt, cum acidis neutrum ſerorum efferueſcit, nec a ſalibus lixiuioſis mutatur, ab acido nitri et mercurio ſublimato in maſſam caſeoſam coagulantur, a vitriolo et ſpiritu vini in aliquid cremori lactis ſimile, ab alumine in maſſam firmiorem; vtrumque diues eſt materia gelatinoſa vel cornea, quae poſt euaporationem, admodum ſubſtantiae gummoſae, apparet fragilis, non ſolubilis in aqua pura, aut in ſalis ammoniaci, aut nitri ſolutionibus, nec in tritura in aqua; ſed igni iniecta, cornuum, oſſium, aut capillorum
p. 245. ambuſtorum odorem ſpargit. Huius ſubſtantiae gelatinoſae, ad phlegma, quod euaporatione abierat, ratio erat in ſero hydropico = 1 : 15, in ſero ſanguinis vt 1 : 10. Hinc explicat Noſter maciem et proſtrationem virium hydropicorum, partibus nutritionis, cum ſero illo hydropico in loco, vbi nutrire corpus non poſſunt, delatis. Tertium ſerum, album illud, quod ſupernatat ſanguini ex vena miſſo, perperam pro lacte ſumi, monet, propter ſolum colorem. Non enim caſeum efficit cum aceto, ſed calore coagulatur, et poſt euaporationem, maſſam corneam, in aqua non ſolubilem, relinquit, vt conſuetum ſerum ſanguinis, ſimiliter ab acido nitri, aut alumine in caſeum coit, ab acido ſalis in coagulum, minus cohaerens, cremori lactis ſimile. Tritura, cum argento viuo inſtituta, eadem oſtendit, quae ſerum ſanguinis. Praeterea, ſi conſideremus, quot et quam varia fluida ex omnibus partibus corporis chylo admiſceantur, antequam ſubclauiam ſanguini ſe iuncturus intrat, perſpicuum eſſe credit, proprium chylum, multo maiore copia aliorum liquidorum corporis noſtri
p. 247. tunc eſſe velut ſuffocatum. Albidum hoc ſerum plures particulas oleoſas, ſero vulgari ſanguinis conti-

continuiſſe oſtendit, pars ſolida reſidua ad phlegma, quod euaporatione abierat, erat in ratione 1: 6: hoc reſiduum a reſiduo corneo ſeri ſanguinis paululum differebat, ita ſcilicet, vt poſtulabat maior copia oleoſarum et mucilaginoſarum particularum, illi admixtarum. Itaque hoc ſerum album non diverſum exiſtimat a ſucco corporis noſtri nutritiuo, p. 249. qualis venas intrat, antequam motu decompoſitus ſit. Ceterum ex eo, quod mercurius viuus, cum ſero tritus, aethiopis ſpeciem exhibeat, ac, poſtquam in vapores abiit, phlegma globulorum forma appareat, explicat, cur in cadaueribus eorum, qui mercurio vſi ſunt, cum omnia ſiccata ſunt, mercurius forma rotunda reperiatur, interdum oſſibus, ac ſi argento eſſent obducta, adhaerens.

7. *Defluxum glaciei et aquae incrementa, in flumine ad Torneam vere* 1769 deſcribit FRID. MALLET. Obſ. Reg. Aſtr. cum maiora haec phaenomena tunc fuerint, quam ante animaduerſa. p. 249.

Trimeſtre quartum.

1. *Inſtrumentum, grauitati ſpecificae liquorum examinandae idoneum*, deſcribit IAC. FAGGOT. Eſt ex eorum genere, quae areometra vocantur, tubi diuiſionibus, vt Noſter credit, ſingularem in modum vſui facili et exacto aptatum. Occaſione cereuiſiae docet methodum, fermentum ab exigua quantitate augendi. p. 255. p. 268.

2. *Sua de inſtrumentis, fluidorum denſitati examinandae aptis, cogitata* explicat IO. CAR. WILKE. Vulgaria inſtrumenta, qualia vitrea ſunt, praeter maiorem globulum, eorum alium inferiorem habentia, qui plumbo ingeſto oneratur, variis imperfe- p. 270.

ctionibus

ctionibus laborant. Iis praefert Noſter id, quo poſt DE SAGVLIERS et alios Cl. FAGGOT vſus eſt, metallicum, cuius globus, inferius prominentem habet cylindrum, in cochleam deſinentem, ei cochleae alia aliaque pondera pro inſtrumento variis in liquoribus aliter deprimendo applicantur. Cl. WILKIVS vero ſuadet, vt ne inſtrumenti tubus prominens ſit, vt vulgo in plures gradus diuiſus; ſed vnam habeat notam, quae ſit in ſuperficie aquae purae pluuiae, aut niuis liquatae. Ad eandem notam in liquoribus grauioribus deprimitur inſtrumentum impoſitis ponduſculis paruo receptaculo, quoad in ſupremo tubo firmatur. (ſimile quid ſuaſit LEVTMANNVS *Comm. Ac. Petropol.* T. V.

p. 286. 3. *Calceolariam pinnatam* deſcribit CAR. A. LINNÉ. Planta Peruuiana opera CL. FEVIL-
p. 290. LÉE innotuit. Inprimis haec ſpecies foliis roridis diſtinguitur, quibus ſaepiſſime adhaerent tipulae mortuae. Corolla labiis ſubgloboſis diſtin-
p. 291. guitur. Amat terram minus cohaerentem, humidam, tolerat ventum, optime in vrceis educanda.

p. 292. 4. *De vſu mercurii gummoſi**) refert IO. L. ODHELIVS M. D. aulae Reg. medic. Remedium hoc, Viennae commendatum, adhibuit ſex feminis in noſocomio Regio. Vidit ſolutionem hanc mercurii in gummi Arabico vſum praeſtare in morbis venereis: quibus enim illam adhibuit, omnes ſanatae
p. 296. exierunt. Ventriculum non laedit, ſed ſaliuationem plerumque mouet; illam tamen non, niſi leuem. Neque certus eſt, an aegrae antea mercurium alia forma adhibuerint.

5. *De*

*) vid. comm. noſtr. ſecund. decad. Suppl. II. p. 274.

5. *De captura Gadi Callariae* LINN. (*Torſk* p. 315.
Germ. *Dorſch*) refert N. CHR. FRIIS, ut ante *de*
Halece. (*Trim. II. diſſ.* 8.*)

6. *Experimenta de vſu Ipecacuanhae, exiguis do-* p. 316.
ſibus datae, narrat NIC. DALBERG M. D. medic.
Reg. In haemorrhagiis vteri, quae per aliquot dies
durauerant, deiectis eam ob cauſam aegrarum vi-
ribus, dedit tertiam grani partem ipecacuanhae,
pulueris forma ſcrup. ſacchari mixtae, aliquan- p. 318.
do duo grana mixta duobus drachmis ſacchari, in
octo partes diuiſa, horis alternis aut ternis ſumen-
das. Fluxum pauciorem ſtatim aegrae ſenſerunt,
ex quo initium fecerunt medicamenti ſumendi, et
omnes paucis diebus ſanatae ſunt. Itaque con-
tra haemorrhagias vteri commendat hanc radicem,
exiguis doſibus tutiorem vitro cerato antimonii.
Adhibuit illam eadem quantitate cum fructu, in p. 319.
tuſſi, qua ſanguis eiiciebatur, ſed iunctis aliis me-
dicamentis, vnde hic de eius vſu nil decernit.
Nullo tamen periculo adhiberi aſſerit, cum nec
augeat eiectionem ſanguinis, vomitus forte acce-
dent, nec tam exigua doſi radix cieat vomitum in
adultis. Bonos eius effectus vidit in tuſſi rheuma-
tica imo et pleuritica. Leuatur tuſſis et interdum
lenitur. Itaque hoc medicamento vti poſſunt in-
fantes, et qui abhorrent medicamenta, nullo ven-
triculi periculo, quod afferunt pinguia et dulcia.
Vſui igitur eſſe poteſt in pleuritide et peripneumo- p. 320.
nia, contra tuſſim, vbi commendatur radix Sene-
gae, quae ipſa, maiori doſi exhibita, vomitum mouet.

7. *Additamentum* ad diſſertat. praec. exhibet
PETR. IO. BERGIVS M. D. hiſt. nat. et pharm.
prof. et aſſeſſ. Varios medicos citat, qui roboran-
tem adſtringentem vim ipecacuanhae agnouerint,
ipſa-

*) vid. ſupra. p. 401.

ipſaque contra haemorrhagias, etiam vteri, vſi ſint; exiguas etiam doſes commendauerint; ſed illas intellexerunt, aliquot granorum; nemo ad DALBERGII particulas grani deſcendit. Noſter etiam feminae contra haemorrhagias vteri puluerem ex dimidio grano ipecacuanhae et 12 granis ſacchari praeſcripſit felici euentu. Huic feminae pulueres illi, jeiuno ventriculo ingeſti, nauſeam excitarunt, quam vitauit mane, antequam eas ſumere incepiſſet, ientaculum comedendo.

p. 324. 8. *Gyrini natatoris hiſtoriam* ſcribit ADOLPH MODEER, ingeniarius. Inſectum deſcribit ROESEL *Inſ. bel.* 3. *th. p.* 197. *Tab. ſuppl.* 31. ſed larvas, cum, quare veſcerentur, neſciret, educare
p. 328. non potuit. Noſtro igitur quaedam hic ſupplere contigit. Femina contra, ac ROESELIVS ait, facile a mare diſtinguitur, colore, quem Noſter vberius deſcribit et aculeis duobus, ex extremo corporis prominentibus, quibus oua Noſter credit illam ponere; vnum ex quouis aculeo, quo citius opus ſub aqua, ſub qua diu durare non poteſt, abſoluat, aut altero aculeorum oua ponere, alte-
p. 333. ro reſpirare. Sed hae ſaltim Eius coniecturae ſunt, nihil horum Ipſe vidit. Deſcribit deinde pupam, quam ſtruit larua, plerumque ad arundinis folium aut aliam plantam aquaticam, ſemper ſupra aquam, diuerſa ea in re a larua *Dytiſci*, quae terram litoris intrat. Laruae, vt animalia rapacia viuunt. In pupis metamorphoſin expectantes: multae pereunt ouis alicuius ichneumonis, quam etiam deſcri-
p. 334. bit. Haec vnica *Gyrini* ſpecies eſt, huc vſque in Europa cognita; MVLLERVS tamen Danus, ob operam, in hiſtoriam inprimis inſectorum collocatam, celebris, ſcripſit Noſtro, aliam ſe ſpeciem inveniſſe. Americana, quam a SPERGLERO acceptam

ptam, LINNAEVS intulit Syſtemati nat. ed. XII. p. 568. elytris laeuibus differt a cognita; et quod dimidio minor eſt; labium oris ciliatum habet *Gyrinorum* Europaeorum ſexus vterque.

9. *Protuberantiae terrae inutiles in pratis poſtquam reſectae ſunt, quomodo loca, ita aperta, vſui aptentur*, docet GVST. FRID. HIORTBERG praepoſ. et paſtor. Colliculi illi in pratis, in quibus nihil creſcit, reſecantur in Suecia aratro, ad id negotium comparato, aut ſpata. Quae hic facta ſunt, velut terrae vulnera, ea hyeme aperta relinquuntur, vt rimas agat terra iis in locis, in quas intrent futuro anno ſerenda. Scilicet, dum autumno horti et agri purgantur ab herbis inutilibus inprimis a *Tritico repente:* haec in cumulum coniiciantur, pauxillo terrae ſabuloſae tecta, tritici plantae in partes ſecentur. Haec ſerantur in illa, quae dicta ſunt, terrae vulnera, cylindro graui ſuperducto comminuantur. Ita mox omnia laeta virent, inprimis hic tritici repentis magna virtus eſt. p. 341.

10. Ex diario Academiae refertur, Comitem CRONSTEDT poſtea, quae fieri iuſſerat contra *phalaenam brumatam* (Trim. I. diſſ. 3.) hoc anno nullas omnino eius phalaenae laruas in horto ſuo habuiſſe, cum vicini illis abundarent. Neque, cum eodem autumno repeterentur, vlla phalaenarum capta eſt. Conſiliarium ADLERHEIM, laruas habuiſſe, ſed multo pauciores, quam aliis annis, ſimiliter autumno multo pauciores cepit phalaenas. p. 344.

II.

II.

CAROLI A LINNÉ, Equ. Aur. Mantiſſa plantarum altera, Generum editionis VI, et Specierum editionis II. Holmiae, impenſis direct. Laurentii Saluii. 1771. 8. alph. 1. plagg. 8.

Illuſtris LINNAEVS in hac altera mantiſſa, quae ſparſa in aduerſariis notata inuenerat, cum obſeruationibus curioſioribus, publici iuris reddit, ita, vt eam cum priori mantiſſa paginis coniungat. Continetur vero hic magna nouorum generum ſpecierumque, et animalium, et plantarum copia: atque reperimus, Ill. Auctorem vnam quaerere veritatem, neque dictis ſuis parcere, ſed, quae naturae repugnent, ſollicite corrigere, diligentiſſimeque rerum naturalium attendere definitionem. Differentias enim ſpecificas, viſis ſpeciminibus pulchrioribus frequenter emendauit, ſynonyma dubia excluſit, melioraque, praeſertim icones bonas, commemorauit. Nos iam, Syſtema naturae ſequentes, animalia noua primo recenſeamus, vt poſtea vegetabilium numerum ex ordine queamus proſequi.

p. 521. Sunt igitur animalia, paſſim iam ab aliis indicata, nunc a Noſtro recepta, haec: ex *Mammalibus*

Homo *Lar. Gibbon* BVFF. vid. comm. noſtr. Vol hui. p. 342.
Simia *Nemaeus. Douc* EI. vid. ib. p. 343.
Simia *Sinica. Bonnet-chinois* EI. vid. ib.
Simia *argentata. Mico* EI. vid. ib. p. 344.
Felis *concolor. Couguar* EI. vid. ib. p. 347.
Lepus *puſillus.* vid. ib. Vol. XVIII. p. 625.

Mus

Mus *paludoſus*, cauda mediocri piloſa, palmis ſubtetradactylis, plantis pentadactylis, auriculis vellere breuioribus; ater: ad Sueciae foſſas habitans: cauda tota, pilis tecta, differt a M. *terreſtri*.

Ex *Auibus*,

Lanius *leucorynus*, BRISS. *av.* 2. *t.* 18. *f.* 2. et comm. noſtr. Vol. XI. p. 596. p. 524.

Lanius *bicolor. ib. t.* 16. *f.* 3.

Pſittacus *haematodes*. EDW. t. 232. BRISS. 4. p. 364.

Pſittacus *Aurora*. AVBENT. *miſc.* t. 13.

Pſittacus *Maſcarinus*. EI. t. 35.

Alcedo *tridactyla*, brachyura, ſupra caudaque rufis, ſubtus flaua, pedibus tridactylis.

Certhia *Caffra*, fuſca, pectore abdomineque pallidis, rectricibus intermediis longioribus.

Trochilus *Capenſis*, curuiroſtris, viridis, rectricibus intermediis longis, tectricibus alarum coeruleis.

Rallus *Capenſis*, ferrugineus, ſubtus albo nigroque faſciatus *).

Phaſianus *ſuperbus*, muticus, rufus, viridi coeruleoque varius, carunculis frontis ſubrotunda, palearium ſubulatis. **)

Tetrao *Senegallus*. AVBENT. *miſc.* t. 130.

Columba *vernans*. BRISS. *av.* 1. t. 11. f. 2. AVB. t. 138.

Columba *Auſtralis*. ib. t. 14. f. 2. ib. t. 111.

Sturnus *militaris*. AVB. t. 113.

Motacilla *boarula* EDW. t. 259. BRISS. 3. t. 43. f. 3.

Mota-

*) Has tres ſpecies miſit Noſtro D. EKENBERG.

**) Non viſus ab Ill. Auctore, ſed ex imagine, in Chinenſi libro viſa, deſcriptus.

Motacilla *Caffra*, oliuacea, gula caudaque ferrugineis, ſuperciliis albis.

Hirundo *Daurica*. Act. Stockh. 1769. com. noſtr. Vol. XVIII. p. 19.

Ex *Amphibiis*

Coluber *crotalinus* ſcutis 154, ſquamis 43.

E *Piſcibus*

Trigla *minuta*, digitis tribus, dorſo bicarinato. D. 5, 24. P. 3, 8. V. 6. A. 14. C. 10.

Trigla *Carolina*, digitis 3, pinna dorſalis parte priore aculeata. D. 10, 13. P. 15. V. 6. A. 12. C. 10.

Exocoethus *exſiliens*, pinnis ventralibus caudam attingentibus. D. 10. P. 15. V. 6. A. 11. C. 20.

Inſecta et vermes, cum nomina ſola vix quandam ideam clariorem afferant, et deſcriptiones hic excerpere ſuperfluum iudicemus, hic omittimus: id notantes, plura et exotica, et indigena praeſertim ad *Papilionis* et *Sphingis* genus pertinentia hic deſcripta legi. Quaedam vero, quae Ill. Auctor in definitione animalium, in Syſtemate deſcriptorum, hic emendauit, breuiter repetamus. Sic *Viuerra Putorius* *) dicitur praeditus eſſe dentibus *primoribus* ſuperioribus parallelis, depreſſis, aequalibus; inferioribus compreſſis; *laniaribus* ſuperioribus remotiuſculis, inferioribus approximatis; *molaribus* quinque. *Delphinus Orca* et ſynonymis, et deſcriptione emendatur. *Mus*, cauda mediocri piloſa, pedibus pentadactylis, auriculis obſoletis, de quo, an *Citellus* ſit, quaerit, in Sibiria viuens deſcribitur. Sic etiam *Certhia violacea*, et *Turdus violaceus*, deſcriptione emendantur, ac, quae fuerat in Syſtemate *Emberiza Orix*, iam ad *Loxiae* genus refertur.

Acce-

*) vid. ſupra. p. 393.

Accedimus ad plantas, hic nouiter deſcriptas, earumque genera, quae ſunt quinquaginta octo, cum characteribus afferamus. 1. *Globba*: perianthium ſuperum, monophyllum, ore trilobo; corolla monopetala, cylindrica, ore trilobo aequali; filamenta 2, antherae iis adnatae; germen inferum, ſtylus ſetaceus, ſtigma acutum; capſula ſubrotunda, trilocularis. 2. *Calceolaria*: perianthium monophyllum, quadripartitum, patens, aequale; corolla monopetala bilabiata; labio inferiore reſupinato, calceiformi; filamenta 2, breuiſſima, antherae incumbentes, clauatae, manubrio per rimam prominulo; ſtylus breuiſſimus, ſtigma obtuſiuſculum; capſula ſubconica, bilocularis, 4valuis. *) p. 143.
3. *Willichia:* perianthium monophyllum, quadrifidum; corolla monopetala, rotata, calyce duplo longior; filamenta 3, limbo breuiora, antherae ſubrotundae, erectae; germen compreſſum, ſtylus declinatus ad diuiſuram limbi infimam, ſtigma obtuſum; capſula bilocularis, biualuis; ſemina plura. 4. *Rotala:* perianthium monophyllum, tubuloſum, tridentatum, corolla nulla, filamenta 3, longitudine calycis, antherae ſubrotundae; germen ouatum, ſtigma trifidum; capſula ſubtrigona, trilocularis. 5. *Aegiphila*: perianthium monophyllum, campanulatum, breuiſſimum; corolla monopetala; tubus calyce longior, limbus 4partitus; filamenta 4, longiora, antherae incumbentes, quadratae; ſtylus ſemibifidus, ſtigmata ſimplicia; bacca vnilocularis. **) 6. *Manettia:* perianthium 8phyllum, foliolis linearibus; corolla monopetala, hypocrateriformis, tubus calice longior, limbus 4partitus, laciniis intus barbatis; necta- p. 554.

 rium

*) vid. Act. Holm. 1770. comm. noſtr. ſupra. p. 402.

**) IACQVIN. obſ. 2. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 298.

rium, margo receptaculum ambiens, integerrimum, concauum; filamenta 4, minima, antherae lineares, incumbentes; germen inferum, turbinatum, ſtylus declinatus, ſtigma bifidum, obtuſum; capſula vnilocularis, biualuis; ſemina alata. 7. *Samara:* perianthium quadripartitum, minimum; petala quatuor, ouata, baſi lacuna longitudinali; filamenta quatuor, longa, petalis oppoſita, antherae ſubcordatae; ſtylus longior, ſtigma infundibuliforme; drupa ſubrotunda: eſt Memecylon vmbellatum BVRMANNI. vid. Zeyl. 26. t. 31. 8. *Sirium:* perianthium campanulatum coloratum; corolla nulla, nectarium 4phyllum, faucem calycis coronans; filamenta 4, fauci inſerta, baſi deorſum pilis obſita, antherae longitudine nectarii; germen conicum, ſtigma trifidum; bacca trilocularis. 9. *Acaena:* perianthium tetraphyllum; corolla nulla; filamenta 4, calici oppoſita, antherae 4 angulares, didymae; germen inferum, hiſpidum, ſtylus minimus, inflexus, ſtigma, membranula multifida; bacca ſicca. 10. *Scaeuola:* (eſt *Lobelia Plumieri* Spec.) perianthium breuiſſimum, quinquefidum; corolla monopetala, inaequalis; filamenta 5, receptaculo inſerta, antherae obtuſae; germen inferum, ſtylus ſupra craſſior, e fiſſura egreſſus, verſus limbum incuruatus, ſtigma applanatum, ore aperto; drupa puncto vmbilicata. 11. *Allamanda:* perianthium pentaphyllum; corolla monopetala, infundibuliformis, limbus ventricoſus; antherae quinque, ſagittatae; germen cinctum baſi margine annulari, ſtylus longitudine tubi, ſtigma capitatum. 12. *Porana:* perianthium pentaphyllum, foliolis in fructu grandioribus; corolla monopetala, campanulata; filamenta 5, patentia, corollae breuiora, antherae incumbentes, ouales; germen ſubgloboſum, ſtylus ſemibifidus,

fidus, corolla longior, ſtigmata capitata; pericarpium biualue. 13. *Heliconia*, quae erat in Syſtem. *Muſa Bihai*, iam diſtinguitur, petalis 3, nectario 2phyllo, filamentis 5, et capſula tricocca. 14. *Aquilicia:* (*Staphylaea Indica* BVRM. *ind.* 73.) perianthium monophyllum, turbinatum; petala 5, nectarium vrceolatum, ſquamis 5 geminatis, aliisque 5 ſimplicibus; filamenta 5, inſerta nectario, antherae cordatae; ſtylus longitudine nectarii, ſtigma obtuſum; bacca quinquelocularis. 15. *Linconia:* perianthium inferum, tetraphyllum; petala 5, nectarium in baſi petali; filamenta 5, marginata, antherae ſagittatae, auriculis dehiſcentibus; ſtyli 2, ſtriati. Eſt frutex alopecuroides, coridis folio et ſpica, flore albo. HERMAN. *afr.* 7. 16. *Xylophylla:* perianthium 5partitum, coloratum: corolla nulla; filamenta 5, breuiſſima; ſtyli tres breues, ſtigmata lacera; capſula ſubrotunda trilocularis, ſemina 2. An dioica? cum flores non viderit Ill. Auctor. 17. *Giſekia:* perianthium pentaphyllum; corolla nulla; filamenta 5, baſi ouata, breuia; germen retuſum, ſtyli 5, recuruati, ſtigmata obtuſa, capſulae 5, ſcabrae, ſemina ſolitaria. 18. *Tulpagia:* ſpatha biualuis, floribus pedunculatis; nectarium monopetalum, cylindricum, limbo 6partito; petala 6, inſidentia tubo, 3 in medio, 3 pone limbum; filamenta 6, 3 in fauce, 3 intra tubum; germen ſuperum, ſtigma turbinatum, cauum; capſula ſubtrigona: differt a *Narciſſo*, germine ſupero. 19. *Canaria:* (eſt *Campanula Canarienſis.* Spec. 238.) perianthium ſuperum, 6phyllum; corolla monopetala, campanulata; nectarium valuulis 6, receptaculum tegentibus; filamenta 6, nata e valuulis, antherae apice pendulae; germen hexagonum, ſtylus conicus, ſtigma clauatum, 6partitum, capſula ſexlocularis; ſemina parua. 20. *Capura:* calix nullus, corolla monopetala,

tubuloſa; filamenta vix vlla, antherae 6, alternis ſuperioribus; germen trigono ſubrotundum, truncatum, ſtylus breuiſſimus, ſtigma ſubgloboſum. 21. *Dodonaea*: (*Ptelea viſcoſa* Sp. plant.) perianthium 4phyllum; corolla nulla; filamenta 8, breviſſima, antherae arcuatae; germen triquetrum, ſtylus triſulcatus, ſtigma ſubtrifidum; capſula inflata trilocularis; ſemina 2. 22. *Ophira:* inuolucrum biualue, triflorum; corolla tetrapetala, ſupera, petalis conniuentibus; filamenta 8, germen inferum, turbinatum, ſtigma emarginatum; bacca vnilocalaris. 23. *Guarea:* (*Trichilia Guarea.* Spec.) perianthium 1 phyllum, 4 partitum; petala 4, linearia, nectarium tubuloſum; antherae 8, adnatae intus nectario; germen globoſum, receptaculo cylindrico inſidens, ſtylus exſertus, ſtigma capitatum; capſula vmbilicato 4 ſulca, 4locularis. 24. *Turraea:* perianthium 1 phyllum, campanulatum; petala 5, linearia, nectarium cylindricum, 10 fidum; filamenta 10; germen ſubrotundum, ſtylus longitudine nectarii, ſtigma craſſiuſculum, rugoſum; capſula 5 cocca; ſemina 2, reniformia. 25. *Dionaea:* *)
p. 554. 26. *Murraea:* perianthium 1 phyllum, 5partitum, minimum; petala 5, lanceolata, nectarium campanulatum; filamenta 10, longitudine floris; ſtylus ſtaminibus longior, ſtigma verrucoſum; bacca 1locularis, ſemen 1. 27. *Bergera:* perianthium 5partitum, minimum; petala 5, oblonga, patentia; filamenta 10, alterna breuiora, antherae rotundae; ſtylus clauatus, ſtigma turbinatum, trans-
p. 151. verſim ſulcatum; bacca ſubgloboſa. 28. *Triopteteris:* **) 29. *Bergia:* perianthium 5partitum, patens;

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 526.

**) vid. Syſt. nat. p. 315. et comm. noſtr. Vol. XVI. p. 106.

patens; petala 5, oblonga, longitudine calicis; filamenta 10, ſetacea, antherae ſubrotundae; ſtyli quinque, breuiſſimi, ſtigmata ſimplicia; capſula ſimplex, ſubgloboſa, mucronata; ſemina multa. 30. *Beſaria:* perianthium 1phyllum, deorſum gibbum, 7fidum; petala 7, ſuperne latiora; filamenta 14, alterna minora, antherae incumbentes; ſtylus perſiſtens, ſtigma 7ſtriatum. 31. *Vatica:* perianthium 1phyllum 5partitum; petala 5, elliptica; antherae 15, ſeſſiles; germen conicum, ſtylus 5ſtriatus, ſtigma obtuſum. 32. *Baſ-* p. 555.
ſia: perianthium 4phyllum; corolla monopetala, campanulata; filamenta 16, 8 ſupra, 8 infra tubum; antherae lineares, ſagittatae; ſtylus corolla duplo longior, ſtigma acutum; drupa lacteſcens, nuces 5.
33. *Munchauſia:* perianthium 1phyllum, turbina- p. 153.
tum; petala 6, obouata, calyci inſerta; filamenta numeroſa, calyci inſerta, antherae reniformes; germen ouatum, ſtylus declinatus, ſtigma obtuſum; capſula ſexlocularis. 34. *Trilix:* perianthium 3phyllum; petala 3, lanceolata, calyce minora; filamenta numeroſa, receptaculo inſerta, antherae didymae; germen pentagonum, ſtigma ſimplex; bacca 5locularis. 35. *Cariocar:* perianthium 5partitum, coloratum; petala 5, ouaolia; filamenta numeroſa, receptaculo inſerta, antherae oblongae; germen globoſum, ſtyli 4, pauciores, ſtigmata obtuſa; drupa maxima; nuces 4. 36. *Lindernia:* (*Capraria gratioloides* Spec. 876.) perianthium 5partitum; corolla monopetala, ringens, labio ſuperiore breuiſſimo, emarginato, inferiore trifido; filamenta quatuor, didyma 2 breuiora, adſcendentia, antherae didymae; ſtigma emarginatum; capſula oualis, vnilocularis; ſemina numeroſa. 37. *Premna:* perianthium 1phyllum, campanulatum, ſubbilobum; corolla monope-

tala, irregularis, tubuloſa, ore quadrifido, obtuſo;
filamenta 4, erecta, 2 breuiora, (hinc *didynamia*) an-
therae ſubrotundae; germen ſubrotundum, ſty-
lus breuior, ſtigma bifidum; bacca 4locularis; ſe-
mina ſolitaria, oſſea. 38. *Hyobanche:* perianthi-
vm 7phyllum; corolla monopetala ringens, labio
inferiore nullo; filamenta 4, didyma, 2 breuio-
ra, antherae ouatae, dehiſcentes latere ſuperio-
ri; germen ouatum, ſtylus apice incuruus, ſtigma
incraſſatum, emarginatum; capſula bilocularis.
39. *Lerchea:* perianthium 1 phyllum, tubuloſum,
5 dentatum; corolla 1petala, infundibuliformis;
antherae 5, ſeſſiles, monadelphae; germen ſubo-
vatum, tubo obtuſo; ſtylus longitudine ſtami-
num, ſtigmata 2, ſ. 3, obtuſiuſcula; capſula 3 vel
p. 556. 2 locularis. 40. *Gordonia:* (*Hypericum Laſian-
thus* Spec.) perianthium 5phyllum; petala 5, obo-
vata, baſi vnita; filamenta multa, coalita in cor-
pus obtuſum, antherae ouales, erectae; germen
ouatum, ſtylus breuis, 5gonus, ſtigmata 5, acuta;
p. 156. capſula 5locularis; ſemina 2. 41. *Liparia:* pe-
rianthium 1phyllum, ſemiquinquefidum, laci-
nia infima longiſſima, petaloidea; corolla papilio-
nacea, vexillum conduplicatum, lateribus reflexis,
alae margine inferiore bilobae, carina baſi biparti-
ta; filamenta diadelpha, ſimplex et 9fidum; ger-
men breuiſſimum; legumen ouatum. 42. *Gla-
braria:* perianthium 1phyllum, tubuloſum, 5fi-
dum; petala 5, lanceolata, nectarium, ſetae ſubu-
latae, germen cingentes; filamenta 30, ſenis ſenis-
que baſi connexis, (hinc *polyadelphia*) antherae
reniformes; germen ſubgloboſum, ſtylus longi-
tudine ſtaminum, ſtigma ſimplex; drupa vniloc u-
laris. 43. *Eclipta:* calix communis polyphyllus,
ſquamoſus; corolla compoſita radiata, radii
feminea, diſci hermaphrodita, propria hermaphro-
ditis

ditis 4fida; hermaphroditis filamenta 4, breuiſſima, anthera cylindrica; ſemina mutica, receptaculum paleaceum. 44. *Bellium:* calix communis foliolis cymbiformibus; corolla compoſita radiata, propria hermaphroditis quadrifida, femineis emarginata; filamenta 4, anthera cylindrica; germen turbinatum; ſemina turbinata, corona paleacea, 8phylla, rotundata; pappus ariſtis 8, ſimplicibus. 45. *Baltimora:* calix communis cylindricus; corolla compoſita radiata, propria hermaphroditis 5fida tomentoſa, femineis trifida; filamenta 5, anthera cylindrica; femineis germen oblongum, ſtigmata 2, corolla longiora; ſemina femineis triquetra, apice gibba; receptaculum paleaceum. 46. *Hippia:* (*Tanacetum fruteſcens* Spec. 1183.) calix communis hemiſphaericus; cor. compoſ. tubuloſa, propria maſculis 5fida, femineis obſoleta ſubtrifida; filamenta 5, anthera cylindrica; femineis germen marginatum, magnum, ſtylus bifidus; receptaculum nudum. 47. *Oedera:* (*Buphthalmum Capenſe* Spec. 1274. ad *Polygamiam ſegregatam* relatum) calix communis floribus maior, ſquarroſus, partialis floſculis aequalis; corollae partiales radiatae; propria diſci hermaphrodita 5fida, feminea ligulata, longitudine calicis communis; filamenta 5, anthera cylindrica; germen oblongum, ſtigmata 2, filiformia; ſemina coronata paleis plurimis; receptaculum commune et partiale paleaceum. 48. *Salacia:* perianthium 1phyllum, 5partitum, breuiſſimum; petala 5, ſubrotunda, ſeſſilia; antherae 3, didymae, inſidentes germinis apici; germen ſubrotundum, calyce maius, ſtylus breuiſſimus, ſtigma ſimplex. 49. *Gluta:* perianthium 1phyllum, campanulatum, deciduum; petala 5, lanceolata, calice longiora, ſuperne patentia, inferne agglutinata germini; filamenta 5, germini impoſita, antherae verſatiles; columnae ob-

Dd 5 lon-

longae inſidens germen obouatum. 50. *Littorella:* (*monoecia*, eſt *Plantago uniflora*. Spec. 167.) *maſculi:* perianthium 4phyllum, erectum; corolla monopetala, 4partita; filamenta 4, longiſſima, antherae cordatae. *feminei*: corolla monopetala, conica, trifida; germen oblongum, ſtylus longiſſimus; nux vnilocularis, 51. *Clibadium*: (quod ad *monoeciam* refert, cum tamen ad *polygamiam* pertineat) calix communis imbricatus; corolla compoſita, corollulis tubuloſis, infundibuliformibus, corollulae diſci hermaphroditae, pedicellatae, radii femineae; filamenta hermaphroditis 5, antherae approximatae; hermaphroditis germen minimum, ſuperum, ſtigma ſimplex, femineis germen inferum, ſtigma bipartitum, et drupa vmbilicata, ſemen vnum, compreſſum. 52. *Agyneia* (*monoecia*): *maſculi:* perianthium 6 phyllum; corolla nulla; antherae 3. ſ. 4. monadelphae; *feminei* ſuperiores, calix et corolla vt prioris; germen magnitudine calicis, ſubouatum, perforatum, apice foraminulo 6 crenato, ſtylus ſtigmaque nulla. 53. *Elegia*, (*dioceia*) *mas:* Spathae intra ſpathas, remotae, vniualues; ſpadix filiformis, articulatus, ad ſingula genicula amento laxo, floſculis pedicellatis, interſtinctis bractea, floſculis longiore; perianthium proprium 6phyllum, paleaceum, corolla nulla; filamenta 3, breuiſſima, antherae incumbentes, perianthio maiores. *Femina*: ſpatha ſpadixque et corolla vti prioris, amentum racemo compoſito, perianthium proprium 6phyllum, valuulis interioribus petaloideis; germen oblongum, ſtyli 3. 54. *Hermas* (*polygamia* eſt *Bupleurum villoſum* Spec. 343.). *Hermaphroditae* vmbella terminalis, eiusque radius centralis tantum florifer, inuolucrum vniuerſale polyphyllum, partiale ſubdiphyllum; petala 5, oblongo ouata, integra; filamenta 5, antherae ſteriles; germen inferum,

rum, compreſſum, corolla maius, ſtyli 2, fructus orbiculatus, ſemina 2. *Maſculae*, vmbellae laterales ſeriores, eiusdem plantae; partes, vti prioris, praeter filamenta, quae corollae ſunt longitudine, et antheras polliniferas, ouales. 55. *Spinifex*, *hermaphroditis maſculis*que floribus in eadem gluma calicis praedita eſt: quae eſt biualuis, valuulis rachi parallelis; corollae gluma biualuis, calice longior, nectarium valuulis 2; filamenta 3, antherae lineares; germen oblongum, ſtyli 2; ſpica diſticha. 56. *Maniſuris: hermaphroditis et maſculis* in eadem ſpica; calicis gluma biualuis, vniflora; corollae gluma 2valuis, calice minor; germen ouatum; maſculis gluma valuulis ſtriatis, filamenta 3. 57. *Cryſitrix: Hermaphroditae* calicis glumae biualues, plures, imbricatae, valuulis cartilagineis; corollae paleae numeroſiſſimae congeſtae in faſciculum, coloratae, perſiſtentes; filamenta ſolitaria, anthera linearis; germen oblongum, obtuſum; *Mas* in diſtincta planta, partibus ſimilibus, praeter germen, praeditus. 58. *Stilbe: Hermaphroditae* perianthium duplex, exterius triphyllum, interius 1phyllum; corolla monopetala infundibuliformis, 5partita; filamenta 4, antherae cordatae; germen ſuperum, ſtylus filiformis, ſtigma acutum. *Hermaphroditi* in diſtincto indiuiduo; partes eaedem.

Huic nouorum generum numero additi ſunt p. *166.*
characteres 1. *Cycadis*, quam ad *Filices* refert, cum pollen ſit nudum, absque anthera; deſcriptione hac: *Mas:* amentum ſtrobiliforme, ſquamis ſpathulatis, coloratis; corolla deeſt; pollen inſperſum paginae ſuperiori ſquamarum amenti, ſeſſile, diſſiliens ad longitudinem: *Femina* in alia ſtirpe: ſpadix ſimpliciſſimus, anceps, acuminatus, corolla nulla, germina ſolitaria,

ſpa-

ſpadicis angulis vltra medium immerſa; ſtylus cylindricus, ſtigma ſimplex; drupa oualis, nux lignea. 2. *Eriocauli*, quod ad *monoeciam* eſt relatum, filamentis 4, germine ſupero, ſtylo ſetaceo, bipartito, ſtigmatibus ſimplicibus, capſula dicocca; 3. *Illicii*, quod iam pertinet ad polyandriam polygyniam, perianthio 6phyllo, petalis 17. 4. *Napaeae*, quam ad *polygamiam dioeciam* refert; nos tamen in vna ſtirpe vidimus flores hermaphroditos et mares; 5. *Brabeii*, quod iam pertinet ad *polygamiam monoeciam*, ſuntque maſculis floribus, amentum, corolla infundibuliformis, 4fida, hermaphroditae character prius datus; atque 6. *Dalechampiae;* cui eſt inuolucrum commune duplex; maſculis vmbella pedunculata, ſimplex, inuolucellum diphyllum, perianthium proprium, 5phyllum, pedicellatum; femineis perianthium proprium, inferum, 11phyllum.

In obſeruationibus etiam, praeter genera dicta et ea, quae iam in Syſtematis editione duodecima ad alias claſſes vel ordines relata ſunt, ſequentia videmus mutata.

p. 331. *Fuchſia* ex tetrandria monogynia ad octandriam monogyniam.

Hamamelis ex tetrandria tetragynia ad polygamiam.

p. 377. *Laurus* ad dioeciam enneandriam.

p. 395. *Plinia* ex polyandria monogynia ad icoſandriam monogyniam referuntur.

p. 402. Inſuper *Rhodorae*, et *Microcos* (quae eſt ſpecies *Grewiae*) genera tota expungenda iubet.

His de generibus dictis nunc ad ſpecies accedamus. Hic primo mutationes cum ex mantiſſa, tum

tum ex obſeruationibus, omiſſis, quae iam in Syſtematis recenſione indicauimus *), referamus; deinde ex nouis praecipuas, nobis notatu dignas, ſeligamus. Igitur, praeter ſpecies, quibus iam noui generis iura dedit, ad alia genera multae relatae ſunt. Sic *Leucadendra pinifolium* (mant. 1. 36.) p. 187. *Serraria, cyanoides, hirtum, cucullatum, repens, cynaroides, Lepidocarpodendron, ſpecioſum* (mant. 1. 36.), *Hypophyllocarpodendron, argenteum,* ad *Proteae* genus, retentis nominibus triuialibus, relata ſunt, et *Leucadendron proteoides* dicitur *Protea purpurea.* **) Ex varietatibus *Proteae coniferae* tres ſunt ſpecies factae, diciturque var. β. *Protea conifera*, var. γ. *Protea pallens,* var. α. *Protea ſaligna.* Praeterea

Selago *dubia*	eſt Eranthemum *anguſtatum.*	p. 171.
Ixia *hirſuta* (mant. 1. 27.)	– Wachendorfia *paniculata.*	p. 320. 511.
Commelina *axillaris*	– Tradeſcantia *caule ramoſo, floribus ſeſſilibus lateralibus.*	p. 321.
Aira *Indica*	– Panicum *conglomeratum.*	p. 324.
Aira *coerulea*	– Melica *coerulea.*	
Feſtuca *maritima*	– Triticum *maritimum;* cum flores omnino ſpicati.	p. 325.
Galium *rotundifolium*	– Aſperula *rotundifolia.*	p. 330.
Tomex *tomentoſa* ***)	– Callicarpa *lanata.*	p. 331.

Sola-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 304. ſeq.

**) Has ſpecies nominat Noſter; at p. 327. dicit *Proteae* genus omnino recipere debere *Leucadendra*, cum limites non dentur.

***) Delendum igitur totum hoc genus.

p. 335.	Lyſimachia *tenella*	eſt Anagallis *tenella*, cum filamenta villoſa, capſula circumciſſa.
p. 205.	Solanum *Guineenſe*	– Atropa *ſolanacea*.
p. 221.	Phyllanthus *epiphyllanthus*	– Xylophylla *latifolia*.
p. 211.	Craſſula *portulacaria*	– Claytonia *portulacaria* *)
p. 213.	Achyranthes *brachiata*	– Illecebrum *brachiatum*.
p. 344.	Achyranthes *ſanguinolenta*	– Illecebrum *ſanguinolentum*.
	Achyranthes *lanata*	– Illecebrum *lanatum*.
	Celoſia *lanata*	– Illecebrum, *caule herbaceo erecto, tomentoſo, foliolis alternis* **).
p. 346. et 215.	Periploca *tenuifolia*	– Ceropegia *tenuifolia*.
p. 349.	Gentiana *perfoliata*	– Chlorae *ſpecies*.
p. 350.	Tordylium *latifolium*	– Caucàlis *latifolia*.
p. 357.	Seſeli *pumilum*	– Pimpinella *pumila* ***).
	Mollugo *ſpergula*	– Pharnaceum *Mollugo*.
p. 358.	Amaryllis *Zeylanica*	– Crini *ſpecies*.
p. 368.	Aloe *Vuaria*	– Alethris *Vuaria*.
p. 388.	Cotyledon *ſpinoſa*	– Craſſula *ſpinoſa*.
	Silene *porrigens*	– Saponaria *porrigens*.

Euphor-

*) Floruit in horto Venetiis.

**) An haec et praecedens eaedem? deſcriptiones fere conueniunt, ſynonyma differunt; nomen triuiale poſteriori non datum.

***) Monet Noſter eſſe dioicàm plantam, proximam *Pimpinellae glaucae*, aut diſtincti generis.

Euphorbia *viminalis*	eſt	Cynanchum *viminale.*	p. 392.
Satureia *Virginica*	–	Thymus *Virginicus.*	p. 409.
Cheiranthus *lacerus*	–	Heſperis *lacera.*	p. 428.
Dolichos *trilobus*	–	Glycine *triloba.*	p. 442.
Trifolium *fruticans* *)	–	Pſoralea *bracteata.*	p. 264.
Lotus *proſtratus*	–	Ononis *proſtrata.*	p. 266.
Lotus *Mauritanicus*	–	Ononis *Mauritanica.*	
Hedyſarum *proſtratum*	–	Indigofera *enneaphylla.*	
Aſtragalus *biflorus*	--	Crotalaria *biflora.*	p. 271.
huius mant. 223			et 572.
Serratula *Babylonica*	–	Centaurea *Babylonica.*	p. 460.
Carlina *Atractylis*	–	Gorteria.	
Ageratum *altiſſimum*	–	Eupatorium **).	
Tanacetum *crithmifolium*	–	Athanaſia *critmif.*	
Gnaphalium *ſordidum*	–	Conyza *ſordida.*	
Aſter *poliſolius*	–	Inula *coerulea.*	
Pectis *minuta*	–	Bellium minutum.	p. 285.
Verbeſina *pſeudacmella*	–	Spilanthus	p. 475.
Verbeſina *alba*	–	Eclipta *erecta.*	
Verbeſiina *proſtrata*	–	Eclipta *proſtrata.*	
Tetragonotheca *helianthoides*	–	Polymnia *tetragonotheca.*	
Gorteria *fruticoſa*	–	Atractylis *oppoſitifolia.*	p. 516.
Matricaria *Capenſis*	–	Cotula *radiata.*	
Cineraria *othonnites*	–	Othonna *fruteſcens.*	
Senecio *rigens*	–	Othonna *paruiflora.*	
Buphthalmum *ſpecioſiſſimum*	eſt	Silphium.	
Seriphium *corymbiferum*	eſt	Stoebe *gnaphaloides.*	p. 518.
Selago *ericoides*	–	Stilbe *ericoides.*	
Selago *pinaſtra*	–	Stilbe *pinaſtra.*	

Quaedam varietates tanquam ſpecies aſſumtae ſunt: vt

Oxalidis *hirtae* var. β. dicitur Oxalis *ſeſſifolia.*
Seriphii *fuſci* var. β. – Seriphium *gnaphaloides.*

Con-

*) Igitur *Ononis trifoliata* Syſt. nat. eadem planta.
**) vid. Hort. Vpſal. p. 254. n. 5.

Contra plures ſpecies vt varietates ad alias acceſſerunt, vt itaque ſint excludendae. Ita ad *Sedum rubens* referuntur vt varietates 1. *Craſſula rubens.* 2. *Craſſula verticillaris* Syſt. 3. p. 230. 3. *Sedum cylindricum* GERARDI: prov. 428. *Lobelia comoſa* componitur ex *Lobelia triquetra* Mant. 120. et *comoſa* Spec. 1323. Praeterea excluduntur, atque vt varietates referuntur

Horminum *Virginicum*	ad Saluiam *lyratam.*
Agroſtis *interrupta*	– Agroſtidem *Spicam venti.*
Pulmonaria *hirta*	ad Hyoſcyamum *phyſalodem.*
Campanula *alpina*	ad C. *rhomboidalem.*
Erica *carnea*	– E. *herbaceam.*
Erica *paruiflora*	– E. *pubeſcentem.*
Saxifraga *Groenlandica*	– S. *caeſpitoſam.*
Arenaria *ciliata*	– A. *multicaulem.*
Crataegus *viridis*	– C. *coccineam.*
Teucrium *mucronatum*	– T. *ſpinoſum.*
Leonurus *Indicus*	– Phlomidem *Zeylanicam.*
Heſperis *Sibirica*	– H. *matronalem.*
Heſperis *dentata*	– Siſymbrium *burſaefol.*
Aſtragalus *ſulcatus*	– A. *auſtriacum.*
Lactuca *viroſa*	– L. *ſcariolam.*
Bidens *piloſa*	– B. *Chinenſem.*
Athanaſia *laeuigata*	– A. *dentatam.*
Chryſanth. *montanum*	– C. *Leucanthemum.*
Cotula *grandis*	– Chryſanthemum *floſculoſum.*
Anacyclus *Valentinus*	– Anthemidem *Valentinam.*
Anthemis *leucantha*	– Oſmitem *camphoratam.*
Arctotis *anguſtifolia*	– A. *radicantem* *)
Achillea *inodora*	– Athanaſiam *annuam.*

Clutia

*) Eſt ſpecies hic primum conſtituta, *caulibus repentibus, arachnoideo albis, foliis lyratis vtrinque bidentatis,* dicta.

Clutia *androgyna*	ad Andrachnem *fruticoſam*.	p. 519.
Pteris *heterophylla*	– Oſmundam *criſpam*.	p. 505.
Polypodium *Luſitanium*	– Trichomanem *Canarienſem*.	
Fucus *muſcoides*	– F. *aculeatum*.	

Deinde quasdam plane excludendas iuſſit, atque nullibi eas refert, vt

Phyllis *Indica*. Caucalis *platycarpos*. Pimpinellae *Saxifragae* var. γ. δ. ε. Barreria *Capenſis*. Fragaria *muricata*. Sida *rhombifolia* var. β. Serapias *longifolia*, cui ſubſtituatur *integra* Syſtematis.

De multis Ipſe Ill. Auctor dubius eſt, nonnullasque arbitrio botanicorum committit. *Ilicem Dodonaeam* excludendam quidem affirmat, dubius tamen, an *Comocladiae* ſpecies. Praeterea *Symphytum tuberoſum* vix ab *officinali* differre: *Primulam Vitalianam*, cum ſemina 5, eſſe forſan, Ill. HALLERO auctore, *Aretiae* ſpeciem: *Solanum fuſcatum* forte varietatem *Sol. Campechienſis*: *Ericas coccineam*, *curvifloram*, *tubifloram* ſimillimas, vt fere varietates: *Lapſanam Rhagadiolum* forte meram varietatem *Lapſanae ſtellatae*, ſed conſtantem: *Artemiſiam ambiguam* forte *Seriphii* ſpeciem, ob pappum apice plumoſum. *Vrticas piluliferam*, *Balearicam*, *Dodartii* fere eſſe varietates, conſtantes tamen. p. 333. p. 335. p. 339. p. 373. p. 460. p. 465. p. 495.

Ex *Pinu Taeda* duas conſtituit ſpecies, alteram *foliis trinis longiſſimis*. MILL. dict. 14; alteram *foliis trinis*, *conis longioribus*, *ſquamis rigidioribus*. MILL. dict. 10. *Tanacetum ſuffruticoſum* et *Cotulam tanacetifoliam*, quae in Syſtemate coniunxerat, iterum diſtinguit; vti etiam *Artemiſiam minimam*, et *Ethuliam diuaricatam*, in mantiſſa priori coniunctas, diuerſiſſimas dicit. *Xeranthemi caneſcen-* p. 496. p. 467.

ſcentis et *imbricati* deſcriptiones in Speciebus ita ſunt mutandae, vt caneſcentis pertineat ad imbricatam, huiusque ad illam. *Caſſine Peragua* Spec. p. 384. dicitur *Capenſis*, definiturque *foliis ſerratis petiolatis*, *ouatis*, *obtuſis*, *ramulis tetragonis*, ac ſynonyma omnia, ibi dicta, huc refert; aliaque deſcribitur ſub nomine *Peragua*, *foliis ſerratis*, *petiolatis*, *ellipticis*, *acutiuſculis*, *ramulis ancipitibus* (MILL. t. 83. f. 1.): etſi haec mutatio non aperte ab Ill. Auctore indicatur. Quasdam in Speciebus falſe definitas, hic, retentis prioribus nominibus, denuo definit: vt

p. 322. Panicum *alopecuroideum*, ſpica tereti, inuolucellis ſetaceis, faſciculatis, bifloris; pedunculis villoſis.

p. 205. Solanum *Bonarienſe*, caule inermi fruticoſo, foliis ouato oblongis, ſinuato repandis, ſcabris.

p. 349. Eryngium *alpinum*, foliis digitatis, laciniatis, ſuborbiculatis, capitulo oblongo polyphyllo, paleis ſetaceis, trifidis.

p. 274. Aſtragalus *Epiglottis*, cauleſcens procumbens, leguminibus capitatis, ſeſſilibus, cernuis, cordatis, mucronatis, replicatis, nudis; atque definitio prius data ad nouam *Hypoglotim* pertinet.

Nomina quaedam triuialia etiam mutauit. *Biſcutella didyma* dicitur *apula*; *Plinia pinnata* dicenda vel *crocea*, vel *pentapetala*. Cum duas *Saluias Aegyptiacae* nomine inſigniuerit, poſteriorem, in Mantiſſa 1. p. 26. dictam, *ſpinoſam* nunc nominat. *Napaea*, cum genus, ex mente Ill. Auctoris, ad *polygamiam dioeciam* pertineat, *hermaphrodita* iam *laeuis*, et *dioica*, *ſcabra* dicitur.

Haec ſufficiant de mutationibus dicta; paucas iam ex inſigni nouarum ſpecierum copia excerpamus

mus. *Iuſticia faſtuoſa*, *fruticoſa foliis ellipticis*, *thyrſis terminalibus*, Arabiae felicis incola, recedit floris calyce laeui, magnitudineque grani tritici a congeneribus, ac ſi genere eſſet diſtincta. Ex *Schoeni*, *Cyperi*, et *Scirpi* ſpeciebus, pluribus, a Cl. KOENIG ex Capite bonae ſpei miſſis notemus *Scirpum Hottentottum*, *culmo triquetro folioſo*, *capitulo ſubgloboſo*, *ſquamis lanceolatis*, *hirtis*. *Agroſtidis Matrellae*, *floribus racemoſis*, *calycum valuula exteriore incurua*, *carinae apice tantum dehiſcente*, character fructificationis ſingularis, vt quaſi proprii generis; calycis valuula exterior compreſſa, rigida, clauſa, interior incluſa, filamenta breuia, antherae haſtatae, germen lineare. Inter quatuor *Phylicae* ſpecies eſt *racemoſa*, *foliis ouatis glabris*, *floribus ſimplicibus*, *paniculato racemoſis*, cuius character ſingularis, vt videatur diſtincti generis. *Rhus ſuccedanea*, *foliis pinnatis integerrimis*, *perennantibus*, *lucidis*: *petiolo integro aequali*; KAEMPF. amoen. t. 795. habitat in Iaponia: quae magnitudine foliorum, a *Rhoe Vernice*, cui affinis, praeſertim diuerſa eſt. *Oenothera longiflora*, *caulibus ſimplicibus piloſis*, *petalis diſtantibus*, *bilobis*: in agro Bonarienſe habitat, differens ab *Oenothera molliſſima*, foliis latioribus, nec mollibus, caule non ramoſo, a *paruiflora*, floribus maioribus. Ex viginti *Ericae* ſpeciebus, quae plurimae Capitis bonae ſpei ſunt incolae, a Cl. BERGIO communicatae, *melantherae*, mentionem iniiciamus, *antheris muticis mediocribus*, *corollis campanulatis patentibus*, *calyce colorato longioribus*, *foliis ternis patulis*. *Laurus Culilaban*, *foliis triplineruiis oppoſitis*, quae eſt *Cortex caryophylloides* RVMPH. amb. 2. t. 14. cuius, cum ſingulare ſit, dari in *Lauri* genere folia oppoſita, diſquiſitionem Ill. Auctor commendat. *Fumaria lutea*, *ſiliquis teretibus*, *caulibus diffuſis*:

p. 172. p. 182. p. 185. p. 209. p. 221. p. 228. p. 229. p. 258.

fuſis: angulis obtuſis, quae ſimillima *Capnoidi*, huiusque ſynonyma BAVHINI, DALECAMPII, et PLVKENETI in ſpeciebus excludantur, et ad *lu-*
p. 263. *team* referantur. *Aſpalathi* decem nouae Capen-
p. 268. ſes ſpecies conſtituuntur. *Lipariae* genus duae certae conſtituunt ſpecies, *ſphaerica*, *floribus capitatis*, *foliis lanceolatis*, *neruoſis*, *glabris*, quae ſtamine decimo ſeparato characterem generis dedit; et *graminifolia*, *floribus capitatis*, *foliis alternis linearibus*, *acutis*, *ſeſſilibus*, *calycibus villoſis*; vtraeque Capenſes. Quaeritque Noſter, an ad hoc genus, ſtamine decimo ſeparato, ſpectent 1. *Borbonia vmbellata.* 2. *Spartium Capenſe.* 3. *Borbonia tomentoſa;* 4. et alia, priori affinis, *ſericea* dicta.
p. 297. *Croton Benzoe*, *foliis linearibus*, *ſubrepandis*, *nudis: venis rubris:* vnde *Benzoe* officinarum, neque a *Lauro Benzoe*, vti vult COMMELINVS. Fructificationem quidem non vidit Noſter, ſed ex ſtatura, lacteſcentia, ramis, *Caſcarilla*, iudicat *Crotonis* ſpeciem. Muſcos ex HVDSONIS Flora Anglica
p. 313. appoſuit. Addit *Ginkgo bilobam*, cuius arborem viuam dedit GORDONIVS: fructificatio hactenus, praeter, quae habet KAEMPFERVS amoen. 811. t. 813. nondum innotuit.

III.

III.

Syſtema mineralogicum, quo corpora mineralia in claſſes, ordines, genera et ſpecies, ſuis cum varietatibus diuiſa, deſcribuntur, atque obſeruationibus, experimentis et figuris aeneis illuſtrantur a IOHANNE GOTSCHALCK WALLERIO, equite ordin. Reg. Waſaei, chemiae, metallurg. et pharmaceut. profeſſ. Reg. ord. et emer. Vpſ. academ. imper. nat. curioſ. nec non R. R. academ. Stockh. et Vpſal. membr. Tomus I. In quo *Terrae* et *Lapides* deſcribuntur; cum indice quadruplici. Holmiae. Impenſis direct. Laurentii Saluii 1772. 8. Alph. 1. plagg. 6½. tabb. aen. 1.

Etſi inſignis in rebus mineralogicis Ill. Auctoris doctrina, atque praeclarum in diſquirendis corporibus ſtudium, ſingularisque felicitas iudicii, adeo iam omnibus placuit, vt Eum mineralogorum principem facile quisque agnoſceret; Ipſe tamen, edito ſuo *regno minerali* *) non otioſus fuit ſpectator, ſed, quantum potuit, corpora mineralia non collegit ſolum diligentiſſime, verum acquiſita etiam rigoroſo ſubiecit examini, atque inſtituit plurima circa eadem experimenta, aliorumque praeſtantiſſimorum Auctorum ſcripta et obſeruata cum ſuis ſtudioſe comparauit. Ex quibus cum ſuis, tum alienis experimentis et obſeruationibus, enatum ſyſtema mineralogicum iam Lectoribus offeramus, quod plurimis certe numeris abſolutum,

*) Prodiit illud lingua Suecana ſub inſcriptione *Mineral Riket indelt och beſkrifvit*, *af* IOH. GOTSCH. WALLERIVS. *Stockh.* 1747. 8.

obſeruationibusque diues, non ſiccus mineralium index eſt habendum. Scripſit illud Latino ſermone, additis Suecicis, Gallicis, Germanicisque nominibus; inter quae tamen poſteriorum nonnulla, vix vbiuis recepta, Germanisque incognita, reperimus. Retinuit methodum, in Regno minerali receptam, nouisque multis ordinibus, generibus, ſpeciebus, varietatibusque receptis. Characteres et ab habitu in igne, et ab indole in acidis mineralibus, et a ſignis extrinſecis deſumit *). Nomina plerumque, prius data, retinuit, diligentiſſimeque, quod prae omnibus laudem meretur, in extricandis aliorum nominibus, praeſertim Ill. LINNAEI et CRONSTAEDTII fuit occupatus: a quorum ſi opinione receſſerit, modeſtia laudabili rationes ſuas addit: figuras lapidum, ſalium, et ex petrificatis figuratisque eorum corporum, quorum icones nondum vidit expreſſas, appoſuit, aliorumque icones ſuis locis indicauit. Breuitatis ſtudioſi nos diuiſionem Ill. Auctoris, generum nomina et characteres ſpecificos, ſpecies nouas, vel quas ad alia genera reduxit, recenſeamus, ſeligamusque ex obſeruationibus notatu digniores.

p. 1. Mineralia creſcere ſine vita, ſine ſucco in vaſis circulante; atque naſci quatuor modis exiſtimat Noſter, *concretione*, ſi particulae terreſtres glutine compinguntur, *coagulatione*, ſi ſolutae particulae conſolidatione ſimultanea condenſantur, *cryſtalliſatione*, ac *petrificatione*. Diuidit poſtea omnia mineralia, quoad originem et figuram in *naturalia*, et *peregrina*; ex indole vero priora in *Terras*, *Lapides*, ſalia, ſulphura et metalla, quae vno *Minerae* nomine comprehendit; peregrina autem

*) cf. EIVSD. lucubrationes academicae. Spec. I. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 225.

autem dicit *Concreta:* quatuor hinc claſſes conſtitutae.

Terras minerales in quatuor iterum partitur ordines, in *macras*, *pingues*, *minerales* ac *duras*. Ad macras, quas etiam calcareas dici poſſe concedit, haec refert genera: 1. *Humus:* conſtat particu- p. 13.
lis ſcabris, inaequalibus, minus duris, cum acidis efferueſcit, inflammabili praedita eſt, igne fuſorio in vitrum abit, ac vegetabilis vel animalis corporis veſtigia exhibet. 2. *Creta:* farinaceis, ſic- p. 25.
cis, inquinantibus conſtat particulis, cum acidis feruet, in igne calcem praebet, per ſe non fuſibilis, aquam ſorbens. 3. *Terra gypſea:* cu- p. 34.
ius vnam tantum ſpeciem, *farina foſſilis* dictam affert, dicitur mollis, farinacea, particulis nitidis praedita, cum acidis non efferueſcere; ſolui tamen ad partem: in igne vſta friabilis, facile, ſale admixto, finditur. 4. *Terra Manganenſis*, vel *magne-* p. 36.
ſiae: eſt attactu arida, ſicca; non efferueſcit cum acidis, ſoluitur tamen ab iis; cum aqua mixta puluerulenta manet, funditur in ſcoriam nigram, addito borace in vitrum rubrum vel violaceum.

Secundum ordinem conſtituunt *Terrae tenaces* p. 38.
vel *pingues*, in eo conuenientes, quod conſtent particulis ſubtiliſſimis, compactis et tenacibus, ac glabrae ſint, politae niteant, aquas reſorbeant, retineant, et ductiles fiant, in igne indurentur, vel fundantur, in ſcorias ſ. vitrum. Earum genera ſunt 5. *Argilla:* quae acidis mineralibus non mouetur; ſoluitur tamen ab acido vitriolico ad partem. 6. *Marga:* eſt terra compoſita ab argil- p. 68.
la et calcarea terra, plus minus lubrica, in aquam proiecta, bullulas excitat, deinde finditur diſſoluiturque, in aëre fatiſcit, rudis cum acidis efferueſcit, igne induratur, fortiori finditur.

p. 79. *Terrae minerales*, vel *ochrae* tertio ordine complectuntur, quas vel mixtas, vel metallicas praecipitatas aſſumit. Ceterum eas hic breuiter tantum indicat, ſub claſſe tertia *Minerarum* vberius deſcripturus.

p. 84. Quartus ordo ſiſtit *Terras duras* medias inter terreas lapideasque, quae vel plane non, vel firmiſſime cohaerent, aſperae ſunt, aquam parum abſorbent, et cum calce mixtae indurantur. Monet Noſter, hunc ordinem, cum ex facie externa, tum ob duritiem diuidi potuiſſe; ſed cum a recepta diuiſione nollet recedere, genera ita diſtinxit, vt vel vno, vel binis poſſent comprehendi ordini-
p. 85. bus. Sunt vero ea: 7. *Glarea*: facie terreſtris, arenaceis, terreis, et argillaceis particulis mixta, aqua tarde emollitur, poſteaque in glebas mutatur: aere indureſcit, admixta calce in caementum durum concreſcit. 8. *Tripela:* eſt terra macra, ſicca, ſubtilioribus durisque particulis conſtans, aſpera, ſapore cretaceo, aquam ſugens, quae ab acidis mineralibus non mouetur; in igne vero indureſcit, colore mutatur, fortiſſimo igne
p. 95. cruſta vitrea obducitur. 9. *Caementum*: ita nominat terram, particulis puluerulentis, durisque compoſitam, quae aquas attrahat, et calce conſolidatur, acidis non mouetur, fuſorio igne in vitrum opalinum funditur, et in locis, montibus igniuomis vicinis, reperitur. 10. *Arena:* quae caret cohaeſione, aſpera eſt, dura, ac ſicca, aqua neque emollitur, nec ſoluitur; grauior tamen redditur: cum calce mixta, aqua accedente indureſcit.

p. 115. Lapides Noſter in quinque diſpeſcit ordines, *calcareos*, *vitreſcentes*, *fuſibiles*, *apyros* ac *ſaxa*.
p. 117. *Calcarei*, ſunt lapides minus duri, ab acidis mineralibus ſoluendi, qui in igne per ſe non funduntur,

tur, ſed in poroſam conſiſtentiam, vel puluerem abeunt, vel in fruſtula diſſiliunt; cum borace vero, vel, admixta argilla, omnes funduntur. Huc ſequentia refert genera. 11. *Calcareum:* qui conſtet particulis incerta figura, facie terreſtri, cum ſale ammoniaco praebeat calcinatus, ſub tritura, ſpiritum volatilem vrinoſum: diuiditurque iterum in duo genera inferiora, *Calcareum rudem*, qui polituram non admittat, et *Marmor*, colore eminentiore praeditum, politura ſplendens. 12. *Spatum:* cuius differentia a calcareo conſiſtit in particulis cubicis, vel rhomboidalibus, facie nitida, ſtructura lamellari, difficiliori calcinatione, et grauitate ſpecifica maiori. 13. *Gypſum:* lapis figura vel rhomboidali et globoſa mixtis, vel rhomboidali lamellari, aut fibroſa, qui in fruſtula abeat indeterminatae figurae, vel lamellas, vel fibras; duritie inter lapides fere minima gaudeat, aere facillime deſtruatur, atque ſit ſolubilis; igne leniori vſtum, aqua admixta, odorem ingratum ſpargat, igne fuſorio in vitrum flauo viride mutetur, ac cum acidis mineralibus non efferueſcat. 14. *Fluorem mineralem:* qui faciem offerat lapidum vitreſcibilium, fractura abeat in figuram incertam, calcareis gypſoque durior ſit; non tamen ad chalybem ſcintillet; leniori igne phoſphoreſcat, calcinatorio decrepitet, fuſorio fundatur, difficulter quidem, in vitrum gypſoſum; non moueatur ab acidis mineralibus, ſub coctura ſoluatur ab iis, atque alcalino ſale praecipitetur terra ſoluta alba, ac grauitate gaudeat magna.

p. 118. p. 136. p. 153. p. 171.

Lapides *vitreſcentes*, ſecundum ordinem conſtituentes, ſunt vitrea facie, duriſſimi, quorum puluis, cum aqua mixtus, poſteaque ſiccatus in maſſam coit fere lapideam; cum acidis mineralibus non efferueſcunt, non funduntur, niſi admixtis p. 184.

 aut

p. 186. aut ſalibus alcalinis fixis, aut borace. Genera eo-
rum ſunt haec : 15. *Cos:* particulis conſtat gla-
reoſis, vel arenoſis, vel vtrisque (ideoque, vt no-
bis videtur, eſſet ad lapides mixtos, vel ſaxa refe-
renda,) plerumque fracta reperitur, duritie eſt di-
verſa praedita, recenter fracta mollior, aere
indureſcens: in igne calcinatorio in arenam
abit, in fuſorio interdum funditur, cum aci-
p. 204. dis non mouetur. 16. *Spatum ſcintillans:* eſt
compoſitum particulis cubicis, vel rhomboidali-
bus, duritie ad chalybem ſcintillante praeditum;
maiori quam *Fluor mineralis*, minori, quam
Quarzum; cito phosphoreſcit, in aere non muta-
tur, in igne fit fragilius, in fuſorio cito in maſ-
ſam compingitur, facile cum ſalibus alcalinis fixis,
calce, et argilla in vitrum funditur, non mouetur
p. 209. acidis mineralibus. *) 17. *Quarzum:* quod fra-
ctum apparet nitidum, ac ſi granulis conſtet col-
liquatis, interdum ſuſcipit figuram ſexangularem
cum hexaedro apice: diſſilit in fruſtula incertae
figurae, acutangula: duritie eximia, limae tamen
duriori cedit, polituramque admittit: in aere eſt
immutabile, vt et in igne calcinatorio non fit le-
uius, fragilius vero et colore mutatum: in fuſo-
rio cum calce vel fluore minerali funditur, acidis
immutabile. Diuiditur iterum et in *Quarzum rude*,
et *pellucidum cryſtalliſatum*, vel *cryſtallum montanam*.
p. 230. 18. *Gemmae:* Lapides facie ſplendente, particu-
lis figurae determinatae, ſtructura intrinſeca lamel-
lares, duritie omnes reliquos ſuperant, atque at-
tritu, non igne, fiunt electrici; calcinatorio igne
non mutandi, fuſorio, non, niſi borace vel ſalibus
alca-

*) Primo nunc hoc genus conſtituit, quod in *Mineralogia* ad Spatum retulit.

alcalinis additis, funduntur. *) 19. *Granati:* con- p. 249.
ſtant particulis inuiſibilibus, facie vitrea nitent, figura ſaepius determinata; ſtructura intrinſeca vel *Quarzo* ſimiles, vel lamellati; duritie ad chalybem ſcintillant, lima raſibiles; calcinatione dilutiores fiunt, et pondere minuuntur; fortiori vero igne funduntur, cum acidis mineralibus non mouentur; grauitate ſpecifica gemmis maiori praediti, paſſim in venis montium reperiuntur. 20. *Sili-* p. 257.
ces, *Petroſilices*, *Achati:* coniungit hos tres lapides vno genere, cum conueniant particulis inviſibilibus, ſuperficie laeui, ſtructura intrinſeca ſint maxime ſolidi, fractura abeant in fruſtula conuexa; duritie eadem cum *Cryſtallo montana* ſint praediti, phoſphoreſcant, calcinatione albeſcant et findantur; non, niſi additis ſalibus, fundantur *Silices*, opacos, ſemipellucidos, eos hic ſolum intelligit, qui in ſolitariis glebulis ſint nati. *Petroſilices* textura rudiores, molliores, non polituram admittunt. *Achati* ſemipellucidi, duri, ſplendent, ſuſcipiuntque polituram. **) 21. *Iaſpis:* dif- p. 296.
fert a priori genere facie terreſtri, fractura inordinata, duritie inter *Petroſilicem* et *Achatem* media; poſtea, quod non phoſphoreſcat, aere mutetur, calcinatione non diffringatur, nec colorem amittat, ac, ſalibus additis, fundatur: ab acidis mineralibus, non moueatur, cum *Quarzo* aequali gaudeat grauitate.

Ordine tertio, quem primum hic conſtituit, p. 307.
Lapides fuſibiles recenſentur, qui, cum textura ſint molli-

*) In *Mineralogia* genus *Cryſtalli* conſtitutum eſt, quod comprehendit *Quarzum pellucidum* et *Gemmas*, ad quas et *Granati* fuerunt relati.

**) Hoc genus in priori editione erat diuiſum, et *Petroſilices* ad *Iaſpidem* relati.

molliori, lima radi poſſunt, faciliusque in puluerem
conteri, cum acidis mineralibus non efferueſcunt;
ſoluuntur vero ab iis; in igne non, niſi fuſione,
mutantur. Ex his proprietatibus Noſter huc re-
p. 309. fert lapides ſequentes. 22. *Zeoliticos* et *Baſalti-
cos:* qui textura *Petroſilici* non ſunt diſſimiles, in
fragmenta indeterminata diſſiliunt; interdum vero
columnarem truncatam lateribus irregularibus ſu-
ſcipiunt: duritie, inter calcareos et vitreſcentes
media, ad chalybem non ſcintillant: calcinatio-
p. 310. ne finduntur expanduntur que. *Zeolitem* vi-
trea facie, facili acidis ſolutione, in puncto fu-
ſionis phoſphoreſcentem, particulis metallicis
non immixtum, vagum, diſtinguit a *Baſalte*,
p. 317. qui colore viridi, aut nigro, ferro ſemper par-
ticipat, in venis montium reperitur, difficilius
funditur, nec phoſphoreſcit, et ab aqua forti ad
p. 326. partem tantum ſoluitur. 23. *Manganenſes* vel *Ma-
gneſiam:* differunt hi lapides facie, metallicis ſi-
mili, ſtriis nitentibus, inquinantibus compoſiti,
digitis frangi poſſunt; interdum radiatam, rhom-
boidalem, vel cubicam aſſumunt figuram, et calci-
p. 335. natione pondere minuuntur. 24. *Fisſiles* vel *Schi-
ſtos:* ſtructura ſunt lamellari, fractae tranſuerſim
lamellae indeterminatam accipiunt figuram, duritie
diuerſa, in aere vel citius, vel tardius deſtruuntur:
calcinatione decrepitant, diſſiliuntque in fruſtula
p. 351. ſquamoſa, odorem varium ſpargentes. 25. *Mar-
gaceos* vel *Margodes:* facie argillacea, aut calcarea,
molles, in aere facile deſtruuntur, calcinatione
indureſcunt, cum acidis mineralibus efferueſcunt.
p. 355. Sunt igitur margacea terra indurata. 26. *Corne-
os:* hi conſtant particulis minimis, facie terreſtri,
ſtructura ſolida, fractura plerumque abeunt in
fragmenta indeterminata, chalybe raſibiles, ri-
mam a raſura, ſuſcipiunt cineream, calcinatione
indu-

indurantur, in venis reperiuntur, vel proprios conſtituunt montes.

Ordo quartus *Lapides apyros* recenſet. Sunt p. 365.
molles, et lubrici, cum acidis mineralibus non efferueſcunt, plerumque, non, niſi additis ſalibus,
vel aliis fuſionem iuuantibus, funduntur. 27. *Lapides micacei:* p. 367.
compoſiti lamellis flexilibus, pellucidis, nitentibus, in aere colore mutantur, ſub calcinatione fragiles fiunt, et colorem album aut flauum induunt, fortiori fuſorio igne ſoli funduntur. Hos in *Micam*, et *Talcum* diuidit. 28.
L. *ſteatitici:* ſunt praediti particulis minimis ar- p. 379.
gillaceis, conſiſtentia ſolidi, in aere indureſcunt, aquam attrahunt, ea tamen non emolliuntur, calcinatione indurantur, per ſe non funduntur. 29.
Aſbeſtus et *Amiantus*: qui ſunt ſtructura vel fi- p. 391.
broſa, vel lamellari, calcinatione albeſcunt, ſub ſpeculo cauſtico funduntur; reliqua ſigna, quibusdam ſpeciebus propria, ad earum definitionem pertinent: ceterum hoc genus prius diſtinxerat.

Vltimo ſ. quinto ordine *Saxa*, lapides ex pri- p. 404.
oribus mixti conſiderantur; quos, ad minores varietates non attendens, Noſter in duo diuidit ge-
nera, in 30. *Saxa mixta:* quae a diuerſis lapidum p. 405.
ſpeciebus ita ſunt compoſiti, quaſi in ſtatu liquido commixti eſſent, et poſtea ſolidi facti. Haec in quinque inferiora diuidit genera a) *Granitas:* ſaxa dura, granularia, ſolida, ad chalybem ſcintillantia, non fiſſilia, vix in ſtratis reperiunda. b) *Saxa fornacum* et *molaria*, in eo tantum a prioribus diuerſa, quod ſint fiſſilia atque in ſtratis, et venis recumbant. c) *Porphyrea*, non fiſſilia, nec granularia. d) *Cornea* molliora, fiſſilia, facie terrea,
metallifera. e) *Venoſa* et *glanduloſa*. 31. et *Sa-* p. 426.
xa aggregata vel *petroſa:* quae ab aliorum lapidum, aut ſaxorum fruſtulis, mediante alia mate-

ria,

ria, inter ſe, vel cum arena, vel aliis lapidibus concreuerunt.

Omnium generum, ab Ill. Auctore conſtitutorum, maluimus characteres tradere, quam hinc inde quaedam delibare; nunc vero in ſpecierum recenſione paucis eas excerpamus, in quibus nunc primo vel a priori in regno mineralogico denominatione, vel a LINNAEO aut CRONSTAEDTIO recedit. Primo eas indicemus, quas prius, vt ſpecies, nunc tanquam varietates ad alias refert. Ita

Creta *Bathenſis* et *Guhr* } vt varietates pertinent ad C. *calcem natiuam.*

Creta *Cimolia purpureſcens* et *viridis* } conſtituunt Cretam *coloratam.*

Gypſum *Phoſphorus Bononienſis* eſt varietas Gypſi *ſpatoſi.*

Cryſtallus *Pſeudo Rubinus*, *P. Saphirus*, *P. Topacius*, *P. Smaragdus*, *obſcura*, *rubro fuſca*, *fuſca* } conſtituunt Cryſtallum *coloratam.*

Amethyſtus	eſt varietas	*Saphiri.*
Hyacinthus	—	*Topazii.*
Beryllus	—	*Smaragdi.*
Iaſpis *viridis*	—	Iaſpidis *vnicoloris.*
Amiantus *Caro montana*	—	Amianti *alutae montanae.*

Ex varietatibus contra videmus quasdam ſpecies conſtitutas, vt *Glarea fuſoria*, quae fuerat varietas *ſterilis*, definitur *particulis ſubtiliſſimis, durior, aequabilis; Achates ſardonix*, prius varietas *Ony-*

p. 86. p. 278.

Onychis, dicitur *ſemipellucida*, *nebuloſa*, *ſtratis*, *venis vel maculis donata rubentibus aut nigreſcentibus.* Sic quoque *Achates Pſeudopalus* ex varietate *Opali* efficitur, *plus minus opaca*, *colores*, *vel lucem diverſimode reflectens*; *Zinci pſeudogalenae* varietates 2. et 3. conſtituunt *Corneum ſpatoſum*, *facie ſtriata*; vt alias omittamus.

Praeterea multas ad alia genera reduxit, ſic

fuit	et	nunc eſt	
Marga *Porcellana*	—	Argilla *Porcellana.*	p. 53.
Glarea *Argilloſa*	—	Argilla *glareoſa.*	p. 56.
Glarea *Tripela*	—	Tripela *ſolida.*	p. 101.
Spatum *ſolidum*	—	Fluor mineralis *ſolidus.*	p. 171.
Spatum *durum*	—	Spatum ſcintillans *pyrimachum.*	p. 205.
Quarzum *granaticum*	—	Granatus *rudis.*	p. 250.
Cryſtallus *granatus*	—	Granatus *Gemma granatica.*	p. 253.
Quarzum *molare*	—	Petroſilex *molaris.*	p. 270.
Gypſum *Lapis Nephriticus*	—	Iaſpis *L. Nephriticus**).	p. 302.
Iaſpis *Lapis Lazuli*	—	Zeolithes *Lapis Lazuli.*	p. 312.
Corneus *cryſtalliſatus*	—	Baſaltes *cryſtalliſatus.*	p. 319.
Ferrum *Magneſia*	—	Magneſia *fuliginoſa.*	p. 328.
Ferrum *Spuma Lupi*	—	Magneſia *Spuma Lupi.*	p. 330.
Amiantus *Linum montanum*	—	Asbeſtus *Amiantus.*	p. 393.
Iaſpis *Porphyr*	—	Saxum *Porphyr.*	p. 414.

Nouae ſpecies, quae in priori editione non reperiuntur, hae ſunt notabiliores. *Argilla fiſſilis*; *vitreſcens*, colore differens ab *Argilla vulgari* ſolis

fiſſuris

*) Monet Noſter, hunc lapidem probe eſſe diſcernendum a ſpurio, *Lapide Nephritico Toeplizenſi*, qui ad Steatiticos lapides pertineat, et a multis mineralogis pro vero ſit habitus: differt enim hic a vero, grauitate et duritie minori.

p. 45. fiſſuris differens; et *Argilla granularis*, etiam *vi-*
treſcens, colore griſeo flaueſcente, inſperſis gra-
nulis albo quarzoſis praedita, ſub coctione aqua
tandem emollitur, diſſoluitur, ſuamque prodit
naturam, in Peru inuenienda: cuius forma gra-
nularis, vtrum gyratorio aquarum motu naturali-
ter; an vero arte producatur, ignorari dicit Ill.
Auctor: illud conſtare, argillam a Peruuianis lauari,
p. 57. vt aurum obtineatur. *Argilla mineralis*, *vitreſcens*,
metallicis particulis mixta, quae eſt *Argilla ferrea*
CRONSTAEDTII; huc etiam refertur *Terra mira-*
p. 88. *culoſa* Saxoniae. Ad *Glaream* refertur LINNAEI
Humus Schiſtoſa.

p. 227. *Calcareus figuratus*, vel *filamentoſus*, a *Gypſo ſtria-*
to diſtinguendus; vel *fibroſus denſus*; vel *globularis*,
cuius figurae cauſſa Noſtrum latet. Omnes hae
p. 134. varietates nitore ſpataceo carent. Ad *Marmora*
etiam refert *Lapides Megaricos* Auctorum, quos
dicit *Marmor teſtaceum*, *petrefactis teſtaceis com-*
poſitum: quod ſola ſoliditate a *Calcareo teſtaceo* dif-
p. 156. fert. *Gypſum aequabile*, *particulis minimis*, *indiſtinctis*,
facie terrea, quod LINNAEO eſt *Gypſum argilloſum*.
Nominat Ill. Auctor *Marmor metallicum* CRON-
STAEDTII, vel *Spatum graue* aliorum, *Gypſum*
p. 161. *ſpatoſum*, irregulare, grauiſſimum: illudque nihil
p. 190. metallici continere aſſerit; Inter *Cotis* ſpecies eſt
etiam *glareoſa*, *particulis impalpabilibus*, *mollis*, cu-
ius varietas *corroſa* notanda videtur, quae maculis
vel flauis, vel atrofuſcis praedita eſt, quas ab ali-
qua materia liquida, olim in ipſa glarea incluſa,
poſtea ad partem deſtructa, pendere Noſter exi-
ſtimat. Ad *Silices* refert *Aegyptiacum*, *variegatum*
venis concentricis, *nitentem*, *durum*, quem CRON-
STAEDTIVS *Achatem* dixerat: et *ſtriatum*, colo-
re albeſcente, intrinſeca ſtructura *Gypſo ſtriato*
omnino

omnino ſimilem, ſed duriorem, quem alii ad petrificata referunt.

Monuimus iam, fuſibiles lapides ab Ill. Auctore hic primo eſſe aſſumtos: nunc tantum addere liceat, plures in hoc ordine reperiri, quos in Suecia frequentiores reperiundos, adeoque multis incognitos eſſe Noſter ait; nos tamen, cum plures a LINNAEO et CRONSTAEDTIO indicati ſint, repetitioni nominum non immorabimur. Ad *Steatitem* refert *argillam lapideam*, quam quidem p. 380. non eſſe, niſi argillam in lapideam naturam mutatam, ipſe Noſter dicit; hanc tamen ob cauſſam hic eſſe conſiderandam.

Accedimus denique ad obſeruationes, cum chemicas, tum phyſicas, copioſiſſimas, lectuque digniſſimas huic vtiliſſimo libro vbique inſperſas: ex quibus paucas tantum referamus. *Humus Atramentum ſciſſile*, a plane deſtructo fiſſili p. 19. lapide bituminoſo orta videtur. *Turfae* pingue, p. 23. praeter vegetabile oleoſum, aut aliunde venit, aut ab aquis ſtagnantibus putreſcentibusque, accedente ſalino, eſt productum. *Creta tophacea* a lapide p. 26. calcareo probabiliter orta eſt. Generatim terrae p. 32. calcareae ſpiritu nitri fortius efferueſcunt, meliusque ſoluuntur, quam oleo vitrioli: cum acidis vegetabilibus cryſtalliſantur in figuram ramoſam, vegetantem: eaedemque primogeniae et marinae Noſtro, cum HENKELIO videntur. *Argilla* p. 48. *Smectis* multum conuenit cum *cruſtacea*, vtraeque cum marga; differunt tamen duritie maiori, et, quod, aqua ſolutae, non in paſtam vel lamellas, ſed puluerem dehiſcant. Praeſtantia huius terrae optime ex diſquiſitione eius naturae definitur, quae in ſubtilitate, ſiccitate, fragilitate, ac puritate particularum ponenda: in vſu igitur ad haec reſpi-

 cien-

p. 50. ciendum. *Boli*, quae vulgo dicuntur, non eae ſunt, cum aliae ad *cretas*, aliae ad *Argillas apyras*, aliae ad *minerales* pertineant: ad *Bolos* enim requiritur argilla ſubtiliſſima, aquam abſorbens, nitens, in ore liqueſcens, aqua in partes minores diſſoluenda, minus tenax, ſub exſiccatione non
p. 60. findenda, peregrinaque materia carens. *Argillae mineralis* varietas *vmbra* differt ab *Humo vmbra*, principiis conſtitutiuis, grauitate, indole in igne,
p. 62. et odore aſphaltico. In genere de *Argilla* notat: omnem igne calcinatorio fieri phoſphoreſcentem: inflammabile, etſi ei inſit, non tamen inde poſſe ſeparari, multoque minus glutinoſae materiei praeſentiam oſtendi; ſed tenacitatem pendere ab aquae et particularum argillacearum mutua attra-
p. 66. ctione: inde quoque earundem eſſe deriuandam indurabilitatem: eſſe eam partim ſedimentum aquoſum, partim vt terram primogeniam ſecundam conſiderandam.

p. 77. *Margam* vegetationem promouere aſſerit, vel ſua fateſcentia in aere, cum tenacem agrum ſubtiliorem reddant, praeſertim *arenacea* et *cretacea*; vel tenacitate, combinando terram arenaceam et glareoſam, vt *argillacea*; vel alcalina indole, in agro, acidis abundante, maxime *cretacea*; vel, ſi humidum attrahant, retineantque, quorſum referendae *argillacea* indurata, ac *tophacea*; vel cum pingue ſoluant, illudque cum aqua reddant miſcibile. Poſtea concedit, aliquas margae ſpecies ortas eſſe a deſtructis conchyliis; alias vero iudicat natas a calcareo, lapide deſtructo: hinc margarum terra non eſt primogenia; eas tamen olim fluidas fuiſſe vero non eſt diſſimile.

p. 88. *Glareae* diſquiſitio chemica additur, et duplex de eius origine ſententia probabilis cenſetur: vel enim eſt puluis, a deſtructis lapidibus, aut arena rema-

remanens, vel, quod Noſtro placet, orta eſt ex *Argillis ſoluta* et *granulata* induratis. Ex experimentis colligit, *Tripelam* conſtare terra inſolubili, vitrificabili, et martiali: ortamque putat e glarea, per aquam lota, et in maſſa indurata. *Caementum* et *terram puteolanam* et *Tarras* *) habentur a Noſtro, glarea, igne exuſta, ac calcinata, a ſulphure et acidis penetrata, et ſic in martialem indolem mutata: earumque vſus in murorum exſtructione, aquarumque coarctatione cernitur. Ex diuerſis de origine arenae hypotheſibus Ill. Auctor eam eligit, qua ea in initio creata dicitur; hodie tamen quoque generari a gelatinoſa materie, in aquis generata, ſucceſſiue in granula diuiſa, tandemque indurata. p. 93. p. 98. p. 105.

Marmorum durities eſt diuerſa, colores ipſi lapidi ſunt immixti, atque a bituminoſis particulis, vaporibus ſulphureis, ſalinis ac mineralibus maxime pendent. Cauſſa, quod *Cryſtallus Islandica* obiecta duplicet, in eo ponitur, quod ipſe lapis ſubtiliſſima et inſenſibili fiſſura ſit diuiſus; ita tamen, vt in vna maſſa adhuc cohaereat: hinc duplex refractio per duplicem ſuperficiem oriatur neceſſe eſt. *Spati lapidis ſuilli* odor foetidus pendet a bituminoſa materie, cum volatili ſale combinata. Leuitatem, quam calx ſub calcinatione accipit, non aquae, neque aeris ſoli ſeceſſui tribuit; ſed, praecipuam cauſſam latere affirmat in materie maxime volatili, leuiſſima, inflammabili: ideoque videmus, Ill. Auctorem fere cum MEIERO **) ſentire: cum praeterea ſalinum acidum ſub cryſtalliſatione, ex coniunctis vaporibus aquoſis cum inflammabili materie oriri dicat. Originem mon- p. 134. p. 140. p. 147.

*) cf. tractatio Cl. QVIST in act. Stockholm. an. 1770. p. 49. comm. noſtr. ſupra. p. 392.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XII. p. 468.

montium calcareorum, deducit a terra calcarea: *Spatum*que ab eadem terra, aquis ſoluta, cui quidpiam acidi vitriolici accedat, ortum aſſumit.

p. 154. *Gypſum Alabaſtrum*, cum et interdum cum acidis efferueſcat, difficile a marmore diſtinguitur, niſi mollitie maiori, particularum minimarum nitore, grauitateque minore: *Gypſum aequabile* et *arenarium*, frequentiſſime ad praeparationem gypſi adhibita, eo facilius calcinantur, quo ſubtilioribus conſtant particulis. *Gypſi ſpatoſi* varietas, *lapis Bononienſis* dicta, phoſphoreſcit *): *Gy-*
p. 165. *pſum Lapis hepaticus* a *Spato lapide ſuilli* in eo differt, quod cum acidis non efferueſcat; compoſitum Noſtro videtur e terra calcarea cum ſulphurea et bituminoſa inter ſe mixtis.

p. 179. *Fluorem mineralem* compoſitum eſſe e terra calcarea, atque acido ſulphureo, ac conſtituere *naturale hepar calcis*, Ill. Auctor coniicit: putatque omnem lapidum phoſphoreſcentiam eſſe triplicem, aliam, quae pendeat ſolum a lumine mutuato et retento, vt in gemmis; aliam a propria materia, in motum excitata et lucente, quae ſit ſulphurea ſubtiliſſima aut acida materies; aliam a producto ſulphureo, quod oriatur a materia adiecta inflammabili, cum acido, prius praeſente, combinata. Quicquid ſit, vbicunque adſit phoſphoreſcentia, ibi adeſſe materiam electricam ſ. acidum, quod Noſtro idem fere cum materie phlogiſtica eſſe ſupra diximus. Quam ſententiam confirmatam vidit experimentis Cl. SCHEELE **).

p. 189. Maculae in *Cote glareoſa corroſa*, aliisque arenaceis lapidibus, deriuantur a vapore minerali, lapidem

*) vid. de phoſphoreſcentia Gypſi ſpatoſi Cl. MARGGRAFF *in Mém. de Berl.* 1750. it. comm. noſtr. Vol. II. p. 433.

**) vid. Acta Holm. an. 1771.

lapidem penetrante; foueae, a materia liquida,
olim in glarea incluſa, poſtea ad partem deſtructa.
Cos Quadrum, etſi cum acidis efferueſcit, non ta-
men pertinet ad calcareum lapidem *): cum il-
lud pendeat a calcareo vel margaceo glutine, gla-
ream combinante. *Cotis* ſpecies duplici modo p. 201.
concretas eſſe probabile videtur, vel mediante
aqua ſolum, vel glutinoſa materie terreſtri. Are-
narios montes vel primaeuos, vel in diluuio ortos,
vel temporarios habendos, deſtruique vel a humi-
do, vel a ſale marino affirmat.

Spatum ſcintillans accedit ad naturam *Fluoris* p. 207.
mineralis et *Quarzi* mixtam: eſtque inter primae-
vos lapides numerandum. *Quarzum pingue* do- p. 212.
micilium praebet mineris metallorum, inprimis
auri: hinc monticolis bono eſt omini. Color
Quarzi colorati varius a metallis, ei immixtis, pen- p. 214.
det. *Cryſtalli montanae* elegantia pendet a perfecta p. 218.
claritate aquea, denſitate et duritie, polituram
admittente. Hanc vero eapropter rariſſime per
omnem cryſtallum extendi affirmat Noſter, quod
minor vel maior quantitas materiae terreſtris in li-
quido ſit ſoluta, quae, ſuam ob grauitatem, a liquida
et leuiori materie ſub cryſtalliſatione ſeparata fuit:
quod tamen nobis, non a quantitate terreſtris ma-
teriei, quae vbique eadem eſt; ſed a perfectiori,
vel minus perfecta eiusdem ſolutione pendere vi-
detur. Rationem coloris in *Cryſtallo colorata* a parti- p. 223.
culis metallicis deriuandam negat, cum, praeter alia
argumenta, hic color ſit volatilis, poſſitque proba-
bilius a vapore minerali, vel vegetabili colore oriri.
Denique ſtatuit, *Quarzum* et *Cryſtallum* nata eſſe, p. 226.

*) Huc retulerunt POTT. in *Lithog.* P. II. p. 64. et
Cl. VOGEL in *Pract. Mineralſyſt.* p. 10. vid. comm.
noſtr. decad. II. Suppl. II. p. 307.

ex fluida et viſcoſa calcarea materie, quae ab aqua marina ſit orta.

p. 233. Dubitat Ill. Auctor de eo, quod *Adamas* ad ſpeculum cauſticum volatilis fiat: cum differat diſſipatio, quam fieri concedit, a volatilitate, quae conſiſtat oportet in particularum minimarum reſolutione in fumum, vel vaporem: inſtituanturque haec experimenta in minoribus tantum fruſtulis, vbi omnia phaenomena vix poſſint obſeruari. Ita etiam negat, *Adamantem*, maſſae porcellanae incluſum, in vapores reſolui; ſed ait potius, in
p. 244. minimas particulas diſſipari. *Gemmas* generatim ortas dicit per cryſtalliſationem a materia calcarea, perfecte ſoluta, fluida: easque colores ſuos accepiſſe a ſolutione quadam minerali tenuiſſima. Scriptores, qui de gemmis egerunt, No-
p. 255. ſter recenſet, iisque omnibus excellere B. QVIST *) iudicat. Ex experimentis colligit, lapides *Granaticos* eſſe compoſitos e terra calcarea ſoluta, quam alii ſiliceam vocant, atque ferro **), quibus interdum quidpiam ſtanni, vel plumbi, immixtum ſit.
p. 281. Laudat hic Noſter CAR. ABR. GERHARD diſſertationem *de Granatis Sileſiae et Bohemiae*. - *Achatis Opali* diuerſi colores pendent a reflexione lucis, a metallicis particulis varia orta; quod Noſter probat artificali Opalorum confectione. De *Sili-*
p. 288. *ce*, *Petroſilice* et *Achate* monet, eos, pro duritie diuerſa, ſub calcinatione vel in terram abſorbentem mutari, vel immutabiles manere, ſic quoque vel aere deſtrui, vel non mutari ***): Fuſione, addita maiori ſalis alcalini quantitate, inde produci vitrum mollius, quod aqua, vel aere humido

*) vid. Acta Holm. Vol. XXIX. p. 15. ſqq. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 60.

**) conf. RINMANN in iisdem Actis ann. 1754. §. 2. comm. noſtr. Vol. V. p. 406.

***) conf. ABILGAARD Tr. de *Stevens-klint* et Phil. Transact. no. 474. ann. 1744.

mido ſoluatur in *liquorem ſilicum:* ortos eſſe hos lapides a materia fluida, glutinoſa, calcarea, acido ſoluta. *Iaſpidum* originem, quam prius a ſubtiliſſima arena deriuauerat, nunc a materia bolari ſeu argillacea, quae materie calcarea ſoluta ſit indurata deducit. p. 305.

Zeolitis lapidis Lazuli coeruleus color non a cupro, ſed ab argento, cui quidquam ferri eſt immixtum, pendet. *Zeolitem Turmalinum*, qui alias non, niſi politus, deprehendebatur, nunc e Braſilia rudem acceptum deſcribit, *figura columnari, radiculata, truncata*, eumque depictum icone ſiſtit. Id peculiare quidam *Turmalinorum* habere dicuntur, vt, ſi transuerſim inſpiciantur, ſint opaci; ſi ſecundum longitudinem, pellucidi: hinc ſingularem iis eſſe connexionem, vnde vis electrica *) pendeat, ſequi Noſter affirmat. Quum ad *Baſaltem cryſtalliſatum* Ill. Auctor omnes *Cryſtallos Baſalticas*, et maximas referat; mirum videri ait, *qua ratione hae ad tantam molem et magnitudinem peruenire potuerint? et qua ratione nudae, ſupra terram ad tantam eleuari altitudinem?* Id quod ita explicat, magnitudinem pendere a quantitate materiae cryſtalliſandae, et circumſtantiis, quae in cryſtalliſationis puncto contigerunt, nec non ab indole materiae cryſtalliſandae; erectas vero eas non eſſe generatas, ſed materiem baſalticam in materia molliori, tardioris exſiccationis, fuiſſe ſuis locis immixtam, ac, priori cryſtalliſata et indurata, poſteriorem molliorem aqua, aut alio modo, ab iſtis cryſtallis fuiſſe auulſam et ſeparatam. Ceterum iis, qui in loco natali has cryſtallos examinant, inquiſitionem in earum generationem p. 313. p. 321.

 com-

*) cf. AEPINVS in act. Berol. 1756. comm. noſtr. Vol. VII. p. 711. WILKE et BERGMANN in Act. Holm. 1766. comm. noſtr. Vol. XV. p. 582. et 1768. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 58.

p. 324. commendat. *Zeoliticos Baſalticoſque Lapides* compoſitos eſſe putat *Terra* quadam *Gypſea* vel ſimili, *Argillacea Terra* ſubtiliſſima mixta, quibus in
p. 329. *Baſalte* inſuper martiale acceſſiſſet. Ferrum in *Magneſia fuliginoſa* eſſe accidentale, atque vel maiori, vel minori copia adeſſe, vel etiam abeſſe, ſalua indole *Magneſiae.* Sententias plurimas, easque diverſiſſimas, Auctorum de *Lapidibus Manganenſibus* Noſter hic refert; atque exiſtimat, iisdem ineſſe terram calcaream, principio quodam tingente inflammabili mixtam, vnitam, atque in hepaticum ſtatum mutatam. Argillam quandam ſimul adeſſe nec ſufficienter demonſtrari, neque negari poſſe; fuſione tamen faciliore eandem indi-
p. 346. cari. *Schiſtum* dari diuerſum credit, alium *argillaceum*, alium a limo, cum argilla mixto ortum, quem igitur inter lapides peregrinos numerandum cenſet. His terris per accidens immixta repeririuntur; 1. terra martialis, 2. arenacea, 3. oleoſum, 4. ſalinum vel volatile alcalinum, vel acidum ſulphuris. Generationis modum ex ſitu diverſo eiusdem explicat, putatque, ſtructuram eiusdem lamellarem pendere partim a ſucceſſiua penetratione materiae conglutinantis, partim ab ipſa terrae indole; atque ſchiſti ſtrata eſſe antediluuiana; ſitum vero hodiernum, diluuianum. Plures
p. 262. vulgo aſſumuntur lapides Lydii; interdum *Iaſpidis vnicuIoris* varietas *niger* adhibetur; ſed maior huius durities eundem minus aptum reddit; interdum *Baſalte cryſtalliſato nigro;* alii *Schiſti* ſpecie vtuntur; *Cornei* vero *Trapezii* varietatem, *nigrum*, *ſolidum*, genuinum eſſe lapidem Lydium, atque priores, ſi non ſuperare, certe tamen iis aequiparan-
p. 364. dum eſſe Noſter affirmat. *Lapides cornei*, ex mente Ill. Auctoris, ſunt compoſiti terra argillacea, cui calcareae portio et martiale commixta ſint.

Micam

Micam et *Talcum* a terra glareoſa, cui aliquid metallici et inflammabilis acceſſerit, originem trahere, Noſter ſtatuit. Curioſum eſt, quod, ſi *Steatite Creta Hiſpanica* literae in vitro vel feneſtra pingantur, illae quidem linteo deleri poſſint; redeant tamen in conſpectum aere humidiori et aliquantiſper frigido: id quod ſaepe iterari poteſt: valet etiam de literis, quae a *Steatite* vel *ollari molliori* in vitro pinguntur. In genere monet, *Lapides Steatiticos* argillacea eſſe proſapia, et ab argilla vix, niſi maiori duritie differre; differre tamen, quod 1) inde cum oleo vitrioli non poſſit parari alumen *); ſed magneſiam albam ſeparari, remanente terra ſilicea **), 2) cum calcareis et gypſoſis lapidibus non fundantur ***), 3) minori ſalis alcalini fixi quantitate in fluorem redigi poſſint, quam argillae. Vnde vero haec diuerſa effecta pendeant, non patet. p. 377. p. 383. p. 389.

Refert Noſter modum parandi, ex *Asbeſto Amianto* lintea et papyrum incombuſtibilia ****), atque *Asbeſtum maturum* eidem vſui ſeruire poſſe putat. Duplicem in *Amianto* eſſe terram albam, alteram cum acidis non efferueſcentem, grauiorem; alteram, cum acidis efferueſcentem, ſubtiliorem. Hinc coniicit, ortos eſſe hos lapides a terra gypſea indurata, atque aliquam huic admixtam eſſe Argillam. p. 394.

Inter varietates *Saxi Granitae* eſt quaedam *fuſca*, aere deſtructibilis; cuius deſtructionis cauſſa p. 409.

 quae-

*) vid. Cl. MARGGRAF *chemiſch. Schrift.* p. 209. §. 14.

**) vid. EIVSD. tract. in *Mém. de Berlin* an. 1756. comm. noſtr. Vol. VII. p. 698.

***) vid. POTT. in *Lithogeognoſia.* II. 95.

****) vid. MAHVDL in *Mémoire de litterat. de l'acad. des inſcript. T. V.* et VI. quae in linguam Germanicam translata legitur tractatio in *Hamburg. Magaz.* T. II. et *Philoſ. Tranſactions* 1656. *menſ. aug. p.* 460. *Miſcell. N. C. dec. II. an. II. obſ.* 62.

quaerenda eſt, et in leui particularum nexu, et in glutinoſa materie, particulas combinante, et praecipue in ſalino admixto. *) Vix alios lapides digitis impoſitos, et duriori corpore percuſſos, tinnitum edere reperit Ill. Auctor, quam *Schiſtum Ardeſiam tegularem*, *Corneum Trapezium*, *Saxum cotarium* et *Saxi Trapezii* varietatem, nigram, in Weſtrogothia inueniendam. Hunc tinnitum deriuat a
p. 424. nexu particularum induratarum. Nulla vnquam in *Saxis mixtis* corpora peregrina reperta eſſe; neque a ſabulo orta, ſed in ſtatu fluiditatis aut mol-
p. 431. liori eſſe generata iudicat. Denique *Saxa aggregata* in molliori etiam conſiſtentia fuerunt conglutinata, eorumque fractura facta eſt ſub exſiccationis et indurationis ſtatu, ideoque antediluuiana; horum vero conglutinatorum lapidum praeſentia in ſuperficie telluris eſt diluuiana **).

IV.

Tentamina theoriae mathematicae de phaenomenis magneticis, Auctore I. H. VAN SWINDEN, ſpecimen primum, ſiſtens principia generalia, ac nouam punctorum indifferentiae et puncti culminantis theoriam. Lugd. Batav. ap. Petr. van der Eyk et Dan. Vygh cIↄIↄCCLXXII. 4. pl. 10. praeter dedic. et tabulas aeneas.

Maxima cum diligentia atque ſtudio hic conſcriptus liber ſtatim ab initio de diuerſo communi-

*) cf. tract. Cl. ABILGAARD in *Act. Stockh.* Vol. XVIII. et Cl. TILAS ibid. comm. noſtr. Vol. VII. p. 594.

**) De Saxis cf. GVETTARD in *Mém. de Paris.* cf. comm. noſtr. Vol. XI. p. 398. Vol. XV. p. 466. et decad. II. Suppl. II. p. 331.

municandi propagandique vim magneticam modo exponit; ita tamen, vt omnes phyſicorum de eo opiniones, ne ipſa mathematica demonſtratio nitatur fundamentis infirmis, ſuis cuiuscunque reddat inuentoribus. Etenim, ait Cl. Auctor, quemadmodum res ipſa in omni, quamcumque fingant, hypotheſi, eo redeat, vt aliquod fluidum peculiare illas efficiat magnetis proprietates: ſic id ipſum fluidum, aut ſtagnet circa magnetem, aut circumagatur in orbem, neceſſe eſſe: quare, ſi prius, nec vllam quidem vim huic fluido, ferrum attrahendi, et magnetem ad axem mundi vertendi, attribui poſſe; ſin autem poſterius, ipſum hoc fluidum proprias opus habere vires, quibus moueatur, quae, num ei inſitae, an rurſus aliunde, aut quanam natura, nos forte in ſempiternum latere. Itaque iſtis ſtabilibus magnetis proprietatibus ſat notis, absque fiendi modi inveſtigatione, aſſumtis, Ipſe cauſam rationemque, cum intenſioris, tum hebetioris vis magneticae, acubus vel parallelepipedis ferreis conciliatae, experimentis, copioſe et diligenter inſtitutis, mathematice diſquirit, omnemque demonſtrationis modum, more celeberrimi ALEMBERTI, *principio decompoſitionis virium, tum principio aequilibrii,* et *principio inertiae*, conficit, atque ita magnetis vires metitur.

Iam vero ante, quam ipſam ſuorum experimentorum rationem reddat, vt res clarior fiat, omnia magnetis phaenomena, quae aut ſua ſponte exiſtunt, aut quae coguntur nobis offerre, tribus his argumentis complectitur:

1) *Quando ferrum magneti applicatur, vel in eius atmoſphaera ponitur, magneticum euadit ea lege, vt in puncto contactus naſcatur polus amicus ei, cui applicatur,* P. I.

plicatur, et in punƈto oppoſito, inimicus: hi tamen poli ſunt mutabiles.

2) *Ferrum, quod ita vim magneticam concepit, totum euadit magneticum, in omnibus ſuis partibus: ita, vt, quemadmodum in magnetibus naturalibus, vis ſit fortiſſima in polis, dein continuo decreſcat, vſque in punƈto quodam, centro magnetico diƈto, quod partem borealem ab auſtrali ſeparat: hinc vis cuique particulae conciliata eſt in quadam ratione diſtantiae a centro magnetico; vis vero ſemper ſe ſecundum longitudinem ferri extendit, et maxima eſt in punƈto, cui magnes applicatus fuit.*

3) *Determinata ferri maſſa, tantum determinatam vim ab eodem magnete accipere, et tantum determinatam ſeruare poteſt, quicunque magnes illam ei communicauerit: ita, vt detur punƈtum ſaturationis, vltra quod determinatum ferrum vim ſeruare nequit: et reciproce determinatus magnes, determinato ferro, tantum determinatam vim conciliare poteſt: haec tamen ſaturationem non excedet, ita, vt fieri poſſit, vt ferrum a validiore magnete taƈtum, maiorem ſeruet vim, quam ſi minus validus in illud ageret: ſi ſcilicet ab vtroque ſaturetur.*

p. 13. His igitur propoſitis, prima huius partis ſeƈtione Noſter oſtendere conatur, cur, ſi quis magnetem per parallelepipedum quodcunque aptum ad acquirendam vim magneticam, ab vno extremo ad alterum aequabiliter ducat, eius extremum id, a quo incepit fricare, eiusdem poli, qui ad fricandum eligitur, vi impraegnetur; alterum autem extremum, alterius poli. Ait enim, quemadmodum, ſi quis polo v. c. boreali tangat tantum parallelepipedi extremum alterum, in punƈto contaƈtus, polus exiſtat auſtralis; in punƈtis autem aduerſus alterum extremum, eius vis ſenſim decreſcat

creſcat, donec in quodam puncto, centrum magneticum appellato, tota deleatur; tum rurſus negatiue, vt loqui conſueuerunt mathematici, creſcens, in altero extremo, contraria vis, ſiue poli borealis, exiſtat: ſic etiam, ſi idem polus per parallelepipedum ducatur, in ſingulis eius punctis polum auſtralem exiſtere, atque ita, cum ad alterum extremum peruenerit, in hoc polus auſtralis oriatur, neceſſario ſequi. Igitur, quoties magnes per parallelepipedum ducatur, toties quoque vim magneticam ſingula frictione acquiſitam, quaſi inuerti.

Altera ſectione, vt experimentorum ſuorum reddat rationem Cl. Auctor, ferreum parallelepipedum ſe in partes tot diſtribuiſſe aequales ait, quot requiri putaret; tum, id ita aduerſus acum magneticam in orbem circum agibilem poſuiſſe, vt parallelepipedi extremum, normaliter, ſubque angulo recto, ad acus magneticae extremum boreale duceret; in ea tamen ab ipſa acu diſtantia, qua, antequam vi magnetis impraegnaretur, in acum agere eamque attrahere non poſſet. Iam attrahi acum per aliquot gradus et declinare a ſitu ſuo, ſe vidiſſe, quamprimum parallelepipedi extremum id, quod e partibus aduerſis caderet, tactu magnetis eſſet impraegnatum, at, ductus per alias, deinceps iunctas parallelepipedi partes aliquot, celeriterque remotus, acum ſenſim rediiſſe, donec in quoddam parallelepipedi punctum, cum magnes perueniſſet, acus in eius meridianum eſſet redacta. Hoc parallelepipedi punctum, *indifferentiae primum* cum Cl. BRVGMANNO appellat. Pergendo autem ducere magnetem verſus alterum extremum, acum denuo attrahi, ante quam vero magnes extremum alterum attingeret, rurſus p. 17.

redire

redire acum in ſuum meridianum, idque in puncto indifferentiae ſecundo euenire; denique frictione ad finem peracta, acum tertia vice iam attrahi.

Verum cum haec puncta indifferentiae non aequidiſtarent ab extremis; ſed propius abeſſet primum a primo extremo, quam alterum ab altero; nec conſtantem quandam rationem eorum diſtantiae animaduerteret: hoc experimentum ſepties et vigeſies ita commutauit, vt magnetem aut intenſiori vi praeditum, aut laxiori; tum parallelepipedum aut longius, aut brevius, vel etiam aut craſſius aut gracilius adhiberet, eiusque duritiei rationem haberet. Singuli experimenti autem euentum in tabulam conſcripſit.

Sectione tertia igitur, ex comparatione experimentorum, eas, quae propter diuerſam longitudinem parallelepipedi, et magnetis fortiorem aut debiliorem vim, coguntur, leges fert. Ait enim:

p. 36. 1) Quando ſunt iidem magnetes, ſtricturae vero ſola longitudine differunt, quo longior eſt ſtrictura, ad *certum vſque terminum*, a vigore magnetis reſpectu longitudinis ſtricturae pendentem, eo maior eſt diſtantia puncti differentiae primi ab extremo, in quo frictio inchoatur, vltra hunc minor fit, aut aeque magna huius puncti diſtantia ab extremo, quam in breuioribus ſtricturis.

p. 43. 2) Quo fortior eſt magnes adhibitus, eo, ceteris paribus, eſt diſtantia puncti indifferentiae primi ab extremo, in quo frictio inchoatur, maior, vſque ad certum limitem, a relatione, quae inter ſtricturam et adhibiti magnetis vigorem datur, pendentem, vltra quem illa diſtantia etiam maior fieri poteſt, ſi debilior adhiberetur magnes.

3) Iisdem

3) Iisdem adhibitis magnetibus, ſtricturisque eiusdem craſſitiei, eſt diſtantia puncti culminantis, ab extremo, in quo ſtrictio inchoatur, eo maior, quo longior eſt ſtrictura, ad certum vſque terminum, a relatione, quae inter vigorem magnetis et ſtricturam datur, pendentem, vltra quem decreſcit, ita, vt breuior fiat in longioribus, aut aeque magna, quam in breuioribus ſtricturis. p. 45.

4) Quo fortior adhibetur magnes, eo, ceteris paribus, diſtantia puncti culminantis, ab extremo, in quo frictio inchoatur, maior eſt, ad certum vſque terminum, a relatione, quae inter magnetem et ſtricturam adhibitam datur, pendentem, vltra quem diſtantia illa minor ſit. p. 46.

5) Quo longior eſt ſtrictura, eo maior eſt diſtantia puncti indifferentiae ſecundi ab extremo, in quo frictio inchoatur, eodem adhibito magnete; verum, ſi parua ſit ſtricturarum differentia, contingere poteſt, vt illa diſtantia minor fiat: qui terminus a relatione inter magnetem et ſtricturam pendet. p. 68.

6) Quo fortior adhibetur magnes, eo, ceteris paribus, maior eſt diſtantia puncti indifferentiae ſecundi ab extremo, in quo frictio inchoatur, vſque ad certum terminum, a relatione, quae inter magnetem et ſtricturam datur, pendentem, vltra quem denuo fit minor. p. 69.

Sectione quarta, eadem ratione, ea, quae propter craſſitiem parallelepipedi diuerſam ſequuntur, examinat, haſque leges proponit:

1) Si ſtricturae diuerſae craſſitiei adhibentur, ſed eiusdem longitudinis, poſitis magnetibus iisdem, eſt aliquando punctum indifferentiae primum remotius ab extremo, in quo frictio inchoa- p. 73.

tur

tur, aliquando minus remotum in ſtricturis craſſioribus, quam in tenuioribus: quod a relatione, quae inter ſtricturam, ac magnetem adhibitum, datur, pendet.

p. 73. 2) Si ſtricturae aeque longae, ſed diuerſae craſſitiei, ac magnetes conſtantes adhibentur, eſt diſtantia puncti culminantis, ab extremo, a quo frictio inchoatur, aliquando maior, aliquando minor in craſſioribus ſtricturis, quam in tenuioribus, prout vigor magnetis, reſpectu ipſius ſtricturae, differt.

p. 74. 3) In ſtricturis diuerſae craſſitiei, ſed eiusdem longitudinis, magnetibus poſitis iisdem, eſt diſtantia puncti indifferentiae ſecundi, ab extremo, in quo frictio inchoatur, aliquando maior, aliquando minor in craſſioribus, quam in tenuioribus ſtricturis: quod a vario magnetis vigore, ſtricturaeque maſſa pendet.

p. 76. De duritie vero ferri adhibiti quinta ſectione ita exiſtimat Cl. Auctor: quando ſtricturae ſola duritie differunt, ſunt, ceteris paribus, diſtantiae amborum punctorum indifferentiae, et puncti culminantis, nunc maiores in mollioribus, quam in durioribus: quod a vigore magnetis pendet.

Sectione ſexta denique rationem etiam diſtantiae punctorum indifferentiae a ſe ipſis diſquirit; ſed cum ea tam variabilis ſit, nec tam pauca experimenta ſufficere, ad rem accurate cognoſcendam Noſter putet, nullam de hoc legem proponit. Ceterum omnia formulis mathematicis concinne demoſtrat, atque ad exprimendas in ſingulo puncto parallelepipedi vires, numeris trigonometricis, ſiue ſinubus vtitur.

V.

V.

D. CARL ABRAHAM GERHARD, *Königl. Preuſ. Oberberg- und Bauraths, der Kayſerl. Acad. der Naturforſcher und der Königl. Acad. der Wiſſenſchaften zu Berlin Mitglied,* materia medica, *oder Lehre von den rohen Arzeneymitteln, 2te verm. Auflage, Berlin* 1771. *bey Chriſtian Friedrich Himburg,* 8. *Seit.* 632.

i. e.

CAROLI ABRAHAMI GERHARD, materia medica, editio altera aucta et correcta.

Clariſſimum CARTHEVSERVM*) Noſter hic ſecutus eſt, et ex chemicis principiis explicat vires medicaminum, cum in plerisque ad partes conſtitutiuas proximas ſolum, in paucis medicamentis ad relationem, quam ad alia habent, reſpiciat, Breuitati praeterea ſtuduit et minus vtilia remedia omiſit. Atque ita duabus partibus complectitur haec materia medica, quarum altera generalis, altera ſpecialis deprehenditur. Omnibus omnino modis remediorum cognoſcendorum a Noſtro non admiſſis; nec non ipſa experientia, quae modum agendi accidentalem et indeterminatum quidem, minime tamen virtutes remediorum illuſtrat, reiecta: arbitratur, ad partes conſtitutiuas, proximas, ſolubiles potiſſimum in corpore, dein ad remotas eſſe reſpiciendum in exploranda remediorum indole; eorum autem modo agendi ſeruire varias alias auxiliatrices diſciplinas, licet varia et hic enarret impedimenta. Idcirco hiſtoriam naturalem, principia, vires vſumque medicaminum expendit.

Muta-

*) comm. noſtr. Vol. XV. p. 513.

p. 13. Mutationibus, quas medicamina in ſolidis et fluidis corporis humani producunt, ſecundum Cl. GAVBII pathologiam, et trigam ſuarum diſſertationum de irritabilitate therapiamque pertractatis: diuiſionem remediorum Noſter communicat, cuius alia atque alia ratio cernitur vel in praecipua medicamentorum actione, vel in modo ea corpori applicandi, vel in generali, aut ſpeciali vſu; denique addit quaedam de amuletis, ſpecificis et ſympatheticis: illa in ſtrictiore ſenſu largitur, haec
p. 38. vero negat. Tum elementa corporum definit Noſter, probat et diuidit cum BECCHERO, in terram et aquam, atque generales et ſpeciales re-
p. 51. cenſet qualitates. Poſtremo tradit Noſter partes corporum conſtitutiuas proximas, quas in terras ſalinas, inflammabiles et metallicas diſtributas perſequitur.

p. 71. Altera nunc parte praemittit diuiſionem medicamentorum optimam ex ſimilitudine partium conſtituentium, ex qua ad generalem vim et actionem primum concludit, dein ſpeciei ſimilis addit vſum. Ita conſiderat Noſter inter terrea, vitreſcibilia, alcalina, gipſea et argillacea, et alcalinis potiſſimum adſcribit vſum medicum, additis de eorum vſu cautionibus. Terra natroſa ſeu muriatica vires prodit antacidas in primis viis, ſpasmis abſentibus et viſcido tenaci. Cum vero omnia omnino terrea non, niſi vim antacidam habeant, ſolummodoque pro maiore minoreue ſenſibilitate et ſubtilitate agant; patet, lapides cancrorum omnibus eſſe praeferendos, excepto calcis viuae infuſo.

p. 123. Tum acida, alcalina et media ſalia, ac inter media boracem pertractat, eorumque hiſtoriam naturalem, principia, vires vſumque hic expendit.

dit. Additis quoque interea quibusdam de acido dulcibus, ad dulcia ipſa progreditur Noſter. Inter adſtringentia reperimus ſanguinem draconis. Amaris et amaricantibus radicem taraxaci et dictamnum album adiudicat. Inter amaro adſtringentia cortici Peruuiano tribuit Noſter vires, omnibus huius ſectionis medicaminibus competentes, praecipue vero roborantem, febrifugam, antiputridam, pendentes a vi adſtringente, eiuſque actionem a gummoſis et reſinoſis particulis fixis deriuat: nec non viſcum quernum et inprimis corticem ſalicis fragilis plane aequiparat cortici Peruuiano. Vuae vrſi ineſt virtus roborans, antiputrida, diuretica et leniens, dolores ſolum a calculo, imminuendo ſenſibilitatem et irritabilitatem renum vi ſua adſtringente: ideoque eiusdem vſum continuatum in calculoſis ob noxam diſſuadet. Herbae linneae vſus cernitur in catarrhalibus, viſcidis pectoris, rheumaticis ac arthriticis; ſed cautus. Finiunt demum hanc ſectionem grana chermes et coccionella.

De acribus in genere, vt radice hellebori albi p. 330. et perſicaria acri, arnica, cet. a Noſtro praemiſſis, acria purgantia et vomitoria pertractantur, inter quae et linum catharticum commemoratur. Poſtea ad vaporoſa, vt cicutam, ſemina papaueris, opium, cet. progreditur: quae ſequuntur medicamenta aromatica et balſamica, quorſum refert Noſter radicem iridis Florentinae, cet. nec non gummata, vt gummi kikekunemalum, look et galda, quae tres gummi reſinae, reſpectu plantarum, ex quibus obtinentur, et quoad originem ſuam, plane adhuc ignotae ſunt. Prius et vltimum ex America, alterum ex Iaponia ad nos deferuntur, vtrique priori magna vis neruina, roborans et diſcutiens, et primo antiſpaſmodica et vltimo in-

primis ineſt aperitiua. Semini ſantonici ſubſtitui poteſt ſemen ruthae, tanaceti. Vanigliae, adſcribit virtutem balſami Peruuiani, quocum conuenit, irritantem ſi excipias. Camphora gaudet virtute commouente, irritante, anodyna, antiſpaſmodica, diſcutiente, reſoluente, purificante, temperante, antiputrida et diaphoretica.

p. 559. Sequuntur medicamenta oleoſa, vnguinoſa, pinguia, mucilaginoſa et gelatinoſa, et addit his gelatinae proportionem ad aquoſas et terreſtres partes variam variorum animalium. Inter medicamenta metallica in quinto capite pertractat Noſter mercurium, cuius vim medicam internam a grauitate ſpecifica; externam vero a leuitate deriuat: ideoque, cum in canali fluida ſpecifice grauiora in axi, ſpecifice leuiora ad peripheriam, magis ſe moueant, atque cum arteriae carotides, ſanguinem ad caput vehentes, cum axi cordis fere in vna linea oriantur, neceſſe eſt, vt particulae mercuriales, in eas praecipue intrantes, ad caput delatae, irritationem, ob grauitatem, in glandulis ſaliualibus producant. Decocti mercurialis vim anthelminticam tribuit acido vitrioli, cuiuis aquae communi, quo quid mercurii ſoluitur, ideoque in turpethum minerale mutatur. Cinnabari et aethiopi omnes denegat Noſter vires et ſulphur inefficax iudicat. Vltimo conſiderat Noſter aquas, ac primum quidem communem, dein aquas minerales ſoterias, additis nonnullis cautelis in earum vſu.

VI.

VI.

Iournal de médécine, chirurgie, pharmacie etç. par M. A. ROVX, docteur régent de la faculté de médécine de Paris, cet. Tom. XXXI, à Paris 1769. chéz *Vincent.* 8. Alph. 1. pll. 13. t. aen. 1. Tom. XXXII. 1770. Alph. 1. pll. 13. Tab. aen. 1.

i. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, cet. pertinens, auct. Cl. A. ROVX Tom. XXXI et XXXII.

Deligemus ex menſe iulio 1769. ea, quae notatu digna videntur. Tom. XXXI. p. 21.

2) *Super fluxum catarrhalem veſicae vrinariae*, differit Cl. PLANCHON. Non ita rarum hunc morbum, quem Cl. HOFFMANNVS voluit, iudicat Noſter, cum hactenus non ſatis attente obſeruatus, vel non ex humore catarrhali, ad parietes veſicae vrinariae, vel vrethrae per metaſtaſin depoſito, deriuatus ſit. Cl. LIEVTAVD *), et LANDEVTTE **), duces ſecutus eſt, qui ſub finem coryzae ſtranguriam, iam in iſchuriam procliuem, obſeruarint. Id quod Noſter exemplo feminae ſexaginariae illuſtrat, quae, febre catarrhali epidemica correpta, ſtranguriam denique grauem experta eſt: hac, iuſtis remediis cedente, ſedimentum mucoſum vrinae, pituitae narium haud abſimile, apparuit; quo tamen morbo penitus liberata

*) vid. *Synopſ. med. pract.* p. 386. comm. noſtr. Vol. XV. p. 219.

**) vid. Iourn. de médécine Tom. XXVI. p. 136. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 309.

berata eſt. Cum vero materia rheumatica, vel catarrhalis a tranſpiratione ſuppreſſa deriuetur, et in contextu cellulari ſedem habeat; eam ex cellula in cellulam abire, et ſic ad vias vrinarias deuenire multo probabilius Noſtro videtur, quam ſi eam, ad circulum humorum reductam huc per metaſtaſin auctores ducant.

p. 35. 3. Obſeruatio *de taenia* Cl. LABORDE. In virgine ſana et vegeta hoc miratu dignum fuit, eam fragmentis taeniae, variae magnitudinis, varioque tempore excreuiſſe, ſuamque bonam et vegetam formam, ſub ipſis etiam verminoſis taeniaeque ſymptomatis retinuiſſe.

p. 47. 5. Litterae, ad auctorem *animaduerſionum ſuper malum hyſtericum* directae, auct. Cl. LAVGIEV. Hunc alii antiſpasmodicis, alii tonicis, alii denique humectantibus relaxantibusque curant morbum. Tres has methodos in aliis aegris laudat Noſter, in aliis improbat, rationibus quidem
p. 56. haud vulgaribus. Hinc ſuam, qua in his morbis hyſtericis cum fructu vtitur, communicat methodum, vbi ſolidis tonum reſtituit, digeſtionemque reſtaurat: his enim ſtabilitis, curam abſolutam; iis vero neglectis palliatiuam eum tantummodo eſſe putat. In quo vero haec ſua methodus conſiſtat, vlterius perluſtrat.

p. 80. 8. Obſeruatio *ſuper denudatione oſſis*, auct. Cl. MARTINO. Denudatum os, i. e. perioſteo ſuo priuatum, non, niſi exfoliatione facta, poſſe curari hactenus plerumque docuerunt auctores; cuius vero contrarium Noſter duobus exemplis monſtrat. Plaga enim quadam alii coronalis oſſis ea pars, quae intra tubera ſitum habet; alii parietale os denudata erant. Vterque aeger ſola deligatione ſicca plane a Noſtro reſtitutus eſt. Labiorum enim vulnerum ſic reunionem optime praeſtitit,

ſine

ſine eo, quod, exfoliatio expectanda, vel ſympto-ma vllum ſubſecutum eſſet. Vtramque quoque methodum per ſpirituoſa aeque, ac ſuppurantia re-iicit, in ſola deligatione ſicca acquieturus, cum pus, ſenſim praeparatum, omnia balſama et dige-ſtiua longe poſt ſe relinquat.

Ex menſe anguſto haec communicamus:

1. *Transactionum medicarum, a collegio medicorum Londinenſium communicatarum, Volumen I.* *). p. 99.

2. Commentarius *vſum emeticorum in morbis acutis probans*, auct. Cl. BALME, M. D. Tota haec diſputatio contra Cel. DE HAEN directa eſt, qui **), vomitoria omnia, praecipue in morbis acutis ex claſſe remediorum proſcribens, iis humectantia, attenuantia, inuiſcantia cet. ſub-ſtituens, emeticorum commendationem, nec ex HIPPOCRATE ***), nec ex methodo Boerhaaui-ana, patere defendit. Cuius quidem fallacias No-ſter detegens Ill. DE HAEN ita refellit, vt HIP-POCRATIS aphoriſmum examinans, contrarium HAENIO demonſtret, eique Cl. BOERHAVII, verba ****) opponat. Ex quibus omnibus clare pateat, nec HIPPOCRATEM, neque BOER-HAAVIVM, vel in morbis acutis emetica repu-diaſſe; multo minus nobis ab iisdem, iuſta qui-dem formata indicatione, etiam praeſentibus in-terdum contraindicantibus, abſtinendum eſſe: p. 123.

 prae-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 195.

**) Rat. med. Tom. I. Pars I. c. 2. Pars III. c. 1. §. 1. Tom. V. Pars X. cf. comm. noſtr. Vol. XII. p. 127.

***) Aphoriſm. 22. Sect. I.

****) In innumeris ergo morbis, tum *acutis* tum chronicis proſunt haec medicamenta vomitoria. Mat. med.

praeſertim cum exempla proſtent *), emetica in vomitu cruento, vel vulnerato ventriculo optimo cum fructu data fuiſſe. Quod denique argumentum vlterius et ſatis ample perſequitur, morbos eiusmodi acutos cum eorum contraindicantibus recenſet, iuſtum tempus emetici definit, et ex methodo aliorum medicorum feliciſſima vſum vomitoriorum, non contemnendum, comprobat.

p. 156. 4. Obſeruatio *duorum fetuum, membrana communi incluſorum*, auct. Cl. LEAVTAVD chirurgo. Rariſſime quidem hoc phaenomenon obuenire concedit Noſter, vt inde quoque Cl. MAVRICEAV **), iure affirmare poſſet, fetuum, ſi plures in vtero reperirentur, quemlibet peculiari ſua membrana incluſum eſſe. Interim Noſter abortum trimeſtrem vidit, vbi duo fetus ſeparati quidem, funiculo vmbilicali vni placentae alligati, et membrana vna et communi incluſi eſſent. Quoties vero hoc phaenomenon appareat, toties quoque embryoni letale eſſe probat, cum funiculus ſemper umbilicalis, alteri inuolutus fetui ſuffocationem inducat.

p. 158. 5. Obſeruatio *de vana virtute ſeminis hyoſcyami, externe applicati*, a Cl. DESPREST. In virtute ſeminis hyoſcyami, quam Cl. LABROVSSE ***) eam voluit, vt granum, prunis iniectum, dolores dentium leniret, et ex dentibus carioſis, vermiculos expelleret, quorum ipſe plures vidiſſet, Noſter ſtudioſius inquirens, nec eam virtutem probatam vidit, neque eiusmodi vermiculos egreſſos obſeruauit; quin potius filamenta, vermiculis non multum abſimilia, detegeret, quae iuſtio-

*) Hiſt. de l'academ. roy. des ſciences de Paris an. 1715 et 1725.

**) Livre des accouchémens.

***) Iourn. de médéc. Tom. XXIX. an. 1767. p. 503. vid. comm. noſt. Vol. VI. p. 16.

iuſtiore examine filamenta, ad inſtar piſtilli plantae, altero fine bifurcata, falſo orificium inſecti credita, quae ex ipſo ſemine hyoſcyami prouenirent, intellexit.

8. Obſeruatio Cl. MARTIN *de membrana tympani.* Cum interdum accidat, vt et in ſtatu ſano membrana tympani, quam RIVINVS ſemper perforatam voluit, aperta obſeruetur, tribus exemplis Noſter phaenomenon hoc illuſtrat, non, quod ſemper et in ſtatu naturali obueniat; ſed quod per morbum inductum fuerit foramen, et, reſtitutis etiam aegris, membrana aperta manſerit, ſine eo, vt auditus laederetur, niſi in vltimo, vbi iſte quodammodo imminutus obſeruaretur. Hinc fallaciam eiusmodi patere putat, quam quosdam in eius aperturae naturalis praeſentia demonſtranda, commiſiſſe conſtat. p. 158.

Haec communicamus, ex menſi ſeptembri:

1. Continuatio *transactionum medicarum Londin. Vol. I.* *). p. 195.

2. Commentarii Cl. BALME, *de vſu emeticorum, in morbis acutis haud reiiciendo* pars ſecunda. Pergit Noſter in exponenda et definienda virtute emeticorum. Fuere, qui vomitoriis purgantia ideo ſubſtituerent, cum primo ſaburra primarum viarum his eliminaretur: praeſente deinde turgeſcentia humores crudi euacuarentur: purgantia porro naturae leges ſequerentur, quippe quae, peracta coctione, ſcybala deorſum ducerent: ea tandem vomitoriis minus vehementiora eſſent cet. His vero argumentis examinatis ſolutisque, bonitatem et praeſtantiam emeticorum probat. In ipſa grauiditate ſeptimeſtri Noſter vomitorium, optimo cum ſucceſſu adhibuit. Femina enim, p. 220. p. 237.

*) vid. ſupra pag. 471.

magna copia pyrorum ingeſta, vanis continuo conatibus vomendi aliisque grauibus ſymptomatis, morti proxima erat. Ex graui contraindicante Noſter meticuloſus, aliis, hunc in finem commendatis remediis fruſtra vſus eſt, vſque dum ad tartarum emeticum confugere auderet, eoque optimum et ſperatum, ſine omni noxa ſubſecuta, haberet euentum.

p. 257. 4. Commentarius Cl. AVBRAI *ſuper defectu ani.* Impeditur excretio moeconii quintuplici modo. Vel enim anus membrana quadam praetenſa praecluditur *), vel cutis nimis prolongata anum obtegit **), vel orificium ani ita interdum coanguſtatur, vt excrementa non, niſi guttatim, vel filamentorum ad inſtar perrumpant ***). Inteſtinum nonnunquam rectum veſicam vrinariam ****), vaginamque †), intrat, aut per ipſum os ſacrum exit ††) Vel denique, quod rariſſime obueniat, ipſum inteſtinum rectum totum vel ex parte deficere videtur †††). Hanc et quartam ſpeciem, omni auxilio chirurgico maiores iudicat; priores vero iuſta operatione curari poſſe contendit.

p. 269. 5. Cl. BEAVSSIER obſeruatio, *de amputatione femoris, per triginta duo annos carioſi, et de arteria quadraginta poſt operationem dies rupta.* Tota deſcriptio huc redit. Aegrum quendam quinquaginta ſeptem annorum, ante triginta circiter annos

*) Mém. de l'acad. roy. de chirurgie, 12. Tom. II.
**) BONET Paraleipom. ad lib. III. Sect. 14. SERVIARD obſ. 3.
***) SCVLTET. armament. obſ. 71.
****) FABR. HILDAN cent. I. obſ. 75.
†) HEISTER inſtitut. chirurg. p. 1106.
††) DE LA FAYE principes de chirurgie.
†††) Mém. de l'academie roy. de chirurgie, Tom. II. p. 245.

annos variolis malignis confluentibus laboraſſe, ex iisque metaſtaſin ad femur factam eſſe, quae integumenta ſenſim, muſculoſque depaſceret, totumque fere os carioſum redderet, ita, vt hoc pede amplius vti non poſſet. Hinc per multos annos varie a variis, ſine vllo iuuamine tractatus, tandem ad Noſtrum acceſſit, qui, etiamſi malam formaret prognoſin, operationem feliciſſimo euentu inſtituit. Nec haemorrhagia, poſt quadraginta dies ex arteria rupta inſignis obueniens, aegroque mortem minans, iuſtae et integrae reſtitutioni obfuit.

Menſis octob. haec notatu digna offert:

2. Obſeruationem *de angina gangraenoſa*, auct. Cl. MARTEAV. Noſter ad aegrum, quinquaginta duorum annorum, angina graui laborantem quarto die accerſitus, anginam hanc ex ſymptomatis, praecipue aphonia, poſt tuſſim conuulſiuam gangraenoſam iudicans, peſſimam formauit prognoſin. Interim tamen, looch ex ſyrupo altheae cum oleo amygdalarum dulcium, camphora admodum ſaturato aegro dedit, veſicatorium collo ſtatim applicuit, venaeſectionemque, per noctem iteratam, inſtituit. His medicamentis ſuccedentibus, membranae aſperae arteriae internae ſolutae ſub magna tuſſi exſcreationeque copioſiſſime eiiciebantur, vſque ad vndecimum diem. Aeri atmoſphaerico, ſuperficiem aſperae arteriae internam nudam valde irritanti, vaporibus ex decocto emolliente obuiam iuit: febrem adhuc magnam venaeſectione denuo inſtituta infregit; quae tamen ſexto die remittens ſudorem criticum produxit, quem Noſter ſale eſſentiali chinae cum balſamo ſicco Peruuiano, camphora et balſamo de Canada in forma boli adiuuit. Symptomata, ſenſim imminuta, decimo p. 302.

die

die plane ceſſarunt, aegerque reſtitutus eſt, niſi difficultate vocis relicta, quae tamen quoque vndevigeſimo die ſoluta fuit.

p. 350. 4. Obſeruatio, *de hydrope peritonei*, EIDEM communicata a Cl. ANDRIEN, chirurgo. Quinquagenaria, per omnem vitam iuſto tempore catamenia celebrans a decimo quinto ante mortem anno dolorem infimi ventris ſenſit. Abdomine, paulo poſt tumido, omnibus tamen corporis functionibus recte interfuit. Punctura quinque annis poſt, Cl. COLLINGSON ſuaſore, non admiſſa, ſexto ante mortem menſe abdomen adeo intumuit, vt nullam fere amplius actionem ſubire poſſet. Aperto cadauere, ducentae et quinquaginta librae aquae limpidae et inodorae per puncturam, in vtroque latere inſtitutam, effluxere. Viſceribus infimi ventris omnibus, quod diſſectoribus mirum videbatur, ſanis, nulloque veſtigio morbi in cauitate abdominis reperto, ingentem hanc copiam aquae in duplicatura peritonaei contentam fuiſſe poſtea patuit: lamina enim peritonei interna a celluloſa membrana et muſculis, quibus adhaeret, ſeparata, non, niſi lineae albae adhaeſit. Siti fere nulla aegra vrinae excretionem, ad mortem vſque copioſam habuit.

p. 366. 7. Literae, *ſuper aneuryſmate ſpurio arteriae cubitalis* a Cl. AVRRAN, ad Cl. MARTIN miſſae. Arteria cubitalis, pollicem infra flexuram cubiti laeſa, magnam haemorrhagiam produxit: Qua vero ab aegro digitis preſſa, ingens copia ſanguinis intra interſtitia muſculorum antibrachii effuſa, nec deligationibus, neque faſciis comprimentibus coerceri poterat, quin potius et decimo quinto die haemorrhagia adhuc aderat: Hinc operatione a b. LE CAT facta, tumor non, niſi ſanguinem grumoſum coagulatum continuit: deligatione

ne iuſta applicata, ſuppurationeque ſenſim ſuccedente cum pure primum bruno, poſtea naturali aeger plane reſtitutus eſt.

Haec ex menſe nouembri excerpimus:

3. *Deſcriptio noui inſtrumenti chirurgici ad corpora peregrina ex oeſophago extrahenda, alimentaque et medicamenta liquida in ventriculum iniicienda*, auct, Cl. DE BEAVVE. Appellat Cl. Auctor inſtrumentum hoc *oeſophageum* tum, cum corpora peregrina ex oeſophago educit; et, ſi liquida eo in ventriculum ingeruntur, *cannulam oeſophageam*. Adiectae ſunt quatuor figurae aeneae, quarum prima *oeſophageum apertum*, offert inſtrumentum; altera *cannulam oeſophageam* oſtendit. Adiicitur in figura tertia *ſirynga*, per quam, canulae appoſitam, liquida iniiciuntur, et in quarta *ſpeculum oris*, quod interea os apertum ſeruet. Pleniori ideo non immoramur deſcriptioni, cum et delineatione melius conſpici, et ſine ea imperfecte tantum intelligi ea poſſint. p. 431.

4. Epitome literarum, Cl. KECK *de emendatione ſpecilli* Cl. LEVRET, *ad ligandum veteri polypum*, a Cl. DVMONCEAV. Ligaturam polypi per torſionem, etſi cuilibet methodo praeferendam; multis tamen premi difficultatibus conſtat: quibus etiam Cl. LEVRET nouo ingenioſo inſtrumento obuiam ire credidit, cuius hiſtoria et deſcriptio ſupra *), patuere. Adiungit Noſter ſpecillo duo parua manubria, per quae cuneus ligneus cum foramine, in eius media parte, per quod fila traiecta ſunt, ducitur, vt inde tendi fila laxarique poſſint. Sed ex icone adiecta compoſitio melius et clarius intelligitur. Obiectiones ſub finem Cl. DVMONCEAV ſoluit. p. 440.

5. *Re-*

*) vid. Iourn. an. 1768. menſ. decembr. p. 538.

p. 444. 5. *Reſponſio* Cl. DEMOVRS, *ad literas*, Cl. DESCEMET. Analyſin eandem, quam Cl. DESCEMET, ſuper Cl. Auctoris literas, ad Cl. PETIT miſſas, inſtituit *), Noſter circa theſes chirurgicas, Cl. DESCEMET anno 1758. defenſas, eiusque commentarium *de choroidea* **), in ſe ſuſcipit. Summa huc redit: Laminam cartilagineam corneae, a Noſtro in literis ſuis deſcriptam, et quoad originem et quoad magnitudinem prorſus a membrana Cl. DESCEMET humoris aquei differre. Deinde non in vtroque eius ſcripto quidquam inueniri, quod cum vſu, quem Noſter ſuae membranae tribuit, conueniat. Noſtrum denique longe ante Cl. DESCEMET communicationem huius

p. 461. partis cognitam habuiſſe. Cum Cl. DESCEMET camerae oculi adeo cognitae ſint; problema hoc ad ſoluendum traditur: *vt vſum camerae tertiae humoris aquei, in quibusdam animalibus conſpiciendae, determinet.*

Delibamus haec ex menſe decembri:

p. 483. 1. Epitome *conſeruationis infantum* Auct. Cl. RAVLIN ***).

p. 508. 2. Deſcriptio *anginae epidemicae et gangraenoſae ſub finem* 1765. *et initium* 1768. *in quibusdam Galliae locis ſaeuientis*, a Cl. PLANCHON. Epidemia haec, vtplurimum infantibus fatalis, ex tranſpiratione ſuppreſſa ortum ducens ſub angina inflammatoria cum exanthemate rubro, quod rubeolos dixere, manifeſtabatur. Deglutitione ſub initium non impedita, pituita alba, mucoſa, tenax et foetida circa vnam amygdalam, mox alteram

*) vid. Iourn. de médéc. Tom. XXX. menſ. april. p. 333.
**) vid. Mémoir des Scavans étráng. Vol. V. an. 1768.
***) vid. comm. noſt. Dec. II. Suppl. I. p. 97. cet.

ram et velum palatinum cet. occupans, quae, niſi aufferretur, ſuffocationem minabatur, prodiit: Febris vtplurimum altero, vel tertio die accedens eruptionem produxit; haec vero motibus conuulſiuis et ipſa epilepſia interdum ſtipata eſt, nec tum ad ſtatum peruenit; ſudores autem accedentes critici erant: humores excreti, ita acres cutim corrodebant: pulſu celerrimo et paruo, ſitique ingenti, lingua viſcido albo obſeſſa erat: verſus decimum vel decimum quartum diem ſudores critici vel diarrhoea morbum leuarunt. Adulti ſenſim hoc morbo afficiebantur. Indole eiusdem paullatim mutata, iam inflammatoria, iam putrida erat. Venaeſectione, ſub ipſa eruptione adminiſtrata, aegri ſaepius peribant; ea vero iuſte adminiſtrata, vomitorioque et purgante datis morbus remittebat. Gargariſmata emollientia, reſoluentia et temperantia deglutitionem faciliorem reddidere; externe cataplasmata reſoluentia applicata conducebant: quibus vires depreſſiares erant, venoeſectio noxia, emeſis melior cum ſcarifatione amygdalarum iudicabantur: febrem increſcentem veſicatorium, nuchae applicatum, imminuit: decreſcentem morbum purgans eo celerius terminauit. Tumor capitis hic vt plurimum conſpicuus per diuretica et purgantia hydragoga admodum leuatus eſt. Adiiciuntur obſeruationes nonnullae et literae, Cl. DESWATINE ſuper eadem epidemia. p. 514. p. 528.

3. Obſeruatio Cl. MICH. ARNAVD, *de metaſtaſi critica, poſt variolas ad os ſacrum facta.* Femina 24 anorum, ſymptomatis omnibus variolarum, tunc temporis graſſantium, affecta a chyrurgo, quem conſuluit, non ita bene tractabatur, vt etiam eruptio, quam ex febre graui magnam et copioſam ſuſpicabantur, veſiculas quidem, in variis locis conſpicuas, ichore vero gangraenoſo, p. 536.

plenas

plenas produceret. Per duos deinde fere menſes aegra continuo delirans, diarrhoea iam accedente critica cum materia nigra peſſimeque foetente, a chirurgo nunc deſerta ſibi ipſi relinquebatur: vbi, diaetae erroribus commiſſis, decubitus materiae ichoroſae foetidae, ad femur ſiniſtrum, cum vlcere fiſtuloſo ad partem poſteriorem oſſis ſacri factus

p. 538. eſt. Hic Noſter accedens, aegram cum pulſu paruo, abdomine tumido et ſphinctere veſicae vrinariae relaxato, vt etiam incontinentia vrinae adeſſet, inuenit triſtiſſimam. Suppuratio in femore, iam per quatuor dies ceſſans, vtrumque femur valde tumidum, durum, et hinc illincue paruulis tumoribus obſeſſum reddidit. Vlceris fiſtuloſi ad os ſacrum Cl. Auctor primum curam habens, partes omnes fere gangraenoſo ſphaceloſas cum tribus ſinubus, quorum tertius inteſtinum rectum perforare minabatur, detexit: his ex regulis chirurgicis iuſte tractatis, melior facta eſt aegra. Ad

p. 541. miasma porro varioloſum, vt cauſam morbi, corrigendum, analeptica bona cum cortice Peruv. interne adhibuit: his et aliis antiputridis, cum crebrioribus balneis adminiſtratis, ita aegra reſtituta eſt, vt negotiis ſuis bene fungi poſſet. Ex ma-

p. 545. lo hoc variolarum euentu inſitionem variolarum, a funeſtis his ſequelis liberam, omnibus admodum commendandam eſſe coniicit.

In Tomo XXXII. ea continentur.

Tom. XXXII. Menſis ianuarius 1770. haec habet.

1. Epitome *ſynopſeos vniuerſae praxeos medicae*, cet. Auct. Cl. LIEVTAVD *).

p. 13. 2. Literae Cl. AVCANTE, ad Cl. ROVX, *de fetu quodam monſtroſo.* Canis femina quater catulos

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 219.

catulos monſtroſos cum ſanis ſimul peperit. Primo enim partu quatuor ſani et duo monſtroſi erant, quippe quibus duo pedes poſteriores deficerent, et labio leporino inſtructi eſſent. Altero vnum ſanum quatuor eodem modo monſtroſi comitabantur: tertio quatuor iidem monſtroſi et quarto demum vnus ſanus tres eosdem monſtroſos ſocios habuit. Monſtroſum Noſter quendam alere non potuit, cum ſugere nequiret. Colligit Cl. Auctor ex hoc phaenomeno, deformitates infantum recens natorum, non imaginationi maternae; ſed malae conformationi vteri tribuendas eſſe, ex cuius nimirum complicatione euolutio partium embryonis impediatur.

4. Obſeruationes Cl. MARTEAV, *ſuper malo hyſterico, per corticem Peruuianum aliaque antiſpaſmodica, tonica et roborantia curato.* Noſter contra Cl. POMME' *) diſputans, curas ſuas non miraculoſas aliis, qui aliam viam eligunt, non opprobrio obiicit, nec omnes morbos hyſtericos ex vna eademque methodo tractat; neque nomina aegrorum addit, cum nondum iure eo priuatus ſit, quod dictis ſuis fides habeatur, nec, quia ſibi ab aegris ſuis eiusmodi poteſtas facta ſit. Decem recenſet hiſtorias aegrarum, vtplurimum ex non iuſte ſuccedente fluxu menſtruo hyſtericarum, quibus cauſſis morbi variis, vario modo ſublatis, ſanitas bona et iuſta reſtituta fuit. Balnea ex aquis martialibus, corticem Peruuianum; radicem ſerpentariae Virginianae, moſchum aliaque antiſpasmodica et roborantia valde vtilia expertus eſt. p. 25.

5. Literae Cl. ROBIN ad Cl. COCHV *de ſectione cadaueris haemorrhoidarii.* Aeger triginta circi- p. 44.

*) Traité des Affections vaporeuſes. vid. comm. noſtr. Vol. X. p. 611.

circiter annorum, copioſas haemorrhagias narium infans paſſus, iisque poſtea ex ſuctione fumi tabaci ceſſantibus, haemorrhoidarius factus ingentem copiam ſanguinis per fluxum periodicum regularem amiſit. Variolis paullo poſt ſuperuenientibus, iisque male tractatis, fluxus regularis ordinem non amplius ſeruans; ingenti tamen euacuatione ſanguinis aegrum admodum debilem reddidit; a Noſtro vero iuſte tractatus, ſymptomata funeſta euanuerunt, fluxusque iterum regularis et minus copioſus factus eſt. Per grauem deinde errorem, cum tempeſtati ingratiſſimae ſe imprudenter expoſuiſſet, rebus eius peioribus redditis, tandem
p. 48. mortuus eſt. Cadauere aperto, magna copia aquae in cauitate thoracis, maiorque in pericardio inuenta eſt: cor iuſto maius; pulmones flaccidi, ſanguineque pallido albeſcenteque referti erant. Omnibus fere infimi ventris viſceribus ſanis, vena caua magnitudine inteſtinum rectum aequauit, ſanguineque pallido plena. Aegrum hunc adhuc viuum non vltra decem vncias veri ſanguinis habuiſſe Noſter ſuſpicatur.

p. 50. 6. Obſeruatio, *polypi vterini cum methodo facillima, eum per ligaturam curandi*, Auct. Cl. HERBINIAVX. Femina anno 1761. partu feliciter abſoluto, anaſarca, poſtea, languore aliisque funeſtis ſymptomatis vexata, nec ab vllo medico, quos varios conſuluit, adiuta, ad Noſtrum tandem anno 1767, d. 27 maii, ex conſilio medici ſui familiaris acceſſit, qui ſtatum aegri luſtrans polypum in vtero ſuſpicatus eſt. Aegra, morti proxima, polypum, ad inſtar capitis infantis, digitis Cl. Auctoris inquirentibus obtulit. Durus ille fuit et inaequalis totamque vaginam repleuit: Noſter cum ſumma difficultate ad orificium vteri internum perueniens pedunculum eius, brachii magnitudinem

aequan-

aequantem, et ex vtero ipſo egredientem detexit, cuius radicem ex ſignis, quae aegra Noſtro communicauit, ad latus ſiniſtrum fundi vteri circa originem ligamenti rotundi eſſe coniecit. Operationem Cl. Auctor, cui ipſa aegra lubenter ſe ſubiecit, inſtituit. Cum vero hic in eiusmodi ingenti polypo inſtrumenta Cl. LEVRET non ſufficere viderentur; aliam methodum, quam multo ante ſibi finxerat, elegit, adhibuitque duo noua inſtrumenta, quae *ſerre-noeud* et *porte-anſe* vocat, quaeque cum ipſa methodo applicandi fuſius deſcribit *). Ita aegram, quae primis diebus vehementiſſimos dolores ſentiret; poſt ſextum vero, accedente ſuppuratione copioſa, imminutaque febre, multo tranquillior redderetur, prorſus reſtituit, vt die decimo tertio, radice polypi ſoluta, totoque corpore eius propulſo, ab omnibus ſymptomatis libera, ſuis iuſte fungeretur negotiis. p. 57.

Menſis februarius notatu digna continet:

1. Epitome *tractationis methodicae et dogmaticae de podagra* cet. Auct. Cl. PAVLMIER. Diuidit Cl. Auctor ex mente aliorum, podagram in calidam, *inflammatoriam* ſ. *eryſipelaceam* et frigidam, *oedematoſam*. Materia peculiaris, in ſanguine nata, et ad partes, vbi effectis ſuis manifeſtatur, delata, cauſſam proximam refert. Occaſionem ei praebent ſex res nonnaturales, in quarum iniuſto vſu cauſſas antecedentes ſ. externas, quas vocat, inuenit, inter quas haereditas nullam curationem Noſtro admittere videtur. In podagra inflammatoria haec ſibi indicari videntur, vt primo ſpa- p. 99.

*) Apparatum non multo abſimilem Cl. KECK in hoc diario anni 1768. menſe decembri, inſtrumentumque delineatum 1679. menſe nouembri inuenies.

ſmum, per applicationem hirudinum reiteratam ſoluat: partibus deinde, per ſeceſſum materiae podagricae debilitatis, tonum reſtituat, ne ſymptomata redeant: cauſſam denique cooperantem per iuſtam diaetam iuſtaque remedia remoueat. Eua-
p. 103. cuationem materiae podagricae per ipſum locum affectum, per hirudines, ſcarificationes vel etiam cauteria admodum neceſſariam eſſe teſtimonio celebrium Auctorum, quos refert, et ex ipſa ſua experientia probat, vbi hirudines ſolae, quarum praeſtantiam ex principiis phyſicis et mechanicis ipſumque mechaniſmum examinat, ſatisfacere Noſtro videntur. Obiectiones, forte hic oriundas, rite ſoluit, oſtenditque, ſanguiſugas in inflammatoria non ſolum; ſed in eryſipelacea etiam conducere; cum ipſae vero non ſemper inflammationibus ſufficere videantur, venaeſectiones aliaque iuſta re-
p. 112. media addenda eſſe ſuadet. Iſchiadem, morbo noſtro analogam, in *veram* et *ſpuriam* diſpeſcit. In illa ſedes mali in ipſa articulatione capitis femoris, vel in ipſis tunicis nerui iſchiadici haeret; haec humorem morboſum in membranis muſculorum habet: abſentia febris, tumoris, ruboris et tophi morbum hunc a podagra diſtinguunt. Venaeſectiones in brachio, vel ſi plethora adeſt, in pede, ſcarifationes in loco affecto, hirudines, rubefacientia vel etiam veſicatoria in lumbis et femoribus ſuadet; vel etiam in malo habituali cauteria. Spuriam plerumque ſuſtulit per ſola balnea ex vua-
p. 115. rum ſucco parata. Rheumatiſmus, podagrae non abſimilis, in *arthriticum* et *ſimplicem;* in *vniuerſalem* et *partialem* diuiditur. In morbo habituali induſia ex panno aſpero, et in partiali hirudines commendat. Species reliquas podagrae, quas fuſius recenſet, omittimus.

4. Ob-

4. Obſeruatio Cl. DVPONT *de abſceſſu renum,* p. 135.
ſponte rupto et per ſe curato. Puer duodecim annorum, colica nephritica affectus, nullis adhibitis remediis leuatus, duodecim diebus poſt magnum ſonum, rupturam membranae cuiusdam indicantem, percepit. Doloribus iam ceſſantibus, hypogaſtrium aeque, ac ſcrotum rubuere, inflammataque per quinque dies manſere. Iam vero duabus aperturis, ad raphen altera, altera circa annulum lateris ſiniſtri ſponte factis, magna copia puris effluxit, vrina non commixta, quae pura per vrethram et foramen ad raphen ſeorſim exiit. Symptomatisque peſſimis ſubſecutis de aegro deſperatum eſt; praeter omnem vero ſpem ita per ſe conualuit, vt, materia purulenta ex abſceſſu renis ſiniſtri ſub membranis muſculorum, ligamento POVPARTII ad perinaeum et darthos deſcendente, copioſius euacuata, vrinam iam per hanc artificialem aperturam aeque ac per vrethram excernat.

6. Obſeruatio *paſſionis iliacae* a Cl. BVREL. p. 140.
Vir triginta quinque annorum temperamenti melancholici, debilisque conſtitutionis, ab ineunte aetate doloribus vehementiſſimis in regione iliaca ſiniſtra cum conſtipatione alui, vomituritione et febre affectus, per copioſas paullo poſt euacuationes aluinas materiae durae tenacisque, his ſymptomatis liberabatur. His periodice recurrentibus, et a Noſtro ſemper leuatis, anno 1768. eiusmodi grauem inſultum aeger expertus eſt, qui nec optimis medicinis cederet, potiusque in dies augeretur, ita, vt quinto die, cum ob continuum vomitum ſingultumque, qui materiam faeculentam redolerent, ne quidquam ingerere poſſet, morti proximus a Noſtro iam crederetur. Corticis tandem Peru- p. 145.
uiani infuſum cum manna, confectione hyacinthi et ſale volatili viperae cochleatim ingeſſit;

horisque duabus poſt, cum vomitu non reiiceretur, alteram decoctionem chinae ſine purgante ſubiunxit, quibus euacuationes aluinas copioſas habuit: hisque per aliquot dies continuatis aeger optime conualuit. Hinc patere Noſtro videtur, materiam in hoc morbo, vomitu reiectam, feculentam non ipſas feces ex inteſtinis craſſis eſſe; ſed alimenta eo facilius hoc foetore imbui, quo diutius in inteſtinis tenuibus morentur, quoue plus caloris et humorum, alimenta corrumpentium, in paſſione iliaca obſeruentur.

p. 157. 9. Obſeruatio Cl. BEAVSSIER *de aneuryſmate arteriae ſplenicae, cuius parietes oſſificati erant.* In cadauere feminae 60 annorum, cuius aortam et venas crurales ad partes genitales praeparandas maſſa ceracea iniecit, eam per totam arteriam ſplenicam non penetraſſe Noſter vidit. Detexit nimirum eam dilatatam, et in medio eius ex aorta verſus lienem curſu tumorem peculiarem, nucis paruae magnitudinis, qui latera arteriae oſſea oſtenderet; et aequalis, ſed paullo minor ante lienem conſpiciebatur. Perſequitur poſtea Cl. Auctor cauſſam aneuryſmatis oſſificationisque, quas ex hypotheſi Cl. DVHAMEL et HALLER, cui ad-
p. 163. ſentiri videtur, magis illuſtrat. Reperit porro veſiculam felleam, pyloro vicinam, ductumque choledochum iuſto longiorem craſſioremque, et ante ingreſſum in duodenum plane obſtructum.

p. 179. 11. Obſeruatio Cl. DENIZE DE BEZVS *de tribus abſceſſibus abſque praegreſſa inflammatione.* Virgo 33 annorum, phlegmatica, tres ſucceſſiue in brachio tumores frigidos Noſtro obtulit: quos examinatos et maturos redditos aperuit, ex quibus verum et bonum pus exiit: patere inde videtur, non ad omnem puris formationem inflammationem neceſſariam eſſe.

Haec

Haec ex menſe martio eligimus.

1. *Diſquiſitiones practicae variarum methodorum morbos venereos curandi*, Auct. Cl. GARDANE *). p. 196.

3. Literae Cl. VIGER *ſuper lacte coloris roſei, per aliquot dies ex mammis puerperae effluente.* In puerpera, ex lochiis ceſſantibus peſſimis ſymptomatis affecta, iuſtisque medicamentis reſtituta, hoc admiratu dignum videtur: lac ex mammis effluens et linteo quodam exceptum, colorem album, per dimidiam horae partem et vltra, ſeruans, in roſeum eiusmodi viuidum et tenacem mutatum eſſe, quem nec aqua ſimplex, neque aqua ſaponacea prorſus poſſet extinguere. p. 222.

5. Obſeruatio *vomitus cruenti*, morbo nigro Cl. TISSOTI *analogi*, Auct. Cl. GVIGOV DELACHAND. Vir duo de quadraginta annorum dolore ventriculi valde vexabatur. Noſter dolorem hunc verſus curuaturam ventriculi paruam (*au creux*) fixum, febrem cum pulſu paruo frequenti et facie inflammata inuenit: methodo antiphlogiſtica aegrum iuuit. Inſultu hoc iterum cum febre per quinque dies continua et eruptione miliari accedente iisdem remediis aeger liberatus eſt. Cum denuo eadem ſymptomata aegrum paullo poſt in- p. 237.
vaderent; leui purgante dato, cauſſam detexiſſe videbatur: duabus enim horis poſt maſſam carnoſam, quam poſtea ſanguinem grumoſum inuenit, aeger euomuit, quam cauſſam guſtus ſanguinis in ore, deiectiones nigrae, dolor grauatiuus ad ventriculum et vomitus ſanguinei vlterius confirmarunt: hinc contra haemorrhagiam methodum curandi dirigens aegrum meliorem reddidit; pulſu vero nunc duriore, hirudines vaſis haemorrhoidalibus applicuit: ſymptomatis iam ceſſantibus, icterus vniuerſalis ſuperuenit, qui, etſi iuſtis remediis pel- p. 240.

 lere-

*) vid. comm. noſtr. decad. II. Suppl. III.

leretur; diaetae tamen erroribus, quos ſaepius aeger commiſit, paullo poſt, praegreſſa diarrhoea colliquatiua, retroceſſit cum ſubſecuto aſcite letali, quo etiam ſuccubuit. Ictus ante qiunque menſes verſus ventriculum accuſatur. Quaerit tandem Noſter ex Cl. TISSOT, ad quem haec obſeruatio dirigitur, vtrum iſte ſanguis ater ex ſtagnatione in ventriculo proueniat, et an ille *morbum nigrum* deſignet?

p. 264. 8. Nouae obſeruationes *bronchoceles, per vſum internum pulueris teſtarum ouorum calcinatarum curatae*, Auct. Cl. DAPEYRON DE CHEYSSIOL*). In virgine quindecim annorum, tumore duro in collo, mobili, indolente et duas tertias pugni magno, quem Noſter veram bronchocelem cognouit, vexata, diureticis primum, laxantibus et denique puluere teſtarum ouorum calcinatarum, cuius ſcrupulos duos in tribus cochlearibus vini rubri bis de die aegra ſumſit, ita bene vſus eſt, vt triceſimo die tumor prorſus diſpareret: eamdem methodum in iuuene ſeptendecim annorum, eodem morbo affecto, cum eodem euentu adhibuit. Putat Noſter, teſtas has calcinatas, ad modum ſalis alcalini, in vias vrinarias egiſſe.

Ex menſe aprili haec nobis offeruntur:

p. 336. 5. Obſeruatio Cl. BOSSE *de vermibus in puſtulis cutis inuentis.* Querebatur aethiops femina viginti quinque annorum, de dolore inſigni pruriente in humero ſiniſtro: inueniebantur ibi puſtulae, quae ſuperiorem et anteriorem brachii partem occuparent, cum rubore et tenſione: quarum vnam Noſter eminentem compreſſit, vnde pus clarum et ſanioſum effluxit; ſed et vermiculum ad orificium dele-

*) Lecta in ſolemni frequentia Academiae Reg. Scient. Monſpelienſis d. 12. ian. 1769.

deteĉtum facillime extraxit. Sic ex qualibet puſtula vermiculum exemit, quorum numerus erat triginta. Quorum originem quominus ex ſanguine corrupto deriuet, bonus habitus corporis impedit. Si ex cauſſa interna veniant, an ex vſu frugum aliorumque vegetabilium, quibus copioſe veſcuntur, et aqua impura, illis frequenti? Vel, quod probabilius videtur, externe per poros cutaneos, ipſis ſemper fere patulos, hos vermiculos intraſſe, cum eiusmodi homines dormiendo terrae incumbant. Conuenerunt cum aſcaridibus.

6. Obſeruatio Cl. MONGIN *vermis, ex tunica coniunctiua oculi exemti.* Vermem Noſter, vnum et dimidium pollicem longum, et chordam inſtrumentalem craſſum, coloris cinerei, altera extremitate maiorem, quam in altera, in vtraque vero valde acuminatum, intra coniunctiuam et albugineam haerentem, aperta coniunctiua exemit, qui maximum dolorem aegrae, per viginti quinque horas, ſed ſine inflammatione cauſauerat. In ſanguine natum et huc traductum eſſe credit. p. 338.

7. Obſeruatio *de fiſtula ani, absque operatione curata*, Auct. Cl. MARRIGVES. Femina 40. annorum, haemorrhoidaria, iam per duos annos ſinu fiſtuloſo circa anum laborauerat, cuius apertura exterior, ſiniſtrorſum vnum et dimidium pollicem ab orificio ani diſtans, vix perceptibilis iam claudebatur, vnde integumenta cum contextu celluloſo vicina, tumida et admodum dura redderentur cum dolore vehementiſſimo. Accedens Noſter cataplaſmatibus maturantibus aliisque topicis, praegreſſa venaeſectione, aliam aperturam, inter priorem et orificium ani produxit. Fiſtulam iam Noſter examinans cum inteſtino recte eam haud communicare cognouit. Erat porro quatuor et dimidium pollices longa et ad introitum duabus val- p. 339.

vulis, altera verſus nates et aperturam priorem, altera verſus labia externa pudendorum directa inſtructa, ſuperficie interna pallido liuida, dura et calloſa. Operatione ab aegra reformidata, et, cum fiſtula eſſet incompleta, inteſtinumque rectum intactum, methodum, quam chirurgia aliam ſuadet, iuſto diuturniorem, cum emollientibus, ſuppurantibus et depurantibus ſecutus eſt, qua id effecit, vt poſt octo menſes perfecte ſanaretur.

p. 351. 9. Obſeruatio *de hydrocele vera*, Auct. Cl. DE LATTRE. Infans tumore connato in latere dextro ſcroti pariebatur, quem chirurgus, poſt duos menſes accedens, pro hernia connata adſumens per duos annos, ſine fructu tractauit. Tumorem iam increſcentem alii chirurgi veram hydrocelem eſſe intellexerunt, puncturaque aliisque topicis et internis remediis, hydragogis, reſoluentibus diureticisque aegrum, per decem annos, palliatiue tantum iuuarunt. Noſter tandem tumorem examinans oblongum eum inuenit, aqua in tunica vaginali chordae ſpermaticae incluſa. Sedes erat in latere tantum dextro, ſepto nondum diſrupto. Cum cauſſa morbi Noſtro idiopatica videretur, ad operationem acceſſit, vnde puer poſt menſem iuſte reſtitutus eſt.

Notamus ex menſe maio:

1. Excerptum tractationis *de variis capititibus phyſiologiae, pathologiae et therapiae*, Auct. Cl. FABRE *).

2. Obſeruatio Cl. LE MEILLEVR *de cordis in anate reperta oſſificatione completa.* Cordis forma et ſtructura naturalibus, auriculae duae totae magis, quam reliquae partes, oſſificatae: particula quaedam, numi parui Gallici magnitudine, tota oſ-

ſea:

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 627.

ſea: reliquae partes plus minusue oſſificatae: nullum veſtigium ſubſtantiae muſculoſae, neque trabium carnearum in ventriculis: ſeptum membranaceum tenuiſſimum, vtraque cauitas, ſanguine coagulato plena. Erat hoc animal ſanum vegetumque ad mortem vsque. Quae fuerint ſyſtole et diaſtole? ex phyſiologis quaerit.

6. *Duae obſeruationes* Cl. MASARS DE CAZELES *communicatae* a Cl. AVDOVX 1. Paſtor quidam a vipera in digito medio morſus, partem laeſam paullo poſt admodum tumidam, cum anxietate cordis et vomituritione coniunctam, ſenſit. Auxiliis domeſticis fruſtra applicatis, vt etiam totum brachium intumeſceret, aegerque admodum debilis redderetur. Noſter iam accedens aegro theriacis in decocto carnis viperae propinatis, brachioque epithematis bonis fruſtra applicatis, ſcarificatione circa partem laeſam meliore effectu vſus eſt, ita, vt, his et prioribus cum ligatura per tres dies continuatis, aeger reſtitueretur. Obſeruauit poſt conualeſcentiam in toto latere ſiniſtro maculas nigras, in flauas poſtea abeuntes, quae ecchymoſin ſimularent. Icterum vero, morſui viperae alias ſolemnem dictum, vidit; maculas vero vel ligaturae, vel veneni indoli coagulanti tribuit. 2. Vulnere alius ſclopeti in media parte oſſis temporum ſiniſtri, ab inferiori verſus ſuperiora directo, percutiebatur. Aegri, poſt quartam horae partem ex lipothymia redeuntis, vulnus Noſter examinans integumenta dilacerata, granis plumbi referta vidit: oſſe quoque nudo, fracturam profundam partis mediae et ſuperioris oſſis temporum detexit, ex qua multas ſpinas extraheret: aegro ad tertium diem iuſte tractato, ipſa fractura trepanationem, quam iam inſtituturus erat, Noſtro obtulit, cum foramen rotundum a ſuperioribus p. 338.

ribus deorſum vergens, perſpiceret. Symptomatis fere nullis vulnus breui ſanatum eſt, relicto paruo vlcuſculo, ita, vt aeger rebus ſuis bene praeeſſet. Poſt ſex vero menſes ſubito mortuus eſt.

p. 485. 8. Obſeruatio *entero - epiploceles cum partibus gangraenoſis, absque operatione curatae*, Auct. Cl. DVBONEIX. Herniam hanc feminae quinquagenariae pulſus paruus et frequens, facies depreſſa cum vomitu, per tres dies continuo bilioſo, faeculento, alui conſtipatio, tumor et tenſio abdominis cet. comitata ſunt. Adhibitis bonis remediis, ſymptomata nunc paullo mitiora, tertio die, repoſitione ſaepius fruſtra tentata, nec iam, viribus omnibus fere exhauſtis, operatione tentanda, aegra morti proxima a chirurgo relicta eſt; nihilo tamen minus certior poſt ſeptem dies redditus, tumorem rupiſſe, vermemque ad ſex pollices longum exiiſſe. Chirurgus accedens partes omnes gangraena deſtructas reſecuit, vnde apertura ad inſtar oui gallinacei relinqueretur, per quam poſtero die faeces exierunt, vt inde colon ipſum laeſum eſſe pateret. Aegra vero iuſta encheireſi poſt menſem recte ſanata eſt.

Ex menſe iunio annotatu digna videtur:

p. 519. 3. Obſeruatio *de effectu ſalutari* baſilici ſylueſtris *in fluore albo* a Cl. BAION. Plures nigritas, quippe quarum magna pars fluori albo ſubiecta eſt, fluore albo aegras, remediis omnibus, in eiusmodi morbo indicatis, fruſtra tractauit, vsque dum quidam ipſi plantam hanc admodum commendaret.
p. 529. Planta haec, in hac colonia admodum frequens, a noſtro baſilico eo tantum differt, vt odore fragranti illa multo minor ſit. Amat prata humida; pecoribusque valde grata; indole amara gaudet. Non niſi ſuccum expreſſum eius in vſum vocauit; interim extractum eius, quod inde parari

poſſit,

poſſit, ad omnes alias prouincias optime tranſportandum, ipſamque plantam ibi bene colendam fore non dubitat. Succi eiusmodi vnciis duabus, omni mane ab aegris per menſem deglutitis, perfectam vtplurimum vidit ſanitatem. Praeparatione vero iuſta, regimine tenui diaetaque attenuanti ex lacte ceruino opus fuere, eaque Noſtroque ſatis fecere.

VII.

Anfangsgründe der Naturgeſchichte, entworfen von IOHANN CHRISTIAN POLYKARP ERXLEBEN, *der Weltweisheit D. und Prof. auf der George Auguſtuniverſität, des Königl. Inſt. der Hiſt. Wiſſ. zu Göttingen, der Königl. Landwirthſchaftsgeſellſch. zu Zelle und der Bataviſchen Societät der Experimentalphiloſ. zu Rotterdam Mitglied. Zwote und verbeſſerte Auflage, mit 6 Kupfertafeln. Göttingen und Gotha, bey Iohann Chiſtian Dietrich,* 1773. 8. 1 *Alph.* 18¼ *Bogen.*

h. e.

Compendium hiſtoriae naturalis, Auctore IOANNE CHRISTIANO POLYCARPO ERXLEBEN, philoſophiae doctore et profeſſore, etc.

Vniuerſam trium naturae regnorum contemplationem, quam hiſtoriam naturalem vniuerſalem nominat, omni concinnitate, ordineque eximio, habita quoque legum earum, quas compendium requirit, ratione diligentiſſima, Cl. Auctor hoc libro, academicis praelectionibus adaptato, ſuſcipit. Oſtendit enim diſcrimen inter corpora,

organis

organis praedita, et iis carentia: docet compoſitionem priorum atque vitae, nutritionis, incrementi ac generationis rationem. Indicat diſſimilitudines conuenientiamque inter plantas et animalia, atque cum externam, tum interiorem eorum fabricam anatomice ac phyſiologice perluſtrat. Mineralium denique originem variam diſquirit. Recenſet diuiſiones animalium, plantarum, atque mineralium; omniumque proprietates, ita, vt vniuerſa natura vno intuitu perluſtretur, enumerat. Procul igitur abeſt, vt ſolis nominibus externisque ſignis diſtinctiuis occupetur, vt oſtendat potius, hiſtoriam naturalem eſſe phyſicam ſpecialem omnium corporum naturalium. Sic itaque lectione huius libri attenti fiunt naturae ſtudioſi ad omnia phaenomena, in tribus regnis euenientia: generalique hac inſtructione apti redduntur, vt aliorum praeſtantiſſimorum Auctorum ſcripta, praeſertim LINNAEI legere cum fructu poſſint. Sequitur Noſter fere vbiuis ſyſtema Linnaeanum, atque ad huius ductum, praemiſſis introductionibus, animalivm claſſes, ſingulam ſeparatim, conſiderat, poſtea vegetabilium mineraliumque addit hiſtoriam; ita tamen, vt et aliorum methodos indicet, earumque commoda vitiaque oſtendat, ac praeſertim in vegetabilium diuiſione ordines naturales ſuos exponat. Libros optimos quosque vbiuis ſollicite indicat, additque in hac noua editione recentiores ſelectiores: vti etiam icones, quae terminos partium notabiliores illuſtrent.

Non poſſumus, quin his generatim dictis ſingu-
p. 6. las etiam quasdam Cl. Auctoris ſententias addamus: omiſſa, quae maximam et praecipuam libri partem efficit, egregia partium terminologia, cum ea quidem

dem omnino ſit neceſſaria; non tamen noua. Limites trium naturae regnorum adeo certos iudicat, vt nulla poſſint reperiri corpora, quae, quaſi in medio poſita, illa ſecum coniungant: etſi, difficile interdum haec ſigna diſtinctiva indicari, concedit. BVFFONII hypotheſin de generatione *) reiicit, atque theoriam generationis per euolutionem aſſumit. Animalium compoſitorum **) originem ita explicat, vt in omni corpore diſperſa rudimenta aſſumat, quae ſua vi ſimul, ac conuenienter nutriantur et euoluantur; in quibus etiam reproductio partium manifeſte conſpiciatur, quam quidem in aliis omnibus aliquo modo fieri putat. Cum membrana neruea, in lamina cochleae ſpirali expanſa, ſedes ſit auditus, mirum videtur, eſſe animalia, quae cochlea careant; nihilo minus tamen audiant. Numerum probabilem omnium animalium aſſumit 25000; LINNAEVS vero in ſyſtematis editione nouiſſima, additis Mantiſſis, recenſet 6137. In fetu vrinam per vrachum in alantoin excerni affirmat.

p. 84.
p. 121.
p. 131.
p. 145.

In *Mammalium* diuiſione iure Noſter a LINNAEO in quibusdam recedit. Sic enim *Rhinocerotem* ad ordinem *Brutorum* refert, cum, etſi dentes quodammodo differant; habitu tamen cum his conueniat. Deinde quartum ordinem *Beſtiarum* iterum aſſumit, quibus dentes primores in medio a ſe inuicem remotos, laniarios vtrinque plures, et naſum prominulum tribuit. Genera huc relata ſunt *Sus*, *Erinaceus*, *Talpa*, *Veſpertilio*, quem et ratione dentium, et quoad habitum ad hunc ordinem pertinere affirmat, *Sorex*, atque *Didelphis*.

*) vid. *Hiſtoire naturelle* Tome III. p. 78.

**) vid. LINN. amoen. Vol. 5. p. 343. comm. noſtr. dec. I. ſuppl. I. p. 111.

phis. Ad quintum *Glirium* ordinem addit *Cauiae* *) genus.

p. 189. Dubitat Cl. Auctor, an omnibus amphibiis ſint penes duo; aſſumit deinde GRONOVII diuiſionem *Lacertae* in plura genera: *Anguis quadrupes* vel magis *Lacerta* eſſe videtur, vel ea et *bipede*, *Lacertae* cum *Serpentibus* connectuntur.

p. 213. Piſces audire exiſtimat, etſi alio et diuerſo ab animalibus, in continente viuentibus, modo **).

p. 233. Nondum certo effectum eſſe putat, inſecta oculis res propinquas et minores perluſtrare; ocellis vero remotas maioresque cognoſcere. Neque iis auditum et olfactum denegari poſſe contendit, cum quaedam illorum ſaltim his ſenſibus ſint praedita.

p. 243. Neutrae *Apes* Noſtro fere videntur cum Cl. SCHIRACH ***) feminae non plane euolutae.

In ordine *Inſectorum* non recedit a Linnaeano, praeter, quod genus *Cancri* ex GRONOVIO diuidat in *Emeritam*, *Squillam*, *Cancrum* et *Aſtacum*.

p. 270. Ad *Vermes Inteſtina* refert *Trichurin* ROEDERERI et *Furiam* LINNAEI. *Nereidis* genus ex MVLLERO ****) diuidit in *Naidem*, *Nereidem*, *Aphroditen* et *Amphitritem*. Diuiſio *Zoophytorum*, a Cl. PALLAS †) data, Noſtro Linnaeana magis placet.

Enarratis

*) vid. ſupra p. 351.

**) cf. Cl. CAMPER *verhandeling over het Gehoor der geſchubde Viſſchen.* comm. noſtr. Vol. XVII. p. 460.

***) cf. ADAM. GOTTL. SCHIRACH, *Erläuterung der Kunſt iunge Bienenſchwärme oder Ableger zu erziehen. Budiſ.* 1770.

****) vid. OTTO FRID. MVLLER, *von Würmern des ſüſsen und ſalzigen Waſſers, Kopenh.* 1771. 4.

†) vid. EIVSD. *Elenchus Zoophytorum.* comm. noſtr. Vol. XV. p. 153.

Enarratis, quae ad hiſtoriam vegetabilium pertinent, atque aliorum methodis naturalibus: Cl. Auctor ſuam diuiſionem recenſet, quam naturalem, etſi non perfectam, iudicat, et ſequentes ſexaginta tres ordines conſtituit: verticillatas, perſonatas, luridas, ſepiarias, ialapas, aggregatas, caprifolias, ſtellatas, cucurbitaceas, campanaceas, vmbellatas, compoſitas ſemifloſculoſas, compoſitas capitatas, compoſitas diſcoideas, compoſitas oppoſitifolias, compoſitas nucamentaceas, coniferas, amentaceas, coadunatas, tricoccas, terebinthinaceas, trihilatas, papilionaceas, dumoſas, drupaceas, pomaceas, ſenticoſas, multiſiliquas, rhoeadeas, ſiliquoſas, putamineas, columniferas gruinales, ſucculentas, caryophylleas, precias, rotaceas, contortas, aſperifolias, ſcabritas, oleraceas, vaginales, vepreculas, bicornes, arbuſtiua, calycanthemas, calycifloras, inundatas, ſarmentaceas, coronarias, ſpathaceas, ſcitamineas, orchideas, enſatas, tripetaloideas, gramina, calamarias, piperitas, palmas, filices, muſcos, algas, atque denique fungos. Tum recenſet inſignem copiam plantarum, quae ad hos ordines non redigi poſſint. Numerum vegetabilium probabilem eſſe putat Noſter 15000: LINNAEVS 10000, ADANSONVS 43000, horum prior in Syſtemate deſcribit circiter 8000. p. 410.

Mineralogiae ſyſtema ex ſola mixtione mineralium deſumendum eſſe, eamque, quae ex ſolis ſignis externis deſumitur cognitio, imperfectam et empiricam eſſe Cl. Auctor affirmat. Ex hac mixtione igitur diuidit omnia mineralia in *Terras*, *Salia*, *Inflammabilia* et *Metalla*; diuiſionem breuemque ſimplicium corporum deſcriptionem affert, ita tamen, vt in generibus ſolum ſubſiſtat. *Ter-* p. 504.

ras et *Lapides* coniungit, cum limites non dentur, et in accidentalibus tantum differant. Ceterum coniicit, hanc eſſe facillimam tutiſſimamque mineras diuidendi methodum, ſi, cognitis ſimplicibus corporibus, quae minerarum maximam partem efficiant, magis compoſita diſquirantur, atque ex illis haec ordinentur *): promittitque, ſe proxime ad hanc normam elaboratum ſyſtema editurum eſſe: quod, cum egregiam Cl. Auctoris naturae cognitionem ex hoc libro quilibet intelligat, omnibus naturae ſtudioſis gratum acceptumque fore iudicamus.

VIII.

Expoſition des variations de la nature dans l'eſpece humaine, ou l'on demande, ſi poſées les loix naturelles les plus générales ſur lesquelles portent l'ordre et l'harmonie du corps humain, la nature peut quelquefois s'en écarter; par Mr. T. GVINDANT, des Facultés de Médécine de Paris et de Montpellier, ancien Médécin de l'hôtel-dieu d'Orleáns, du collége de Médécine et de la ſociété Royale d'agriculture de la même ville. à Paris chez Debure, pere 1771.8.pagg. 240.

i. e.

Expoſitio varietatum naturae in genere humano, Auctore T. GVINDANT.

Quum natura, ſemper ſibi ſimilis, leges certas conſtituerit; ad quas omnia, quae fieri videamus, dirigantur: Cl. Auctor etiam in hoc libello, in quo vim poteſtatemque naturae in homine ſano

*) cf. Cl. Auctoris, *Betrachtungen über die Urſache der Unvollſtändigkeit der Mineralſyſteme. Gött.* 1768. 4.

ſano contemplatur, has leges primo attendit; earumque duas conſtituit claſſes, alias generales, quae in omni homine viderentur eſſe adhibitae, vt homo reſpiret, excernat, nutriatur, dormiat, creſcat et gignat vel pariat; alias particulares, quae ex minus frequenti praeſentia nobis viderentur peregrinae, quamquam nihilo minus eſſent aeque et ſimplices, et conſtantes, ac priores. Non igitur eſſe quaedam monſtra in genere humano, ſed, eodem modo, vti in vegetabilibus deprehendantur ſpecierum varietates, ita etiam in genere humano varias eſſe ſpecies, atque in iis peculiares varietates. Non igitur magis monſtra, quae dicantur, vere talia eſſe, quam ſi quis plantas hermaphroditas vel alias diuerſitates monſtroſas habere vellet. De his igitur varietatibus exponendis, inquirendis, atque ex cauſſis deriuandis potiſſimum agitur; de quibus pauca tantum hic afferamus.

Omnibus igitur legibus naturalibus generalibus enarratis, oſtendit Cl. Auctor aberrationes ab his atque varietates. Ac primo quidem reſpirationis neceſſitatem non generalem eſſe, probare Ei videntur notiſſima exempla vrinatorum, quorum plurimi ſatis diu ſub aqua, absque omni vel veſica, vel campana viuant, lethargicorum atque inebriatorum. Praeterea id confirmant et Batauus quidam, qui per octo annos ſub aqua vixit, atque Praefecto Batauo, cum oris maritimis commoraretur, apparuit, cumque is eum capeſſere inſtitueret, protinus in mare iterum ſe praecipitauit; et alii, quorum alter poſt balneum ſub aqua diu remanſit, ſine aliquo incommodo; alter vero, Auctori affinis, vt piſces caperet, diu ſub aqua in fundo fluuii ambulauit, neque quidquam ei nocuit. Ita etiam legem generalem excretionis exceptiones pati, probat exemplis hominum, prae- p. 61. p. 73.

ſertim grauidarum feminarum, in quibus haec excretio diu ſatis interrupta cernitur. Collecta ex veteribus et recentioribus exempla demonſtrant, ipſam etiam nutritionem ſomnumque diu ſatis abeſſe in quibusdam hominibus poſſe, atque dari etiam inſignem varietatem, cum quoad celere vel tardum incrementum, tum quoad inſignem vel minorem corporis proceritatem.

p. 97. Sterilitas quoque et impotentia virilis copioſiſſime adſunt, quae tamen ſine noxa oeconomiae animalis feruntur. Ad nutritionem fetus et grauiditatem accedens Noſter in iisdem etiam copioſas deprehendi varietates oſtendit, atque adeo credulum eum inuenimus, vt grauiditatem viginti trium menſium poſſibilem cenſeat. Poſtea recenſet fetuum varietates, acephalorum, eorum, qui vel dentibus praediti naſcuntur, vel per omnem vitae curſum quibusdam carent, piloſorum, coecorum, mutilatorum extremitatibus ſuperioribus, vel inferioribus, vel partibus genitalibus, hermaphroditorum, quos igitur vere vti in plantis, et vermibus, reperiri affirmat. Praeterea naſcuntur homines lingua vel priuati, vel duplici inſtructi, aliique, in quibus viſcera, etiam maxime neceſſaria, vt cor, pulmones, ventriculus, hepar, aliaque vel deſunt, vel abundant. Multis deinde Cl. Auctor probare annititur, haec omnia variantis naturae exempla, non eſſe monſtra habenda, ſed tantum varietates, in quibus naturae leges eundem finem obſeruauerint. In qua tamen diſtinctione verbis magis, quam re a celeberrimis noſtri ſeculi Auctoribus diſſentire Noſter videtur. An vero exinde, quod quaedam reperiantur a communi lege exceptiones, omnia, quae narrentur exempla, fide digna ſint habenda, quod Cl. Auctor vult, nec ne, aliis diiudicandum relinquimus.

Sub-

Subiungit Cl. Auctor quaedam exempla mulierum, quae per vndecim menſes grauidae fuerunt; quarum prima, poſt grauiditatem ſatis periculoſam, puellam peperit; altera vero, doloribus partus per duo menſes durantibus, enixa eſt filiam hydrope laborantem. Ipſa grauida in grauiditate hydrope laborabat, quo, inſigni copia aquae excreta, liberabatur. Facies tamen poſt partum remanebat inflata, ac dorſum humerique manusque ſugillata erant. Poſt menſem autem omnia haec diſparuerant.

Spondet Cl. Auctor, ſe librum, trium regnorum varietates recenſentem, editurum eſſe, rogatque quoscunque, vt cum eo nouas obſeruationes communicent: quod, vt feliciter ſuccedat, atque iuſta relatorum auctoritas fide digna maxime attendatur, vehementer optamus.

IX.

Erfahrungen und Unterſuchungen über den Menſchen. Berlin, im Verlag der Buchhandl. der Real Schule. 1772. 8*vo S.* 320.

h. e.

Experientiae et diſquiſitiones ſuper homine.

Quum certum ſit, doctrinae de homine omnes reliquas artes doctrinasque humanas, ceu totidem aedificia communi fundamento inniti; Cl. vero huius libri Auctor ſubtiliter ſatis atque eleganter de eadem ſit commentatus, applicueritque anatomen ad varia pſychologiae capita illuſtranda, operae pretium iudicauimus, indicare hunc librum, quoque modo argumentum ſit tractatum, ediſſerere. Ita nimirum Auctor verſatur, vt pri-

mo corpus, quatenus ſenſuum motusque inſtrumentis praeditum eſt, conſideret; in altera vero libri parte de ſenſibus viqve animi motrice exponat.

p. 6. Ab initio igitur, naturae et HALLERO fidus, ſenſus et motus organa deſcribit ſuccincte. Senſus ſedem, vt et motuum originem non in neruis, ſed in cerebri loco quodam, incognito tamen, haerere euincit. Diſquirit inde hypotheſes, quibus, qua ratione ſenſus motusque fieret, conati ſunt
p. 38. viri docti explicare: et, quamuis fluidum nerueum eſſe largiatur; ſolidas tamen cerebri neruorumque partes haudquaquam pro inertibus habendas eſſe monet: id quod potiſſimum ex earundem copia patere dicit, quae, ſi inertes forent, tanta vtique non eſſet futura. Et licet pulpoſa mollisque earum natura ab elaſtica et irritabili virtute multum videatur abeſſe, nec inſtrumentis laceſſita harum virium documenta praebeat; vero tamen ſimillimum putat Auctor Cl., eſſe eas permobiles elaſticasque, vtpote quum concretae ſint ex moleculis ſubtiliſſimis, vltimamque et perfectiſſimam elaborationem paſſis, quum velentur forte tantum rudiori et craſſiori materia circumfuſa, quum denique ob teneritudinem ſingularem rudiorum noſtrorum inſtrumentorum, quibus irritare eas conamur, impreſſiones nullo modo capere vel poſſint, vel et debeant. Ipſam vim neruorum cerebrique, quam ſenſibilitatem dicimus, in vernacula lingua mauult Noſter *Empfindſamkeit* vel *Fühlſamkeit*, quam *Empfindlichkeit* appellare.

p. 36. Vbi deinde de iis perceptionum et idearum affectionibus, quae e neruorum et cerebri natura plus minus certo explicari poſſunt, agit, oſtendere ſatagit, ad ſenſationem vel ſimplicem non vnius forte

forte fibrae nerueae, ſed omnium eiuſdem pariter atque communicantium nerueorum filorum commotionem requiri; quem tam copioſarum fibrarum motum ab vno tantum obiecto cieri, et ſimplicem adeoque ſenſationem conſtituere, animus demum iudicio pernoſcat. Differentiam ſenſationum, in eodem organo productarum, repetit a varietate impreſſionum, quae diuerſa obiecta excitant in neruis iisdem omnibus, argumentisque variis refutat Cl. BONNETI opinionem, qua cuicunque ſenſationi diuerſorum obiectorum peculiare filum nerveum deſtinatum eſſe aſſeritur. Senſationum porro, per ſe diuerſarum, ſimilitudinem et nexum inde deriuat, quod diuerſimode quidem neruos ferientia, ſimili tamen modo eos moueant. In multitudine fibrarum neruearum quaerit tum praeſidium ſenſus, quo, licet et in ſenio, et in morbis haud pauca fila deſtructa ſint; ſenſus tamen non aboleatur: tum illud ſingulare commodum, quo, vbi attendimus, in eodem obiecto ſemper plura obſeruamus. Aſſociationem idearum, animo vel inuito ſaepe contingentem, a vario neruorum et cerebri filorum nexu; a neruis autem ipſis idearum exiſtentiam deriuat, argumenta ducens ex deſtructione idearum per morbos et vulnera, atque vi cogitandi aucta per vulnera, capitis alliſiones, et medicamenta. Eorum adeoque ſententiae ſubſcribit, qui mentem ſubſtantiam obſeruatricem, ideasque, quatenus ad mentem referuntur, obſeruationem earum rerum dicunt, quas nerui commoti menti offerunt.

Praeter conſpicuum neruorum ſyſtema, quod *organiſationem craſſiorem* appellat, teneriorem contextum nerueum, animo, cuius ſedes ſit, proximum, et *ſubtiliorem organiſationem* dicendum, p. 76.

 cum

cum aliis ſtatuit, qui ſine craſſiore agens, animo rerum, olim perceptarum, formas reducat, actione ſua ad craſſiorem organiſationem diffuſa phantaſiam laeſam excitet, ceterum efficaci ſuo motu, ab animo proxime percepto, ideas ſic dictas materiales, aut, vt Noſter mauult vocari, *repraeſentationes materiales* ſiſtat. Pro vtriuſque vero organiſationis, ſubtilioris maxime, diuerſitate, differre putat animi vires easdem in diuerſis hominibus; et ad earum praeſtantiam multum facere, praeter alias cauſſas, ſitum cerebri et neruorum in capite bene formato ab omni vel fluidi abundantis, vel ſolidi durioris preſſu liberum, mediamque inter fluiditatem et mollitiem, atque duram rigiditatem, conſiſtentiam.

p. 124. Iam, quum, quid ſenſus ſint, ratione corporis dictum ſit, quid iidem ſint ad animum relati, exponitur. Sunt autem ſenſationes externae ideae proxime per vim organiſationis craſſioris, ſubtiliorem, vtpote ſine qua animus nil percipit, commouentis, productae. Quum vero nerui noſtri nunquam agant vltro; cauſſae commouentis quadruplicem fontem Auctor indicat. Agit nimirum in neruos craſſiores vel animus vi ſua motrice, vel ſine eius concurſu ſubtilior organiſatio; perceptionesque inde natas Auctor ſenſationes externas intrinſecus natas (*äußere Empfindungen von innen*) dicit; vel pars corporis noſtri quaecunque, quae neruus tamen non eſt; vel denique res prorſus extra nos poſita; quae duo ſic productarum perceptionum genera ſenſationes externae foris accedentes (*äußere Empfindungen von außen*) Auctori vocantur. A cauſſis ſenſationum obiecta differunt, quae ſunt id, cuius idea ſentiendo naſcitur. Saepe tamen et idea iſta, vel ſenſationis argumentum, ob-

iectum

iectum dici ſolet. Quodlibet genus repraeſentationum externarum ſenſationum, quod ſuos nervos et organa externa habet, ſenſus externus audit. Eorum vero ſenſuum externorum per organorum ſtructuram et per diuerſum obiectorum agendi modum indolemque variam quinque ſunt. Iam ſenſationes vel purae ſunt, quatenus ſaltim eſt craſſioris organiſationis motus, vel mixtae, quatenus, praeter hunc, aliae, quae ab hac proxime non proveniunt, repraeſentationes, cum iisdem ſimul oriuntur. Et tales, mixtae nempe, ſolent omnes eſſe, quas iam habemus, quum ſcilicet ſemper iudicio animi aliquid accedat; purae autem ſenſationes in prima tantum infantia ſolum obtinent, vtpote quum merae ſint obſeruationes, rerumque extra nos poſitarum primae imagines.

His expoſitis, ſenſus quinque externos Auctor p. 147.
noſter ita diſquirit, vt, quid ſinguli ſint, quibus organis perficiantur, quas ſenſationes proferant, quaenam obiecta et argumenta ſenſationis habeant, quaque in re vel diſcrepent, vel conueniant, exponat. Probat propterea, tam late patere ſenſum tactus, organisque omnibus aliis ineſſe, quoniam per eum demum vere experiamur, res perceptas extra nos eſſe poſitas, et quoniam ſine eo reliquis ſenſibus adiuncto, facile poſſimus in eam deuenire opinionem, ac ſi, quae ſentimus, merae tantum ſint noſtrum ipſorum modificationes. Nec du- p. 189.
bitat de imaginibus in retina, inuerſa ratione depictis, ſperatque, fore, vt demonſtretur aliquando, non propterea obiecta cerni in ſitu recto, quod mens emendet et corrigat, quae falſa in ſenſatione ſint, ſed, quia in ſitu recto imagines quoque obiectorum retinae offerantur. Qua de re tamen, quum ſenſatio iſta nobis ſemper relatiua ad

proprium ſitum corporis noſtri videatur, multum dubitamus.

p. 196. Praeter ſenſus quinque iſtos externos, ſunt et aliae in nobis perceptiones ab his plane diuerſae, quas Auctor *äußere Gefühle* appellat, eaeque purae pariter, atque mixtae. Agit igitur de perceptionibus valetudinis bonae et aduerſae, doloris et titillationis, caloris et frigoris, conſueti et inſoliti, ſapidi et male ſapidi, ſuauiter et male olentis, nauſeae, laſſitudinis et refectionis, famis, ſitis, voluptatis, terroris, deque illis, quae ex inſtinctibus proficiſcuntur. Addit denique perceptiones extraordinarias, per morbos et idioſyncraſiam excitatas, vna cum fabula de puero, qui nuper in Francia dicebatur curſum aquarum ſubterranearum cernere poſſe, quam, vt commentum, tam argute ab Auctore explicatam dolemus.

p. 236. Subiunguntur his egregie diſputata de mutationibus ſenſationum externarum, quae oriuntur ex ſynchrona earum coniunctione, et per vim praecedentium, deque diſcrimine idearum, quod a perceptionibus et ſenſibus externis pendet. Po-
p. 288. ſtremo etiam vim animi motricem (*Thätigkeit*) rimatur et naturam cognitionis, quae ineſſe poſſit iis ſubſtantiis, quae ſola vi ſentiendi inſtructae ſunt. Ex quibus quidem diſquiſitionibus lubenter ſeligeremus potiora, niſi breuitatis cauſſa filum orationis hic eſſet abrumpendum.

X.

X.

Diarium medico practicum ANDREAE BERNHARDI KIRCHVOGL medicinae doctoris ac practici Vindobonenſis. Vindobonae typ. Io. Th. nob. de Trattnern. 1771. 8. p. 213. praeter praefationem et rerum propoſitarum ſummam.

Animus eſt Cl. Auctori quolibet anno morborum magis familiarium, SYDENHAMO duce, colligere exempla, et, epidemicis morbis non graſſantibus, endemicos perſequi. Praeterea Noſter aliorum collegarum caſus notabiles in hoc ſuo opere continuato commemorabit. Obſeruat porro Noſter annum ſcholaſticum, nouembri nimirum incipiendum, nec non aeris viciſſitudines varias aliasque mutationes e. gr. circa anni tempora, inſimul attendit. Atque ita in hoc tomo agitur de febribus intermittentibus epidemicis, 1770, 1771 annis, de tuſſi epidemica cum pleuritide et peripneumonia, de febri ſcarlatina, de febribus acutis, de variolis inoculatis et naturalibus et in fine de electricitate.

Arbitratur Noſter, naturam iam per aliquot tempus inteſtina geſſiſſe bella, idque ipſum probari poſſe ex frequentibus auris borealibus, terrae motibus, aque eiectionibus et tranſfundationibus cometisque, quorum duo aſpexit, etc. Vnde et pendere ait Noſter per aliquot annos obſeruatam quatuor anni temporum inconſtantiam. His praemiſſis, de febrium epidemicarum intermittentium genio, quae ſaepe calidae potius, quam frigidae intermittentes eſſe viſae ſint, valdeque mixtae apparuerint, diſſerit. Incipiebant hae febres, atque alio modo quidem; omnes tamen ſine praegreſſa p. 1.

greſſa horripilatione. Iure igitur has febres intermittentes Noſter irregulares appellat, et a regularibus, quas quoque obſeruauit, diſtinguit.

p. 19. De cortice Peruv. aegris, obſtructione viſcerum laborantibus, exhibendo haec habeto. Optat Noſter, bene vt diſtinguatur, vtrum illa ex ſaburra aliqua, aut febris materia, in quodam viſcere collecta, aut praematuro nimis dato cortice, an potius ex nimia debilitate vaſorum oriatur. Atque in eiusmodi debilitate ſuadet Noſter corticem, qui ſpecifica ſua virtute primo febri obicem ponit, et roborante vi vaſa tam apta reddit, vt materia obſtruens expelli queat. Probat hoc aegro, feliciter curato, qui reſoluentibus et purgantibus remediis ita erat debilitatus, vt vaſa expulſionem materiae morboſae nequirent praeſtare. Ceterum optime dedit corticem, interpoſitis laxantibus ſeu ſalibus digeſtiuis, interdum etiam his mixtum.

p. 33. Febres acutae promiſcue cum intermittentibus anni 1770 apparebant: rariores per hyemem obſeruabantur, quando tuſſes, catarrhi, pleuritides, peripneunoniae et ſcarlatinae occurrebant. Has acutas Noſter diſtinxit in quatuor ſpecies: nimirum in acutiſſimas, acutas cum conſuetis ſymptomatibus, haemitritaeas, quas Noſter reuocat, tam ex continua quotidiana et tertiana intermittente, quam ex acuta continua et tertiana; et denique in febres, ephemeras et ſynochos putres dictas. Inde igitur Noſter ſymptomatum diuerſitatem in febribus acutis deriuat et aliam atque aliam his medendi rationem vrget. Exanthemata critica e. gr. petechias, miliares cet. Noſter largitur, atque exemplis confirmat.

Refert

Refert quoque Cl. Auctor exemplum morbi acuti putridi letalis, vbi inteſtina plane non fuerunt inflammata; ſed parte, qua per noctem in aqua poſita, ſupra eius ſuperficiem prominente, aere fuiſſe corrupta affirmat, quod facile quoque ex hiſtoria morbi, ab eo tradita, elucere videtur. Cauti ergo vt ſint, omnes illos admonitos vult, qui ex anatome iudicare atque docere cupiant. Praeſtat enim, vt omnes vno die bene inſpiciantur partes, nec aliquae reſeruentur, quae facile corrumpi adeoque examinantem fallere poſſint. Qua occaſione de ſitu partium in cadauere prouide prudenterque conſiderando monet, exemploque addit, facile fieri poſſe, vt cadauer, poſt viginto quatuor horas apertum, morbo putrido denatum, ſubito in corruptionem vergat, aer in inteſtinis rarefiat, extenſa ſic viſcera reliqua ſurſum deorſumque nec non ad latera premantur, et ſitum dein talem prae ſe ferant, qualis nunquam, viuo corpore, adfuerit. Iuuat praeterea hanc rem cadaueris ſitus ſupinus et decliuis a ſitu viui hominis plane diuerſus. Quae cum ita ſint, caute ad haec omnia in ſitu viſcerum, ex ſectionibus definiendo et deſcribendo et ad morbi naturam applicando, attendere oportet ſecantem, ac omnino Noſter miratur magnopere, quomodo adeo facile rebus tam iniquis, poſteritati relictis, credatur.

Mulierem pleuroperi pneumonia periiſſe cum p. 88.
hiſtoria morbi, tum anatome docebant. Meretur hoc in morbo notari, quod nunquam pulſum mollem vſque ad finem deprehenderit Noſter, excepto paroxysmi tempore, quo vix percipi poterat pulſus. *Unde ergo ille paroxyſmus? pulchram a phyſiologis quaeſiti reſolutionem peto: an ſubitanea facta impletione vaſorum pulmonalium ſtagnatio totius, quae,*

ſi

ſi a natura victa non fuiſſet, in primo certo perire debuiſſet paroxyſmo? profecto, reſolutione vaſorum facta, (vt et in aſthmaticis contigit) et vrgente a tergo ſanguine, obſtaculisque remotis, fortis de nouo inſurgebat pulſus, donec demum tertio recurrens impotensque fors, ob tenacitatem nimiam, remouendi obicem ſuffocauerit patientem? An pulmones, poſt mortem ſanguine turgidi ac inflammati, convincens pro hac ſententia argumentum?

p. 104. Commemorat Noſter hic iterum *) exemplum, ex quo appareat, ſitum viſcerum poſt mortem mutari poſſe. Erat colon tympaniticum totum, mire flexum et hepar verſus thoracem premens. Haec nimia coli expanſio videtur Noſtro poſt mortem eſſe facta. Periit enim aeger pleuroperipneumonia neglecta. Non multum poſt mortem eius thermometrum Noſter applicuit, quod per ſex prima minuta, 101 gradum; poſt quadrantem denuo per ſex minuta applicatum, 98. et poſt mediam horam, 96 gradus caloris notauit, intereaque monſtrat, hunc calorem ex motu productum, nec ſolum corporibus innatum eſſe.

p. 133. Femina viginti trium annorum morbo valde acuto plurimis malis ſymptomatibus ſtipato, vt ſunt vomitus, narium ſtillicidium, gemitus, oculi lacrymantes, teneſmus, iſchuria, diarrhoea, deſipientia, ardores pectoris, mittimus alia, ſanitati prorſus eſt reſtituta. Vltimum exemplum miliaria critica ſpectat, quorum triginta et vnum collegit Noſter et ſecundum quatuor ſpecies acutorum morborum **), ab eo conſtitutas, adiunctis quibusdam catarrhalibus et inflammatoriis aegritudinibus,

*) vid. ſupra p. 509.
**) vid. ſupra. p. 508.

bus, enarrauit et in fine corollaria nonnulla addidit, ex quibus modo quaedam notemus. Febres catarrhales admodum Noſtro familiares apud aegros ſuos, plerumque miliaribus ſeſe manifeſtantes; aliquae ab initio ferunt venaeſectionem; exanthemata non ſunt negligenda, nec refrigerio turbanda; rurſus, venaeſectio, iis praeſentibus, non inſtituenda. In haemitritaeis praecipuum antidotum cernitur in cortice Peruuiano.

Variolas morbum eſſe, quo nec milleſimus ho p. 145. minum ſit immunis, et, ceteris paribus, ſeptima affectorum pars interire ſoleat, omnium conſenſu arbitratur. Praeterea lectuli calorem et cardiacorum vſum in variolis medendis reiicit, et regimen frigidiuſculum et inprimis aeris liberioris vſum commendat.

Electricum fluidum numeratur inter cardiaca p. 163. neruea. Id quod Noſter hic ſedulo perſequitur, omnesque effectus electricitatis tam ſimplicis, quam compoſitae, cum corpore humano communicatae, curioſius expendit. Tum monet, ſe ſimplici electricitate nunquam vſum eſſe in ſuis aegris, qui hic adduntur, ſed ſemper fortiſſimos, quos potuit, ſine reſinoſo tamen ſcabello, ictus inflixiſſe iisdem vel ſolis, vel in corona cum pluribus catena iunctis. Incepit Noſter quinque ictibus et aſcendit vsque ad centeſimum et vltra: bis de die repetebat ictus, ſymptomatibus id largientibus. Neminem vero aegrorum ſua machina commouit Noſter, qui non vel externis vtebatur medicamentis

His praemiſſis, caſus a Noſtro enarrantur, qui p. 178. ſatis ſuperque inutilitatem electricitatis demon-
ſtrant,

ſtrant, ideoque cum Cl. MVSSCHENBROECKIO ſincere fatetur, ſe hucusque nullum euentum felicem ab electricitate ortum vidiſſe. Id quod etiam corollaria, ex omnibus hic additis exemplis de cura electricitatis deprompta a Noſtro, manifeſte indicant. En quaedam corollaria: electricitatis fulmen audax ſemper et anceps eſt remedium, multos ad ſuperos ablegat, quos iuſta medendi methodus conſeruaſſet: ſaepe triobulario medicamento pauperibus tutius et iucundius mederis, quam centenis ſuccuſſuum electicorum myriadibus: arnicae infuſum paralyſin citius et tutius iuuat, quam annua electricitas: eadem non, niſi in caſibus et ratiociniis et experientia comprobatis, tumque ſuis cum cautelis adhibenda. Strictum corpus minus, ac laxum, plethoricum minus, ac phlegmaticum fert electricitatem. Melancholicum et atrabilarium periculo non carent. Infantibus debilibus et ſenibus electricitas non ſeruit: viris potius, quam feminis apta eſt. In inflammationibus, morbis neruorum, pectoris, cachexia, ſcorbuto, morbis capitis, odontalgia cet. nil boni hucusque ſuadet electricitas. Porro nec ieiuno, nec pleno ventriculo conuenit, ſed prima coctione finita. Omnino iudicat, electricitatem non prius eſſe adhibendam, quam aliis atque aliis iisque pluribus fruſtra antea tentatis remediis. Atque tum ſimplex modo tentetur ſcintillarum electricarum euocatio primum: dein, fruſtra his adhibitis, ad commotionem tranſiendum eſt; ſed vltra decem aut viginti ictus mediocres nunquam pergendum exiſtimat, potius bis terue de die repetendum.

XI.

Inträdes-Tal om Kräftſkadors, ſcrophulöſe och veneriſke Sårs och ſoullnaders igenkännande hållit för Kongl. Collegium medicum den 18. October 1771, af PEHR BIERCHE'N M. D. Aſſeſſor i Kongl. Coll. med. På Kongl. Collegii befallning. Stockholm, tryckt hos Direct. Lars Salvius. 1772. 8.

i. e.

Sermo inauguralis de diſcrimine inter vlcera cancroſa, ſcrophuloſa et venerea, et tumores horum generum, in conſeſſu collegii medicorum habitus a PETRO BIERCHEN, M. D. quum munus Aſſeſſoris ibidem adiret.

Non facile praeſtantius argumentum ſub exordium noui muneris eligere Cl. Auctor potuit, quum in carcinomatum cognitione et medela haud vulgari peritia calleat. Eſtque is in Suecia medicus, qui ſuperiorum expenſis ſuffultus puluerem Cl. GVY in Anglia redemit, et, vt Ipſe fatetur, eodem multis tam ditioribus, quam pauperioribus in cancris adiumento fuit.

Queritur de confuſione cancri cum tumoribus vlceribusque aliis, quod quotidie fere fit; quorſum pertinet exoſtoſis adeo, caries, vlcus, noma dictum; vnde minus mirum, errorem committi in diſtinctione ſaepe difficili tumorum a lacte coagulato, vlcerum venereorum et ſcrophuloſorum, variarumque aliarum indurationum.

Vitiorum in mammis cancroſorum tria genera diuerſa Cl. Auctor conſtituit, ſcilicet *cancrum genuinum*, *cancrum fungoſum*, et *carcinoma ſcrophulo-* p. 6.

ſum. Horum omnium characteres ex propriis obſeruationibus, hiſtoriis mali ipſius crebro interſperſis, delineat.

p. 7. *Cancer genuinus* initio, ſcirrhi inſtar apparet; magnitudine et figura piſi, vel funis exigui. Initio omnino glaber eſt; prout autem increſcit, ſuperficies exaſperatur. Senſim aliquando figuram conicam aſſumit; plerumque autem rotundus eſt, nec ex pluribus grumis, vt cancri ſcrophuloſi, ſed vnico tantum conſiſtit, et inde a piſi magnitudine ita increſcere poteſt, vt ad finem totam mammam repleat. Duritie interna inſtar cartilaginis eſt, vel digitis contrectatus arenam collectam refert. Dum aperturam agit, cutis rubeſcere incipit, et per fiſſuram ſtillat parca copia aquae, vel ſeri. Noxia valde in hoc genere mercurialia ſunt, augendo incrementum, et ruptionem accelerando, quod idem, licet minori gradu, de aquis mineralibus et martialibus valet. Raro eiusmodi tumor, etiamſi minimae magnitudinis, dum iam ingratus ſenſus in eo ortus fuerit, ſeſe reſolui ſinit, niſi id fiat ſuctione; ſed ſenſim magis increſcit, et manifeſte omnibus emollientibus et reſoluentibus, quin ipſa cicuta, ſiue conio, peior fit. Huius ſtirpis efficaciam Cl. Auctor valde reſtringit, et frequenti experientia capta teſtatur, aliquid in ſcirrhis ſcrophuloſis quidem, et adhuc magis in veris ſcrophulis, vel inueteratis vitiis venereis, vti et in tumoribus a coagulato adipe praeſtare; ſed in omni cancro genuino inſignem noxam afferre. Dolores quidem ſopire eandem poſſe per primas hebdomades non negat; ſed paullo poſt accelerare malum conſpicuum in modum, et quidem pro doſeos proportione, et iuncto externo vſu. Auxit doſin Auctor interdum ad vnciam integram per diem, idque pluribus menſibus ſine alio effectu, quam ebrietatis ſenſu

ſu et diureſi fortiori. In cancro oris ptyaliſmum, quaſi a mercurio, excitauit.

Difficiliores longe iſtos ſcirrhos pronuntiat, qui initio funium exiguorum (*Bindfaden*) fruſtula referunt, et citius dolores excitare. Periculoſiſſimi autem ſunt, qui oriuntur in ſuperiori pectoris parte prope muſculum pectoralem, et punctiones verſus cauum pectoris, vel ſternum, vel axillam excitant, etiamſi mobilis tumor eſſet. Aegri, huic generi carcinomatum obnoxii, ſaepe faciem, rubro exanthemate diſtinctam, habent. p. 11.

In feminis creberrima cauſa carcinomatis ſunt commotiones animi fortiores, quibus ſerum in vaſis minimis ſtagnat (nam ſerum, ob vim ſuam coagulabilem, praecipue Cl. Auctor accuſat), dein acrimoniam quandam ſingularem contrahit, qua alia liquida inficit. Non inficiatur tamen, aliquando a vitio interno, primum incidente, tanquam ex ſemine aliquo enaſci poſſe. Pleroſque autem ſcirrhos locales tantum eſſe, et ferro, vel puluere Guyano, exſtirpari poſſe affirmat. p. 12.

Alterum carcinomatis genus, *cancer fungoſus*, ſub primo ſtatu, a ſcirrhoſo aegrius diſtinguitur; ſed ſua natura tamen inſigniter differt. Eſt hic ſcilicet magis elaſticus et ſpongioſus altero, et diuerſo plane modo rumpitur. Incrementum longe celerius habet, multis mollioribus et liuidis aſperitatibus iunctus. Vi rumpitur et ſaepe pluribus locis ſimul cum copioſo aquae cruentae profluuio. Ex apertura propullulat caro, vuas vel lobos referens fungoſos, coloris hepatici. Et longe inſigniorem hic cancer magnitudinem nanciſcitur. Fungus tamen hic durus et quaſi cartilagineus eſt. Senſim in ſuppurationem perfectam tranſit, et pus, ſaepe cum liquido cruento commiſtum, eructat. Raro hic glan- p. 17.

dulam magnam ſubaxillarem in connubium ſuum trahit; nihilominus tamen vitium hoc ſaepe omne
p. 21. auxilium ſpernit. Praeter mammas interdum quoque dorſum, ſcapulas, brachia, femora et crura occupat; et recenſet Auctor hiſtoriam fungi cuiusdam to-
p. 22. tum fere dorſum occupantis. Memorabile exemplum diſpoſitionis in femina ad depoſitiones lacteas vitioſa, et ſcirrhi mammae ex terrore enati Cl. Auctor recenſet, quam vero Auctor canicula, mammae
p. 26. vtrique admota, ſuperauit. Multum ſimilitudinis haec ſuctio cum ſuctione bufonum habet, quorum applicatio haud ita pridem iterum inclaruit. In binis feminis ipſos Noſter admouit, in quarum vna mammae adhaerere bufones reſpuerunt; in altera autem ſuxerunt quidem, ſed dolore et ſanguinis profluuio nimio iuncto.

p. 27. *Carcinoma ſcrophuloſum* ab interna cauſa et a peculiari miaſmate, a venereo non multum diſſimili, deriuandum Auctori videtur; aetate vero et curationis conatibus debilitatum et varie mutatum. Diſtinguit Auctor ſollicite illud ab aliis ſcrophuloſis tumoribus. Iſtae ſcrophulae, de quibus hic ſermo eſt, plerumque indolentes ſunt, diuque absque vllo incommodo perdurant. Duriſſimi in inguinibus obuii. Saepe ſuperatis omnibus reliquis, ſuperſtites ſunt, nec mercurii ope facile ſoluuntur. Carcinomata ſcrophuloſa mammarum difficillima curatu Cl. Auctor pronunciat, et poſt exſtirpationem ple-
p. 34. rumque repullulant. Initio difficilius diſtinguuntur, interdum, inſtar ſcirrhi ſolitarii, originem capiunt, licet plerumque glandulas minores tumidas in vicinia cum habitu corporis malo habeant. Duritie cedunt quodammodo ſcirrho exquiſito, vel cancroſo, nec multum vel plane non dolent, vsque dum rumpantur, vel ſummum incrementum attigerint, quin nec tum quidem. Poſtea autem longe differt a reliquis gene-

generibus. Mamma enim ad finem liuida fit, plerumque complanata et dura, inſtar tabulae ligneae, vel conſtringitur prope coſtas cum ſulco profundo. Poſtquam ad vigorem ſummum peruenerit hoc vitium, colorem eryſipelatoſum contrahit, cum notabili calore in habitu loci affecti. Quaedam ſcrophulae pus maturum fundunt, aliae autem in eodem aegro tenue, foetidum interdum, nigreſcens, liquidum; multi nodi ſeſe aperiunt, ſuppurant, et conſolidantur, et haec vlcera multis locis alba et lardoſa apparent; aliis autem rubra et fungoſa, et conſolidationem reſpuunt, vel ſeruant continuo cruſtas ſuas duras ſiccasque. P. 36.

Scirrhos eiusmodi exiguos pluries ope vnguenti mercurialis et cataplaſmatibus calidis diſſipauit. Et Cl. GVY hoc vnguentum et ſtercoris vaccini cocti applicatio interdum ſucceſſerunt. Quin nonnunquam ſolus internus mercurialium vſus ſuffecit. p. 37.

Nunquam Noſter ex coagulato poſt puerperium lacte veros ſcirrhos enatos vidit. Quin e contrario aliquando veros ſcirrhos, coagulo inſigni lactis, febre lactea et lactatione diſſipatos vidit. Et indurationes pertinaces ex coagulato lacte ſaepe, praeeunte Cl. ACREL, ſolis pultibus et cataplaſmatibus reſolutos obſeruauit. Crebrius tamen in ſuppurationes lentas, fiſtuloſas tranſierunt, quo in caſu cataplaſmata ſaturnina, diu continuata, maximum adiumentum attulere. p. 52.

Inter conſilia, ad praecauendum cancrum idonea, etiam lactationem liberorum refert, licet amore veri ductus exemplum quoque recenſeat, in quo nec hoc conſilium efficax fuerit. p. 53.

Poſt exſtirpationem, ferro factam, interdum ideo videtur malum deteriori adhuc ſcena repullulare, quod virus, antea retentum intra vaſa indurata, iam liberum redditur, et reſorberi ſeſe patitur a p. 55.

vicinis glandulis, quin totum ſanguinem inficit. Ob eandem cauſam hoc auxilium non diu differri debet. Contagioſae naturae exemplum Cl. Auctori ſeſe repraeſentauit, a diuerſitate ſtructurae mammarum vtriusque ſexus deriuandum, quod rariſſime viri cancro mammarum afficiantur; cuius rei tamen hiſtoria hic exſtat: prout contra ea feminae raro vel nunquam cancro faciei et labiorum corripiuntur.

p. 58. Ab hiſce Cl. Auctor ad *venereorum* vlcerum et tumorum conſiderationem progreditur. Quae mammas afficiunt, ſub triplici forma occurrunt, vel inſtar vlcerum cutaneorum purulentorum, vel inſtar ſphacelantium, vel duritie ſeſe produnt, inde a coſtarum membrana initium capiente. Primum genus lardoſa natura facile dignoſcitur, ſed vlcera fiſtuloſa nonnunquam format, quae ichorem tenuem ſubinde fundunt: fluxum ſalſum (*Salzfluß*) vernacula lingua vocant; poſteriora duo autem facile cum cancro confunduntur. Prioris generis plures curationes felices enumerat Auctor Cl. ſolutione mercurii ſublimati granis quatuor in ſpiritus vi-
p. 62. ni vncia vna factas. Venereorum vlcerum tertii generis mammam infeſtantis Auctori vnicum modo exemplum obuiam venit, et quidem in viro quadragenario, in quo ſolutio mercurialis, tam interne, quam externe vſurpata, dein vnguentum coeruleum Londinenſe proficuum fuit.

Meminit quoque Auctor ob argumenti cognationem dolorum, mammas ſine duritie vel ſcirrho aliquo manifeſto infeſtantium; nec omnino hoc malum a venerea labe liberum arbitratur. Vſus in caſu quodam obſtinato feliciter tinctura Guaiaci volatili Londinenſi; qua tamen potentius fuit vnguen-

guentum mercuriale: et dein iuncta antimonialia cum mercurialibus dolorem omnino ſopierunt.

Carcinomata linguae rarius ab Auctore viſa ſunt, et in hiſce a venereis diſtinguendis eadem Cl. viri ſagacitas eminet. Quod idem, quum de vlceribus horum generum labiorum et faciei et cancro internarum narium mentio fit, valet. p. 66. p. 73.

Clariſſimos AKENSIDE et STÖRCK redarguit de erroribus, in diagnoſi carcinomatum commiſſis. p. 77.

Ad finem vlcus *Noma* dictum (*Waſſerkrebs*) curatius deſcribitur. Eſt vlcus ſphaceloſum, quod exiguo ex rubro luteo tuberculo cum duritie oritur. Hoc ipſum mox nigreſcit, et pars ipſa ſubito ſenſu coloreque naturali orbatur: liueſcit, et pars nigra breui dilatatur margine ex rubro luteo. Per noctem vel intra nycthemerum aliquando tota pars excidit, et corruptio cum foetore et inſenſilitate totius faciei continuat, vsque dum facies cum labiis, naſo et genis per paucos dies computruerit et per fruſta exciderit. Ipſa oſſa putreſcunt, nigreſcunt et corrumpuntur, ipſi dentes alueolique eorum excidunt, nec tamen infantes deſtituuntur appetitu cibi vehementiori, vsque ad vltimum vitae halitum. Pulſus per totum morbum maxime celer et debilis eſt. Antiſepticis et inter haecce ſpiritui mercuriali ſaturato maximam efficaciam Cl. Auctor tribuit. p. 85.

XII.

Acta Heluetica phyſico mathematico anatomico botanico medica, figuris aeneis illuſtrata, et in vſus publicos exarata. Volumen VII. Baſileae, typis et ſumptibus Ioh. Rodolphi Imhof et filii 1772. 4. pagg. 338. tab. aen. 12.

Non eſt, quod de dignitate huius Voluminis plura praeloquamur, cum et thematum grauitas, et Cl. Sodalium in conſcribendis tractatibus diligentia ex ipſa, quam iam trademus, ſumma intelligantur.

p. 1. 1. *Commentatio, in qua, inquiſitis cauſſis occaſionalibus inſalubritatis aereae in vrbe Lauſanna, oſtenditur noxas morboſque praecauendi ratio*, Gallico ſermone ſcripta a Cl. IACOBO D'APPLES. D. M. Inuenit Cl. Auctor cauſſam praecipuam in immunditie vicorum, et aquae ductuum, eamque ſpecialius recenſet, ſimulque multum ad morbos conferre oſtendit aquam limoſam tophaceamque, ſic etiam frumenti impuritatem, atque prauam viuendi rationem. Has cauſſas igitur omnes euitandas et magiſtratui, et ſingulis hominibus, et medicis offert.

p. 9. 2. *Diarium inſitionis variolarum, factae d. 25. april.* 1768. Auctore EODEM. Narrantur phaenomena inſitionis in puero, quatuor annorum, ſano, a nutrice ſana nutrito; qui tamen et corpore, et mente, quendam offerebat lentorem. Poſtquam ei pus variolarum, filis ante 6 menſes communicatum, inſertum eſt, leuioribus ſymptomatis nono demum

demum die aliqua eruptionis ſigna apparuerunt, puerque diu multumque dormiebat, febri vix vehemente, ita, vt duodecimo tandem die variolae inciperent ſuppurare, accederentque decimo quarto ſuccedaneae variolae, quae cum prioribus ſenſim et ſuppurarunt, et exſiccatae ſunt. Sicque puer ab omni morbo intra viginti duo dies eſt liberatus. Secundam variolarum eruptionem tribui poſſe iudicat Cl. Auctor, et diſpoſitioni lentae huius pueri, et miaſmatis varioloſi inſerti imbecillitati, et minori fomitis varioloſi in hoc puero quantitati. Putatque haec incommoda euitari potuiſſe, ſi inſitio ad methodum Gattianam inſtituta fuiſſet.

3. *Commentatio altera de quibusdam exanthematicis morbis* Gallice ſcripta Auctore Cl. RAZOVX *). p. 16.
Prima obſeruatione morbus ad purpuram, ex Cl. Auctoris mente accedens, narratur. Vir ſexaginta annorum, firmus ſanusque, cum caſu pedis ſiniſtri malleolus internus vehementer contunderetur; ecchymoſis vero a chirurgo ſpiritu vini martiato tractaretur, et, accedente leni inflammatione, pinguia adhiberentur: afficiebatur non ſolum in pede affecto maculis rubris, pulicum ictui ſimilibus, quae, inſtar variolarum, eleuabantur; verum etiam eaedem conſpiciebantur in vtroque brachio, incipientes ſpatio trium pollicum ſupra radii apophyſin, extenſaeque per omnem manum: reliquum corpus liberum ab iis erat. Quarto die, cum Noſter accederet, haec exanthemata ſcabiei ſimilia inuenit, inſuperque omnem faciem tumidam, ac ſi eryſipelate afficeretur. Vrina rufa, ſanguinea, cum dolore excernebatur. Ceterum aegro omnis

 in

*) Commentatio prior vid. in Act. Helv. Vol. I. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 108.

in pede, poſt hanc eruptionem, dolor euanuit; atque Noſter eum, venaeſectione bis inſtituta, temperanteque aqua nitroſa, per quinque dies exhibita, additisque leniter euacuantibus, ſanitati reſtituit. His ſubiungit alia quaedam exanthematum exempla, quorum prius, a Cl. ROBERTO obſeruatum, ortum ex bili mota, cum cardialgia coniunctum; hac, quibusdam diebus elapſis, ceſſante, ſponte etiam euanuit; poſterius a Cl. CUSSON narratum, terrore excitatum, itidem ſine remediis diſparuit.

p. 25. 4. *Deſcriptio ſtellae marinae, petrificatae, reperiundae in Muſeo fratrum* Cl. GAGNEBIN, Gallico idiomate data ab ABRAHAMO GAGNEBIN, natu mai. Intelligimus ex deſcriptione Cl. Auctoris, eſſe hoc petrificatum nouam Helmintholithi ſpeciem, cum *Stellam marinam ſcolopendroidem* RUMPHII atque LINNAEI *Aſteriam rubentem* cum verme deſcripto conuenire multum dicat. Eſt igitur vermis hic praeditus radiis quinque fere cylindricis, diuerſae longitudinis, corpore rotundo, ore centrali: atque lapidi affixus, cuius pondus ſeſquiunciam cum verme petrificato aequat. Reliqua, icone addita, optime declarantur.

p. 30. 5. EIUSDEM *deſcriptio quorundam petrificatorum.* Primum nominatur cunnolites, propter figurae, quae addita hic cernitur, ſimilitudinem cum parte genitali muliebri quorundam animalium, coniicitque Auctor, eſſe illud ex *Madrepora* mutatum, cum aquae fortis ſolutione cellulae detegantur. Figura nobis cum LINNAEI deſcriptione *Helmintholitho Hyſterolitho* conuenire videtur. Fragmentum alterum eſt cornu caprae petrificati. *Soleniten* tertia figura oſtendit, petrificatum ex *Solene vagina* LINN. atque his ſubiungitur a Cl. Auctore Synonymia *Hel-*

Helmintholithi tubipori LINN. eiusque vſus medicus, qui ſit adſtringens, additur.

6. *Hiſtoria ſingularis, morbi hyſterico conuulſiui grauiſſimi, cum deglutitione diu intercepta*, Auctore FR. THADDAEO BERGERO. Mulier, 29 annorum, macilenta, tenerrimi habitus, cacochymica, morbo hyſterico ita vexabatur, vt de eius ſalute fere eſſet confectum. A prima iam grauiditate multis ſpaſmis affecta, periculoſiſſimum edidit partum; iterum grauida meliore quidem fruebatur valetudine; poſtea tamen, ſpaſmis ſubinde reuertententibus, catameniis ceſſantibus, molas binas enixa eſt. Tum, iterum iterumque ſpasmodicis regreſſis affectibus, thermarum Kirnhaltanarum balneo vſa per duo menſes reſtituta eſt. Poſtea autem febri catarrhali, cum graui pectoris oppreſſione corripiebatur, vomituque bilioſo, algore maximo, ſubſequente aeſtu et pleuritide ſpuria noctem tranſigens, venaeſectione quidem a pleuritide liberabatur; attamen morbo ipſo remanente, omnique fere deglutitione impedita, prorſus, omnibus remediis fruſtra adhibitis, exſiccabatur. Hoc in ſtatu Noſter aduocatus de aegra omnino deſperare noluit, ſed protinus balneum ex furfure triticeo, floribus chamomillae et ſapone Veneto, cum aqua et lacte parandum, in quo tepido aegra per horam ſederet, imperabat; poſtea ſpiritu ſequenti eam lauari iuſſit. Rec. Spir. Serpill. vnc. dim. vini camph. vnc. I. Spir. Sal. ammon. vinoſ. drachm. I. Balſ. vit. Hoffm. vnc. dim. M. Atque emplaſtrum ſaponatum Barbette a collo vsque ad oſſa pubis ei impoſuit. Atque his factis, poſtero ſtatim die aegra fluida, lente quidem, bibere poterat. Dedit igitur ei per integrum menſem, guttas 60 ſequentis ſpiritus, quem aliis omnibus antiſpaſmodicis praeſtare affirmat. R. Spir. aperitiv. PENOTI

NOTI vnc. dim. Spirit. carminat. de tribus. vnc. I. Poſtea aquam Selteranam cum lactis aequali parte ei bibendam dedit. Atque ſic aegra conualuit.

p. 43. 7. LAVR. THEOD. GRONOVII *animalium rariorum faſciculus.* Piſcium duo noua genera *Pteraclis* et *Callorynchus*, *Blennii*que noua ſpecies hic a Cl. Auctore deſcribuntur, atque iconibus illuſtrantur. *Pteraclidis* nomen huic generi tribuitur, quod pinnae ampliſſimae dorſi atque ani intra binos ſquamarum ordines, valuarum ad inſtar, occludi poſſunt. Character eius eſt: *Caput* catheto-plateum, obtuſum, omnino ſquamis obductum, muticum. *Oculi* vtrinque in mediis lateribus. *Os* in antico capite. *Aperturae* branchiarum patentiſſimae. *Opercula* rotundata ſquamoſa. *Corpus* oblongum, lanceolatum, ad pinnas pectorales capite altius. *Squamarum ſeries ſingularis* radices pinnae dorſi et ani obtegit, modo peculiari. *Lineae laterales* tot, quot ſquamarum ſeries. *Anus* ſub branchiis. *Membrana branchioſtega* expanſilis, oſſiculorum arcuatorum ſex. *Pinnae* in toto piſce quinque inermes. In *dorſo* vna pone oculos, in ipſa fronte orta, per totum dorſum decurrens. *Ventrales* nullae. *Dorſales* et *anales* ampliſſimae. Speciem igitur icone delineatam nominat *pinnatam*, eamque vberius deſcribit, atque in Oceano Indico

p. 47. habitare refert. *Blennius toruus, fronte e pinna dorſali radiis anticis maximis criſtata; pinnis ventralibus ſex radiatis*, tabula tertia depictus ſiſtitur. Recedit a Blenniis reliquis radiorum numero in pinnis ventralibus. Propter hanc tamen notam Cl. Auctor nouum noluit genus conſtituere. Habitat

p. 49. in mari Indico. *Callorynchus Americanus, pinna dorſali ſecunda lineari, fronte compreſſa retuſa, roſtro nullo*, qui a WILLVGBEO, in ichthyol. tab.

B. 9.

B. 9. f. 6. depingitur, hic denique deſcribitur curate, atque in linea laterali pinnisque cartilagineis convenire dicitur cum *Chimera* LINN. in Muſeo Adolphi Friderici deſcripta: differre tamen, cum illi ſit ſubaſcendens et acuminatum roſtrum.

8. *Obſeruatio de fractura cum iactura tibiae curata feliciter*, a LVDOVICO CRETTE. Cum feminae crus frangeretur, omniaque ad repoſitionem tentata, machinaque a Cl. *Nusbaumer*, chirurgo, inuenta, fruſtra adhiberetur, atque gangraenae conſpicerentur initia: omnia tandem naturae viribus committebantur, tumque fruſtum tibiae duorum pollicum detrudebatur; atque in eius locum renata eſt noua oſſis portio ita, vt, idonea adhibita cura, femina prorſus curaretur, neque aliquam pateretur pedis accurtationem. *) p. 52.

9. *Obſeruatio de fetu monſtroſo, cuius viſcera abdominalia vna cum corde extra corpus propendebant*, communicata ab EDWARDO SANDIFORT. Fetus hic immaturus natus, ſpina ſiniſtrorſum incuruata, ac tota pelui cum extremitatibus inferioribus ſiniſtrorſum inflexa, inſuper tumorem, totum epigaſtrium occupantem, membrana inuolutum, offerebat. Membrana hac aperta, peritonaeum plurimaque viſcera abdominis, ipſumque cor propendens conſpiciebantur, non multum mutato ſitu. Cum hoc exemplo aliud, huic ſimile, in diario Belgico deſcriptum, coniungit, figurisque tribus hoc monſtrum delineatum ſiſtitur. p. 56.

10. *Experimenta therapeutica circa vires medicamentorum in corpore humano*, GERONTIS PHI- p. 62.

LIA-

*) cf. Philoſ. tranſact. Vol. 56. artic. 33, et Mém. de chirurgie Vol. VI. pag. 175. 1733.

LIATRI. Praemiſſis quibusdam generalibus de viribus medicamentorum ac methodo, ea exhibendi, eorumque vſum definiendi, regulis egregiis, ſpecimen proponit de ſcilla, quod duodecim exemplis illuſtratam magnam huius medicamenti vim in hydrope, aſthmate hydropico, hydrope pectoris oſtendat. Atque generatim Noſter id vrget, vt in narrandis exemplis ſedulo ad omnia attendatur, eaque fide enarrentur. Aegrorum hic allatorum quidam quidem per tempus morbi lenimen ſenſerunt; nullus tamen plane eſt ab hydrope liberatus.

p. 90. 11. *Caſus ſingularis morbi ſpaſmodico hyſterici*, IOH. LVDOVICI BVXTORFII, M. D. Fac. Aſſ. Eſt hoc morbi exemplum plane ſingulare, cum et puellam natu iuniorem vndecim annorum occupaverit, et per diuturnum ſatis tempus ſymptomatis multis variisque eam vexauerit, ex quibus faucium tanta conſtrictio notanda videtur, vt ſonitus clamorque, inuita aegra, ederentur, quos non, niſi compreſſione manus, cohibere poterat. Adhibita optima quaecunque remedia, et antiſpaſmodica, et ſub finem cortex Peruuianus, non aliam afferebant morbi curationem, quam temporariam. Atque ita aegra ſubinde miſere vixit, dum decimo quarto anno catameniorum eruptio morbum tolleret: adhibitaque ſalubri diaeta, poſtea per tres annos vtcunque vixit ſana, donec initio anni 1770 febri petechiali moriretur.

p. 101. 12. *Obſeruationes poſthumae* IOHANNIS BVXTORFII, Poliatri, editae ab eius filio et ſucceſſore IOH. LVD. BVXTORFIO. 1. *Vir monſtroſus*, qui, annum agens vigeſimum tertium, a Cl. Auctore examinatus, afferebat ex abdomine pendentem partem alius hominis, quae ex natibus, et extre-

mitati-

mitatibus inferioribus conſtaret. Ani orificium non aderat, penis vero naturali ſimilis, perforatus; nunquam tamen vrinam reddens conſpiciebatur. Reliquae partes naturalibus ſimiles, difformes et macilentae erant. Ceterum hic vir nihil inde incommodi patiebatur, natus ex parentibus ſanis, ſex abhinc iam annis vxorem duxit, ac cum ea quatuor genuit liberos. Icone addita vir delineatus conſpicitur*). 2) *Veſica vrinaria, extra abdomen ſub vmbilico prominens, in infante recens nato.* p. 104.
Conſpiciebatur ſub vmbilico tumor carneus, magnitudine nucis iuglandis, cui ſuperne inſiderent duo tubercula piſiformia; ſub quo ſcrotum naturale, penis vero tuberculum imperforatum offerebat; perinaeum aberat. Tumor hic non poterat reponi, ſed puer, cum vrinam non poſſet excernere, poſt 9 dies, mortuus eſt; repertumque, renes et vreteres cum hoc tumore communicare, tubercula vero perforata guttulas vrinae quasdam emittere. Reliqua, cum tumor ſphacelo eſſet tactus, Auctor non poterat diſquirere. 3) Narratur, lumbricos teretes, tres, quorum maximus ſex eſſet vncias longus, ex tumore inguinis dextri, qui emollientibus adhibitis in vlcus mutabatur, prodiiſſe, iisque egreſſis, vlcus idoneis curatum eſſe remediis. 4) Puella ſeptem dies nata, fluxum menſtruum, qui per 5 dies continuaret, paſſa eſt, ſine noxa: ac poſt annum iterum feliciter menſtruata. 5) *In-* p. 208.
ſignis tumor hydropicus lumbaris, partum difficilem reddens; tandem tamen, cum caput truncusque naturali vi eſſent egreſſa manuque tumor ab oſſibus pubis deprimeretur, partus finitus eſt, tumorque, icone depictus, in conſpectum venit, et loco oſſis ſacri coccygisque ſex adfuerunt hydatides. 6) *Ani-* p. 111.
malcu-

*) vid. caſus analogus in Nov. Act. Natur. Curioſ. Tom. IV. 1770. comm. noſtr. paullo infra.

malculum ſcroto adhaerens. Primo tumorem ſenſit vir, verrucae pendulae figura, qui, ſi fricaretur, ſenſum excitaret corporis peregrini; poſtea, duplo maiori eius volumine facto, noctu ſponte decidit. Atque obſeruatum eſt, fuiſſe animalculum capitulo nigro, ſex pedibus nigris inſtructum, quod in folliculum album, 2½ lineas longum, 2 lineas latum, qui ſanguine eſſet repletus nigro, deſineret. In ſcroto remanſit durities emollientibus mox euaneſcens. Quaeritur: cuius generis et ſpeciei fuerit hoc animalculum, et vnde ſcroto viri illapſum? tum, qua fabrica ſanguinem hauſerit, fueritne hirudini ſimile? 7) *Butyrum arſenicale iuueni ancillae funeſtum.* Cum enim caſu butyrum, arſenico remixtum, inſcia deuoraret, ſtatim vomitu, aluinaque deiectione frequenti afficiebatur: quae ſymptomata, quamquam theriaca Andromaches, lac vaccinum et oleum amygdalarum dulcium exhiberentur, ſemper augebantur, donec ſequenti moriretur die. 8) Cum fragmentum oſſis triangulare deglutitum eſſet, per menſem ſenſus acutus dolorificus circa regionem ventriculi percipiebatur: tumque repente ortus vomitus ſanguineus per quatuor dies, quo ipſum oſſis fragmentum ederetur, durans, qui nullis poterat ſiſti remediis, aegrum morti dedit. 9) *Carcinomatis linguae extirpatio.* Nato in lingua tumore, indeque cancro facto, adhibita remedia nihil iuuarunt, donec operatio inſtitueretur. Quae quidem feliciter ſuſcepta, linguae etiam curationem producebat: at vero, cum aeger ſenex eſſet, humores deprauati in glandulas parotides deponebantur, atque ſic maraſmo conſumtus aeger eſt mortuus. 10) In viro iuuene obeſo, ac ſano in dextro latere pulſus perſentiebatur, indeque colligebatur cor, in dextrum locatum eſſe latus.

13) IO. LVD. BVXTORFIVS refert caſum febris ſcarlatinae, quae ex ſubito poſt magnum calorem refrigerio orta, grauibus ſymptomatis praedita, per ſex dies durans, catameniorum fluxu critico, adhibitisque remediis curata eſt. Huic ſubiungit duas conuulſionum anomalarum, choreae S. Viti ſimilium hiſtorias: quarum prior per ſex hebdomadas fere continuo, ſenſim aggrauatis ſymptomatis, aegrum occupauit, dirisque vexauit conuulſionibus omnium artuum; adhibitis vero optimis antiſpaſmodicis externisque epiſpaſticis morbus tandem, accedente in ſtatu conualeſcentiae ſudore, ſenſim ſanatus eſt: altera etiam ad ſex hebdomadas conuulſionibus vexata nullis curari poterat remediis, donec natura haemorrhagia narium morbum tolleret. In vtroque caſu plena fere ſenſuum erat perfectio, actionumque vitalium, naturalium liberum exercitium. p. 119.

14) *Ternio graminum*, *ex* America *nouorum*, *deſcripta et iconibus illuſtrata* a PETRO IONA BERGIO. Cum pauca omnino ſint, quae de *graminibus* noui orbis conſtent, gratum certe omnibus erunt Botanicis et ea, quae iam deſcribit Cl. BERGIVS, et, ſi plures ſtirpium Americanarum e collectione Rolandriana, vti promittit, deſcribet et delineatas tradet. Sunt vero gramina, hic deſcripta egregieque delineata haec: *Paſpalum repens*, ſpicis paniculatis ſubuerticillatis nutantibus, culmo repente; *Paſpalum coniugatum* ſpicis coniugatis, et *Schoenus ſetaceus*, culmo tereti ſtriato, foliis ſetaceis, floribus lateralibus. Quae omnia in Surinamo habitant. His addit nouam Piperis ſpeciem, quam nominat *Piper aggregatum*, foliis ouatis acuminatis, ſpicis aggregatis breuiſſimis. p. 127.

p. 133. 15) *De calculo probabilitatum*, Auct. Cl. MALLEY, prof. aſtronomiae Genevenſi.

p. 173. 16) *Biga obſeruationum* ex L. E. BINNINGERI, Med. Doct. dum viueret, archiatri et conſiliarii Montbelgardenſis manuſcriptis depromtarum a nepote D. C. E. BERDOT. Med. Doct. Primo militem quendam vltra 80 menſuras quotidie bibiſſe; deinde hominem ſcorbuticum, epotis per diem centum cyathis, quorum quisque vnciarum quinque capax eſſet, thermarum plumbarium, idque repetita vice, a morbo fuiſſe ſanatum refertur.

p. 177. 17) D. C. E. BERDOT *obſeruationem de lumbricis, e cubito erumpentibus*, communicat. Perterritus ante variolarum eruptionem puer trium annorum, variolis ſuperatis, hemiplegia menteque debili afficiebatur: quae balneorum domeſticorum, et poſtea plumbarium aquarum vſu eo ſanabantur, vt incompletus ſolum remaneret brachii motus. Decimo nono aetatis anno humerus ſiniſter indoluit, tumidaque puſtula enata, eaque ſponte aperta, plures exierunt lumbrici, terreſtribus ſimiles: tumque vlcus ſponte exſiccabatur. Haec etiam lumbricorum excretio ſaepe regreſſa eſt. Senſit iuuenis primo in epigaſtrica regione ſiniſtri lateris dolorem, qui per pectus ad axillam, inde ad ſcapulam humerumque reptaret. Tentata intus anthelmintica, extuſue vlceri et epigaſtrio inunctum vnguentum mercuriale. Sitne vero cura ſecuta, non relatum legimus.

p. 181. 18) *Enumeratio Auctorum, qui de hiſtoria naturali Heluetica ſcripſerunt, addito de iis iudicio*, per Cl. DE HALLER Filium. Veſtigia Ill. Patris feliciſſi-

liciſſime ac diligentiſſime premens Cl. Auctor, proponit hic bibliothecam Auctorum hiſtoriae naturalis Helueticae, eo electo ordine, vt in duas ſectiones omnem diuidat tractationem: quarum prior continet libros, generatim hiſtoriam naturalem attinentes, et quidem vel de Heluetia omni, vel de quibusdam eiusdem regionibus agentes, vel qui quasdam generales afferant de hac ſcientiae notiones, vt ſunt topographiae, itinera, ſocietatum acta, muſea, litterae familiares, atque oeconomici libri: poſterior ſectio libros ſpecialius de hiſtoria Heluetica naturali agentes complectens, primo capite recenſet libros, clima, aërem atque obſeruationes meteorologicas referentes; ſecundo morborum Helueticorum eorumque remediorum deſcriptores, tertioque recenſet hiſtoriae fontium Helueticorum fontes, cum vniuerſales, tum particulares; quarto mineralogias, quinto hydrologias, ſexto vegetabilium hiſtorias, ſeptimo zoologicos libros atque octauo phyſicos, de phaenomenis, in Heluetia conſpiciendis, agentes Cl. Auctor enarrat. His in genere de ordine, quo Noſter vſus eſt, praemonitis, quaedam eſſent ſpecialius excerpenda. Verum, cum vix iudicia Cl. HALLERI notatuque digniſſima in compendium tranſigi poſſint; notamus tantum, praeter libros editos, manuſcriptos etiam codices eſſe a Noſtro recenſitos, vt ſunt IO. IAC. SCHEVCHZERI *Hiſtoria Plantarum et animalium Heluetiae* pluraque muſea; addidiſſe hic quoque omnium in Heluetia reperiundorum muſeorum numerum. Quod partes attinet ſpeciales, in mineralogicis non conſentit cum Cl. GVETTARDO, qui Heluetiam cum Canada comparauerit. *) In botanicas

*) vid. Mémoires de l'Ac. Roy. de Par. 1752. 4.

tanicis merita CONRADI GESNERI ac Ill. Patris praecipue narrantur. Omninoque Noſter numerum librorum 533 attulit.

p. 331. 19) WERNERI DE LA CHENAL obſeruationes nonnullae botanicae. Primo *Sedi aruenſis* flore rubente BAVH. icon atque ſynonymia deſcribitur, putatque Auctor, LINNAEVM hanc ſtirpem cum aliis inter ſe diuerſis confudiſſe. Deinde *Seſeli Pyrenaicum* LINN. deſcribit et delineatam iconem ſiſtit: monetque, propter alas ſeminum non ad *Seſeli*, ſed ad *Selina* eſſe referendum. Nominat illud *Selinum, vaginis foliorum amplis, foliis triplicato pinnatis, lobulis vltimis lanceolato linearibus, acutis, mucronatis.* Cum his coniungit deſcriptionem egregiam *Selini caruifolii* CRANZ (*Stirp. Auſtr. P. I. p.* 162. *t.* 3. *f.* 2.) quod eſt *Caruifolia* BAVHINI: atque *Selini caruifoliae* LINN. ſynonymiam extricat.

XIII.

XIII.

Diſſertation ſur les parties ſenſibles du corps animal, ſuivie d'un mémoire ſur les avantages que procurent les frictions mercurielles dans le traitement de quelques epilepſies idiopatiques, avec les conſultations et lettres, qui y ont rapport; terminé par deux obſervations ſur l'uſage du mercure pour la guériſon du ſcorbut et des dartres. Par Mr. E. I. P. HOVSSET, Docteur en l'Univerſité de Médécine et Correſpondant de la Societé Royale des Sciences de Montpellier, Médécin des hôpitaux, Bibliothécaire et ancien Directeur de la Societé des Sciences et belles Lettres d'Auxerre. A Lauſanne, chez Franç. Graſſet et Comp. MDCCLXX. 8. plagg. 7. abſque titulo et dedicatione ad Ill. HALLERVM directa.

i. e.

Cl. HOVSSET diſſertatio de partibus ſenſibilibus corporis animalis cet.

Prior diſſertatio ea tantum vlterius illuſtrat, quae in variis epiſtolis olim Cl Auctor propoſuit. Poſtquam de cautionibus, quae in experimentis huiusmodi capiendis neceſſariae ſint, diſſeruit; monſtrat, aduerſarios Ill. HALLERI has regulas neglexiſſe, obſeruationes in hominibus factas multo incertiores eſſe, quam quae in brutis fiant: quum haec ab animi paſſionibus parum vel non turbentur: ac denique facilius dictu eſſe, quaenam partes ſenſu careant, quam quae ſenſiles vocari mereantur; vbi ſimul exempla quaedam inſenſilitatis cerebri, peri-

 tonaei,

tonaei, lineae albae, omenti, et tendinum adducit; praecipue vero in eo gloriam ponit, quod primus fuerit, qui ſubſtantiam cerebri vſque ad corpora ſtriata inſenſilem eſſe docuerit.

In tractatione de efficacitate inunctionis mercurialis in epilepſia hereditaria et idiopathica, quam ad academiam ſcientiarum Diuiodunenſem direxit, cauſſam huius morbi cum in deprauata viſcerum digerentium conditione, tum in ſumma ſpiſſitudine humorum, quae duae cauſſae arctiſſime inter ſe iunctae ſint, ita, vt altera alteram producat et foveat, ponit: ergo niſi contraindicans adſit, aut niſi certo compertum ſit, morbum hunc deberi vitio conformationis cerebri, calculo in eo geniti, aut ſanguini, poſt vim illatam extra vaſa miſſo; corpore rite parato ad inunctionem mercurialem, tamquam potentiſſimum remedium ſpiſſos humores fundendi, perfugiendum eſſe. Haec tamen medendi ratio, quod candide fatetur, etſi ipſi antea incognita fuerit, quam ratiociniis ad eam duceretur; noua tamen non eſt, ſed iam a SYLVATICO, WILLISIO, ETMVLLERO et ROLFINCCIO propoſita. Ipſe autem, ſe recte iudicaſſe, in aegroto iuuene, poſt hemicraniam, diutius durantem, demum epileptico facto expertus eſt, quem primo ab epilepticis inſultibus conſuetis auxiliis per annum immunem reddidit; his autem recrudeſcentibus ſaliuatione, praemiſſis ſanguinis miſſionibus, euacuantibus, balneis cet. per inunctionem excitata prorſus liberauit. (Nos tamen dolemus, hominem hunc, paucis poſt annis in Caiennam delatum, et elapſis ſex menſibus epidemico morbo ibi graſſante exſtinctum, opportunitatem ſecandi cadaueris ſubtraxiſſe, quod ſi fieri potuiſſet, melius omnino de auxilii huius pretio conſtaret.)

Scor-

Scorbutum terreſtrem in ſutore, praemiſſis venae ſectionibus, purgantibus, decoctis antiſcorbuticis et balneis ope boli ex 22 granis aethiopis mineralis, 8 granis diaphoretici mineralis et ſyrupo de fumaria, ſingulis diebus mane ſumto: et eruptionem ſcabioſam ſeu herpetem per totum corpus, ſolo capite excepto, in virgine iisdem fere remediis feliciter profligauit; relicta tamen in hac viſus hebetudine, quam cauteriis aggredi noluit, ne vlceribus malae notae ortum ſuppeditaret.

XIV.

Diſſertations ſur la dilatation des artères, et ſur la ſenſibilité; appuyées de pluſieurs expériences, faites ſur les animaux vivans, auxquelles on a joint deux obſeruations ſur l'hydropiſie du péritoine par M. ARTHAVD, Lic. en Méd. à Paris, chez P. G. Cavelier, Libraire. MDCCCXXI. 8. maj. plagg. 4½.

i. e.

Diſſertationes de dilatatione arteriarum et ſenſilitate, experimentis multis in viuis animalibus captis confirmatae: quibus accedunt obſeruationes duae de hydrope peritonaei, Auctore Cl. ARTHAVD.

Prior tractatus diſſertationem inauguralem ſiſtit, quam Noſter ſub praeſidio Cl. IADELOT Nancii anno 1770 defendit, in Gallicum ſermonem translatam. In principio demonſtrat, neque aſſumtam elaſticitatem arteriae, nec fibras muſculares eiusdem, nec preſſionem lateralem, dilatationem eius efficere. Figura conica imaginaria, et arteriae non, niſi ratione ramorum, quos emittunt, p. 1.

diametrum minorem acquirunt: idem iudicium ferri oportet de membrana muſculoſa, ſiquidem non, niſi ſtrata, plus minus denſa, contextus celluloſi adſunt, vario modo diſpoſita, colore rubro, quod iam Ill. SENAC docuit, non, niſi per accidens inſtructa, ſed irritabilitate prorſus deſtituta. Poſt Cl. WEITBRECHTVM veritati propius acceſſit Cl. DE LA MVRE *), arteriam conſpiciens ſe loco mouere ſine dilatatione, huncque motum ab inverſione cordis deriuans. Noſter e contrario in arteriis rectis vix vnquam motum a loco detexit, ſed tantum in curuis, et eo quidem maiorem, quo maior eſſet flexus arteriae ipſius: arteria ligata, diametro eadem remanente, omnis motus infra et inter vtramque ligaturam intercipiebatur. Arteriae omnes vno temporis momento pulſant. Motus autem iſte proficiſcitur a columna continua ſanguinis, quae impetum cordis ſiniſtri recipit, qui ad lineam rectam dirigitur; ſed idem fluidum ad curuaturas arteriae appulſum iisdem directionem rectam comparare annititur, vnde motus iſte a loco. Hic ergo tantum in arteriis curuis locum habet: etſi Cl. DE LA MVRE aliique eundem in arteriis rectis ſe obſeruaſſe dicunt, illud vel contractionibus fortioribus cordis, vel compreſſioni cuidam arteriae ipſius tribuendum erit, v. c. in infantibus, qui obſtructione meſenterii laborant. Similis eſt ratio pulſationis venarum, cuius rei illuſtre exemplum vidit Cl. Auctor in femina, in qua vehemens pulſatio iugularis externae dextri lateris percipiebatur, a ſtruma inſignis molis profecta, quae muſculis et clauiculae impoſita facile poterat vaſa vicina comprimere. Pulſus in omnibus arteriis percipitur, ne iis quidem exceptis, quae loco non mouentur: non aeque in ve-

nis,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 275. ſeq.

nis, ideo quod columnae ſanguinis aequaliter mouentur, et ex ſpatio anguſtiore in amplius tranſeunt. Si digitus arteriam diſquirit, mutata eius forma ſanguinis liber tranſitus impeditur, ad quod obſtaculum ſuperandum maior impetus ſanguinis, quem pulſum dicimus, efficitur: inde ſub ligatura nullus pulſus.

Sequuntur experimenta, hac de re in variis animalibus capta. In praefatione Cl. ARTHAVD inſtrumentum quoddam deſcribit, quo dilatationes arteriae, ſi quae eſſent, cognoſci poſſint: cuius tamen imperfectionem cum ipſe perſpexerit, eiusdem deſcriptioni commode ſuperſedere nos poſſe putamus. Summa autem experimentorum, praeter ea, quae iam adduximus, eo fere redit. Effectus compreſſionis iidem ſunt, ac ligaturae, ratione intercepti motus ſanguinis: illa autem ceſſante, hic protinus redit. Arteria inter ligaturas aperta, ſanguis eodem, quo ex vena ſecta, modo effluit. Poſt mortem etiam corde compreſſo arteria a ſanguine huc relato pulſat, nullis conuerſionis ſignis animaduertendis: ex arteria etiam aperta ſanguis ad ſatis inſigne ſpatium proſilit. Arteria, quae multos flexus habet, v. c. ceruicalis poſterior, ſeparato contextu celluloſo in ſitum rectum delata, non amplius, vt antea, loco mouetur: e contrario aorta deſcendens, digito ſubiecto curua reddita, motum a loco viuide oſtendit. Pulſus, qui infra ligaturam arteriae nullus eſt, hac ſublata, rurſus percipitur. p. 13.

Secundus tractatus de ſenſilitate partium potiſſimum contra Cl. FABRE, vti ſcriptum Cl. HOVSSET, ſupra a nobis indicatum, aduerſus Cl. LE CAT, directus eſt. Partes animales ratione ſenſilitatis in quatuor claſſes diſpeſcit Noſter: aliae ſunt abſolute ſenſiles, quod ſolis neruis competit; aliae rela- p. 27.

tiue ſenſiles, in quibus nerui, ſepoſitis vel prorſus, vel maximam partem inuolucris, terminantur, quae ſunt cutis et fibra muſcularis; per accidens ſenſiles, quae neruos obtegunt vel iisdem tranſitum praebent, vt inuolucra neruorum, pleura, peritonaeum, cet. et abſolute inſenſiles, quae ſunt aponeuroſes, membranae, tendines. Multi refutare experimenta Ill. HALLERI de inſenſilitate tendinum anniſi ſunt; ſed quo iure, ipſe hic vir celeberrimus monſtrauit. Perperam ad auctoritatem obſeruatorum veterum prouocatur, partim quia hi praeiudiciis occoecati erant, partim quia ſibi ipſis contradicunt, cum ſuturam rupti tendinis commendant. Si Cl. FABRE ad dolorem contextus celluloſi ſub ſuppuratione prouocat; in eo latet error, quod partes ſenſiles vicinae dolorem excitant. Cl. PETIT iam faſſus eſt, ſe ſaepius perioſteum ſine ſubſequente ſenſu irritaſſe. Senſilitas relatiua, quam Cl. FABRE tendinibus in morbis adſcribit, nulla eſt, ſed a tenſione et imitatione ſola neruorum adiacentium deriuari debet. Senſilitas, durae matri tributa, itidem ab originibus neruorum violenter tractis et male affectis proficiſcitur. Attamen Cl. Auctor non adſtipulatur Ill. HALLERO, tendinum laeſiones ſutura indigere, partim ob propinquitatem partium admodum ſenſilium, partim quia haec operatio minus neceſſaria eſt, quum ſitus commodus partis laeſae et faſciae appropriatae curationi ſufficiant. Experimenta tria in canibus, ad diſquirendam ſenſilitatem tendinum inſtituta, nunc mittimus.

p. 41. Tractatus tertius de hydrope peritonaei primo generalia quaedam de origine ac diuerſa ſede hydropis exponit, vbi Cl. Auctor memorat, ſe vidiſſe tumorem ouarii, qui 45 librarum pondus acqui-

Herrn HURELS, *Pferdearztes in Paris, Abhandlung über den Wurm, eine Krankheit, welche ſehr oft die Pferde befällt. Aus dem Franzöſiſchen. Breslau* 8.

Neue Entdeckung des wahren Urſprungs des Cöllniſchen Umbers oder der Cöllniſchen Erde von I. W. C. A. *Freyherren* VON HÜBSCH. *Fr. und Leipz.* 8.

Deſcriptio methodi mercurium ſublimatum corroſiuum tutius copioſiusque exhibendi. Auctore FRANC. IACOBI. Monaſterii in Weſtphalia 8.

De la ſanté, ouvrage utile à tout le monde par l'Abbé IACQVIN. Quatrieme édition conſiderablement augmentée. à Paris. 12. maj.

NIC. IOS. IACQIN obſeruationum botanicarum IVta et vltima pars. Vienn. fol. c. f.

Mémoire ſur la cauſe de la pulſation des artères. Par M. IADELOT. à Nancy et à Paris. 8.

Abhandlung von Schwärmen der Bienen von A. IANSCHA. *Wien.* 8.

IO. FRIED. IETZKE diſſ. de fermentatione generatim atque in ſpecie de ſpiritu vini, tanquam fermentationis vinoſae producto. Hal. 4.

Bifolium chemico phyſico metallicum *beſtehend in zwo beſondern Abhandlungen, deren die erſte den Zink und Galmey, die andre aber den Arſenic, benebſt einigen Merkwürdigkeiten gründlich unterſu-*

terſuchet, ausgefertigt und zu weiterer Unterſuchung ans Licht geſtellet von INNOCENTIO LIBORIO AB INDAGINE. *Amſterdam und Leipz.* 8.

EIVSD. trifolium chemico phyſico ſalinum, *oder dreyfache chymiſch phyſicaliſche Abhandlung, worinnen drey berühmte Salze, namentlich Salmiac, Salpeter und Borax nach ihrer Natur und Weſenheit, Namen und Erfindung, benebſt einigen Merkwürdigkeiten betrachtet werden.* ib. 8. (Auctoris verum nomen eſt IAEGER).

CHRIST. IOHBERGER diſſ. inaug. de diverſo partu, Reſp. *Matthia Saxtorphs.* Hafn. 8.

An hiſtorical diſſertation, concerning the epidemical fever which prevailed at Kidderminſter in 1756. By IAMES IOHNSTONE, M. D. Lond. 8.

EIVSD. eſſay on the vſe of the ganglions of the nerves. Shrewsburg. 8. maj.

IOSEPH. LEOPOLD IRKA diſſ. de morbis oculorum internis. Vienn. 8. maj.

IAC. FRIDER. ISENFLAMM diſſ. inaug. de morbis cutaneis, Reſp. *Franc. Iacobi.* Erlang. 8.

Die vollkommene Bergwerkskunſt oder der Bergmann vom Leder, und Bergmann vom Feuer. Erſter Theil; allen Bergwerksliebhabern aus eigner Erfahrung und 35jährigen Praxis zum Nutzen und Vergnügen mitgetheilt von IO. GOTTFRIED IUGAL. *Berlin.* 8. *m. K.*

IO. HEINR. GOTTL. VON IVSTI, *Königl. Berghauptmanns, Geſchichte des Erdkörpers, aus ſeiner äußerlichen und unterirdiſchen Beſchaffenheit erwieſen.* ib. 8. maj.

EIVSD. *geſammlete chymiſche Schrifften, worinnen das Weſen der Metalle und die wichtigſten chymiſchen*

miſchen Arbeiten vor dem Nahrungsſtand und das Bergweſen ausführlich abgehandelt werden. Dritter Band. Berlin. 8. maj. *m. K.*

IO. CHRIST. KALL progr. inaug. de Iudaeis medicis veterum et recentiorum temporum. Hafn. 4.

SIMON. HENR. ADOLPH KEISER enarrationes quorundam morborum, iunctis obſeruationibus medico practicis. Lemgo. 8.

IO. CHRISTLIEB KEMME diſſ. inaug. de totius morbi temporibus. Reſp. *Io. Chriſt. Beckardt.* Hal. 4.

EIVSD. *Einleitung in die Medicin überhaupt.* ib. 8.

BONAVENTVRAE HENRIC. KEREM diſſ. inaug. de elemento ſanguinis, a quo color eius ruber praecipue dependet. Vetero Pragae 8. c. f.

THOMAS KIRKLANDS *Bemerkungen über Herrn* POTTS *allgemeine Anmerkungen von den Beinbrüchen u. ſ. w. in drey Briefen an einen jungen Wundarzt, der ſich auf dem Lande ſetzen will; nebſt einer Nachſchrift von der Cur der Zuſammengeſetzten Verrenkungen. Aus dem Engliſchen überſetzt. Altenburg* 8.

IOSEPH. THADAEI KLINKOSCH quaeſtio academica ex phyſiologia: num iam verus vſus pulmonis in machina humana notus ſit? Reſp. *Matth. Hanſa.* Prag. 4.

Unterricht von der Bienenzucht in Bayern nach gemachten Erfahrungen herausgegeben von ANTON KORSENCKA *Churfürſtl. Bayeriſchen Landbienenmeiſter. München* 8.

FRANC. GISBERT KRAEYFAENGER diſſ. inaug. de mali hypochondriaci ad minimum ſextuplici ſpecie. Duisburg ad Rhen. 4.

LEOPOLD KÜRCHBERGER diſſ. inaug. ſiſtens hiſtoriam morbi chronici et ſpecimen hiſtoriae cicutae. Vindob. 8.

ERNST. GOTTFR. KVRELLA *patriotiſche Vorſchläge, wie bey dem ietzt herrſchenden Getreidemangel, beſonders der dürfftige Landmann wohlfeiler Brod haben könne. Berlin* 8.

IO. HENR. LANGE *von den heilſamen und höchſt wunderbaren Würkungen des Waſſerfenchels oder ſogenannten Perrſat. Franckf. u. Leipz.* 8. maj.

Gründliche Einleitung zur Kenntnis der Salzwercksſachen, entworfen von I. W. LANGSDORF, *Stadtconſulenten zu Hamburg. Frankf.* 8.

GEORG. AVG. LANGGVTH diſſ. inaug. de mortibus repentinis ſenioribus annis parcius imputandis, Reſp. *Carol. Claudero.* Wittenb. 4.

Eſſai ſur le mechaniſme de l'univers par M. LANSAC. à Paris 12.

Mémoire inſtructif ſur l'inoculation des pétites véroles. Par M. L. LAPEYRE. à Londres 4.

Nouvelle Méthode de traiter les fractures et les luxations; ouvrage traduit de l'Anglois par M. LASSVS. à Paris 12.

Dictionnaire portatif de médécine etc. Par M. IEAN FRANÇOIS LAVOISIEN. ib. 12.

IO. GOTTLOB LEYDENFROST diſſ. inaug. exhibens nonnulla de rhachitide, Reſp. *Adolph Wilkinghoff.* Duisburg. ad Rhen. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de ſalibus eſſentialibus corporis humani eorumque ſuccedente mutatione. Reſp. *Car. Frid. Ludov. Milchſack.* ib. 4.

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.

Pag.

I. Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för aor 1770. Vol. XXXI. 387

II. LINNAEI Mantiſſa plantarum altera 416

III. WALLERII ſyſtema mineralogicum 437

IV. VAN SWINDEN tentamina theoriae mathematicae de phaenomenis magneticis 458

V. GERHARD materia medica 465

VI. Iournal de Médécine etc. par M. ROUX Tomm. XXXI. et XXXII. 469

VII. ERXLEBEN *Anfangsgründe der Naturgeſchichte* 493

VIII. Expoſition des variations de la nature dans l'eſpece humaine par M. GUINDANT 498

IX. *Erfahrungen und Unterſuchungen über den Menſchen* 501

X. KIRCHVOGL diarium medico practicum 507

XI.

Pag.

XI. Intraodes-Tal om Ktäftskadors ſcrophalöſe och veneriske ſârs och ſoullanders igenkännande af BIERCHÉN 513

XII. Acta Helvetica. Vol. VII. 520

XIII. Diſſ. ſur les parties ſenſibles du corps animal par M. HOUSSET 533

XIV. Diſſ. ſur la dilatation des artères et ſur la ſenſibilité par M. ARTHAUD 535

XV. Mém. ſur la cauſſe de la pulſation des artères par M. IADELOT 541

XVI. DU ROI diſſ. inaug. obſeruationes botanicas ſiſtens 544

XVII. Noua phyſico medica 548

XVIII. Continuatio indicis ſcrìptorum phyſico medicorum, quae anno 1771 prodierunt. 544

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XIX PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXIV.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Pataui apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences. Année 1769. Avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique, pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Academie. à Paris, de l'Imprimerie Royale 1772. 4. mai. 4 Alph. 8. pl. tab. aen. 9.

h. e.

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum anni 1769 cum commentariis mathematicis et phyſicis ad eundem annum pertinentibus etc.

In obſeruationibus phyſicis, hiſtoriae huius anni inſertis, relatum legimus: hominem, in fodina lithanthracum inter materiem ruinarum incluſum, per tres dies duasque noctes vixiſſe et cum inſigni labore per ruinas has ſibi viam ad locum, vbi commodius reſpirare poterat, paraſſe, viuumque protractum fuiſſe. Porro in inſula, *Isle de France* dicta, planta reperta eſt, cuius ſuccus ſi induratur in reſinam mutatur ei ſimilem, quam reſinam elaſticam ſeu barbarico nomine *Caoutchac* vocant, de qua iam plures obſeruationes aliis commentariorum academiae regiae voluminibus inſertae ſunt et quae in Cayenna tantum hucusque inuenta eſt *). Hiſt. p. 15.

 Tres

*) vid. *Hiſt. de l'Acad.* a. 1751 p. 17. vid. comm. Vol. VI. p. 25. *Hiſt.* 1763 p. 49. comm. Vol. XVI. p. 467.

Tres lapides, quos cum fulgure diuerſis in locis delapſos eſſe relatum eſt, ad Academiam transmiſſi et inter ſe comparati, ſimiles ſibi ratione coloris et fabricae erant, omnesque chemice examinati ferri ſulphurisque veſtigia oſtendebant. Cl. DVTOVR in tripelae lamellis phytotypolithos foliorum diuerſarum plantarum et arborum reperit, quod ſententiam b. LVDWIGII, in opere *de terris muſei Regii* propoſitam aliorumque confirmare videtur, qui terram Tripolitanam vegetabilis proſapiae eſſe et ex vegetabilibus putrefactis oriri autumant. Margarita, e mytulo extracta, nuclei loco habebat lapillum aliquem vulgarem, qui cruſta, quae margaritae colorem continebat, obducebatur. Cl. MORAND terram deſcribit, quae, ſi aeri exponitur, coeruleum colorem acquirit et cum terra illa Saxonica Eckardsbergenſi aliisque bene multis ab Auctoribus deſcriptis conuenit, et ex qua chemice examinata ferrum extrahitur: quapropter ſimiles terrae a nonnullis pigmenti Berolinenſis natiui nomine inſigniuntur *).

p. 42. In *obſeruationibus anatomicis* Cl. HOVSSET refert, ſe inſignem multitudinem minorum calculorum biliariorum, imo calculum ſatis magnum in cadaueribus aegrotorum reperiſſe, qui, dum viverent, nunquam de dolore, vel alio ſymptomate, quod calculi eiusmodi praeſentiam indicare po-
p. 43. tuiſſet, conqueſti eſſent. Cl. HOVTTVYN morbum cuiusdam medici enarrat, qui ſucceſſu temporis in vno eodemque oculo gutta ſerena, cataracta, ophthalmia, haemorrhagia et atrophia
p. 45. oculi affectus eſt. Dux quidam militum leui amentia

p. 467, et *Mémoir.* 1768 p. 209. comm. Vol. XVIII. p. 90.

*) vid. Philoſ. Transact. Vol. LVIII. p. 181. comm. Vol. XVII. p. 393.

amentia affectus, inſigni animi commotione accedente, ſibi ipſi perſuaſit, ſe imperatorem vel principem eſſe, omnesque, qui ad eum accedebant, etiam magnatum vel regum titulis cohoneſtauit. Tandem per quadraginta ſex dies omnem victum plane reſpuit et ſolam aquam bibit, cuius tamen ſingulis cyathis aliquot guttas ſpiritus ſeminum aniſi inſtillabat. Durante vero hoc ieiunio, ſenſim mentis ſanitatem recuperauit, omnesque amicos agnouit. Die tandem ieiunii ſui quadrageſimo ſeptimo ipſe cibum, quem antea reſpuerat, deſiderauit, eoque caute dato, quidem quoad vires corporis refocillatus eſt, ſed corporis ſanitate redeunte in priſtinam quoque amentiam ſenſim ſenſimque iterum incidit.

Vltima obſeruatione probatur, mulos non ſemper, licet hybrida ſint animalia, infoecundos eſſe, exemplo mulae grauidae, quae lapſu in terram laeſa pullum abortiuum edidit. p. 47.

In *obſeruationibus chemicis* Cl. CADET ſingulare phaenomenon chemicum enarrat, quod ipſe obſeruauit. Cum enim ſolutionem quandam mercurii in acido nitroſo cum ſpiritu vini rectificato miſceret, ac poſtea mixturam hanc deſtillationi ſubiiceret, reſiduoque in retorta relicto alcalinam baſin ſalis marini ſeu alcali minerale, ac vegetabile quoque alcali, ſalem ſcilicet tartari fixum adderet, iterumque deſtillaret, ſpiritum alcalinum volatilem, ſal alcali volatile et oleum bituminis odore impraegnatum obtinuit. p. 66.

Cl. COTTE in *obſeruationibus botanicis* refert: ſe *triticum* quoque *cornutum* (*froment ergoté*) obſeruaſſe, quo morbo ſecale tantum affici vulgo autumant. p. 77.

p. 151. Cum inter elogia membrorum academiae regiae, hoc anno demortuorum, elogium quoque reperiatur Ill. FERREIN, tot laboribus anatomicis aliisque de re medica optime meriti, gratiſſimum fore Lectoribus noſtris putamus, ſi praecipua vitae Ill. huius viri momenta breuiter indicemus:

ANTONIVS FERREIN natus eſt *Freſpechii* prope *Agen* die 25 octob. 1693. Patrem habuit ANTONIVM ex illuſtri ſatis familia ortum, matrem vero FRANCISCAM D'ELPRAT. A parentibus primo patribus Societatis Ieſu traditus in eorum collegio, quod *Ageni* tunc temporis florebat, tam laetos ſtudiorum fecit progreſſus, vt a. 1713 in vrbem *Cahors* ſe conferre ibique altioribus ſcientiis operam dare poſſet. Patris quidem voluntate incitatus iurisconſultorum lectionibus intererat; ſimul vero theologorum medicorumque ſcholas frequentabat, cum, qualem potiſſimum ſtudiorum partem ſibi in poſterum excolendam ſumeret, adhuc dubitaret.

Tandem innatus mathematicarum ſcientiarum amor eum ad lectionem egregii BORELLI *de motu muſculari* libri, eaque ipſa, cum ſine anatomes cognitione hic liber non a Noſtro intelligi poterat, ad anatomicorum ſcholas impulit, effecitque, vt medicae artis ſtudio ſe totum conſecraret. Monſpelium itaque ſe contulit, ibidemque ſub Cel. VIEVSSENS et DEIDIER egregios fecit in arte medica et anatome inprimis progreſſus. Maſſilii deinde per aliquod tempus commoratus anatomen chirurgos ibi docuit; Monſpelium vero redux gradum Doctoris in hac academia cepit, profeſſoris tamen munus, quod a. 1731 et 1732 petiit, obtinere non potuit. Hinc Lutetiam Pariſinorum profectus, exercitus Italici medicus factus noſocomiorum

miorum militarium in Italia curam in ſe ſuſcepit; eaque in longe meliorem ordinem redegit. A. 1736 in facultatem medicam Pariſienſem receptus, et a. 1741 academiae regiae membrum factus eſt. A. 1742 munus profeſſoris medicinae et chirurgiae in collegio regio obtinuit. A. 1751 Cel. WINSLOW, ſenio confecto, in munere profeſſoris anatomiae in horto regio (*jardin-royal*) adiungebatur, ab eoque tempore non in anatome ſolum excolenda et docenda, ſed et in morborum curatione omne ſtudium impendebat. Tandem d. 28 februar. 1769 apoplexia correptus anno aetatis ſeptuageſimo ſexto obiit. Si theſes nonnullas excipias, ſub eius nomine publicatas, nihil ipſe, praeter plures egregios commentarios, academiae Pariſienſis commentariis inſertos, et a nobis ſuo loco indicatos edidit.

Commentarii ipſi ſequentes doctrinas explicant:

1) *Commentarius de motu ſiderum in longitudinem et latitudinem*; auctore Cl. CASSINI DE THVRY. p. 1.

2) *Noua conſtructio machinae, qua pannorum bombycinorum ſuperficiei vndularum figurae inducuntur* (machine propre à moirer les étoffes de ſoie); auctore Cl. DE VAVCANSON. p. 5.

3) *Commentarius de motu Arcturi in aſcenſionem rectam apparentem et de vera longitudine ſolis per ſeriem obſeruationum habitarum ante et poſt ſolſtitium aeſtiuum, ad inde deducendos errores tabularum pro tempore apogaei et pro* 3 iun. 1769; auctore Cl. LE MONNIER. p. 14.

p. 24. 4) *Obſeruationes in libellum: de vero loco ſolis* d. 3 iun. 1769 *tempore apogaei et poſitione Arcturi in aſcenſione recta, longitudine et latitudine, praelectum* a Cl. CASSINI DE THVRY *in nouiſſimo academiae conuentu*; auctore EODEM.

p. 25. 5) *Commentarius de inclinatione ſatellitis Iouialis tertii*; auctore Cl. MARALDI.

p. 29. 6) *Occultatio ſtellae μ geminorum a luna* d. 11 apr. 1769 *vna cum obſeruationibus diſtantiae ſtellarum α et β geminorum*; auctore Cl. LE MONNIER.

p. 31. 7) *Examen quaeſtionis, num ſpecies plantarum mutentur, vel nouae ſpecies formentur? in quo noua quoque circa hanc rem experimenta communicantur.* Auctore Cl. ADANSON. Iam anno huius ſeculi decimo nono Cl. MARCHANT occaſione duarum nouarum, vt ſibi videbantur, ſpecierum *Mercurialis*, ſponte in horto natarum, nouas plantarum forte ſpecies oriri poſſe propoſuit *). Neglectam hanc obſeruationem iterum excitauit Ill. LINNAEVS occaſione *Peloriae*. Hanc enim non ſolum vt nouam, ex *Linaria* ortam plantam conſiderat, plantasque hybridas, ſi puluere antherarum vnius ſpeciei ſemina alterius foecundentur, oriri poſſe autumat; ſed et plura eiusmodi plantarum exempla tum in diſſertatione *de Peloria*, tum in ea, quae *de plantis hybridis* inſcribitur **), adduxit: quam ſententiam et GMELINVS ***) et alii plures

*) vid. *Mém. de l'Acad.* 1719. p. 57. Deſcribitur vero ibidem: *Mercurialis foliis capillaceis* et alia ſpecies, quam Cl. MARCHANT *Mercurialem foliis in varias et inaequales quaſi lacinias dilaceratis* vocat.

**) vid. Diſſ. *de Peloria* Vol. I. *Amoen. Acad.* no. 3. et Diſſ. *de plantis hybridis* Vol. III. Amoen. no. 32. comment. Suppl. I. p. 91. 99.

***) *de ſexu plantarum.* Petropol. 1760. 4to.

res ſequuntur. Iam vero Cl. ADANSON hoc commentario non argumentis tantum, ſed experimentis potiſſimum confirmat: *Mercurialis* nouas ſpecies, a MARCHANTIO deſcriptas, et *Peloriam* aliasque hybridas omnes non ſpecies eſſe conſtantes, ſed vt monſtroſas tantum varietates conſiderari debere, cum temporis ſucceſſu in eam, vnde ortae ſint, ſpeciem, iterum mutentur. *Hordeum ramoſum* *) et *Tritici* ſpecies, quam *blé de miracle* vocant, nec non *Fragariae* varietas *foliis ſimplicibus*, quas plantas Cl. ADANSON ipſe coluit et examinauit, ſimilia phaenomena oſtendunt. Ex quibus omnibus colligit: plantas hybridas monſtroſas, tantum varietates eſſe et cultura temporisque ſucceſſu in priores ſpecies iterum mutari, ac auxilio foecundationis externae ex ſpeciebus proxime cognatis, nouas quidem eiusmodi varietates oriri poſſe; ſed eas non ſpecierum verarum nomen mereri, cum ſpecierum transmutatio non magis in vegetabili, quam in animali regno locum habeat.

8) *Commentarius de cometa* anni 1769; auctore Cl. DE LA LANDE. p. 49.

9) *Obſeruationes duarum eclipſium lunarium, quae anno* 1768 d. 30 iun. *mane et* d. 23 dec. *veſperi conſpicuae fuerunt*; auctore Cl. MARALDI. p. 59.

10) *De eclipſi lunari viſa Caſtellione* (Châtillon) d. 23 dec. 1768 *e turri* Ill. *Ducis* DE CROY; auctore Cl. LE MONNIER. p. 61.

11) *Obſeruatio eclipſis lunaris* d. 23 dec. 1768 *et lunae in meridiano*; auctore Cl. DE LA LANDE. p. 63.

*) Hiſt. de l'Acad. 1764 p. 77 et 1765. p. 50. vid. comment. Vol. XVII. p. 254.

p. 65. 12) *Obſeruatio phaſium quarundam eclipſeos lunaris* d. 23 dec. 1768; a Cl. DE FOVCHY.

p. 66. 13) *Nouae diſquiſitiones circa naturam bilis*; auctore Cl. CADET. De prioribus Cl. Auctoris cum bile humana et bouina inſtitutis experimentis iam alio loco ad Lectores retulimus *). Nouorum vero horum experimentorum occaſionem ei praebuit Diſſertatio inauguralis Cl. IOANNIS MICHAELIS ROEDERERI *experimenta circa naturam bilis ſiſtens*, Argentorati, anno huius ſeculi ſexageſimo ſeptimo ſub praeſidio Ill. SPIELMANNI defenſa **), in qua aſſeritur: bilem acidum continere et ab ea lac coagulari. Noua hinc experimenta inſtituit, quibus ea, quae ROEDERERVS aſſeruit, refellit, bilemque ſaponem alcalinum eſſe confirmat. Acidum, quod ROEDERERVS in experimentis ſuis obſeruauit, fermentationis forte acidae ſpontaneae effectus erat, quae gelatinoſae bilis parti debetur, et lac quoque a ROEDERERO adhibitum, iam aceſcentem naturam acquiſiuerat.

p. 73. 14) *Diſquiſitio de calculo integrali*; auctore Cl. D'ALEMBERT.

p. 147. 15) *Obſeruationes oppoſitionis Iouis* d. 8 maii, *tranſitus Veneris per ſolem* d. 3 iun. *et eclipſeos ſolis* d. 4 iun. 1769; auctore Cl. IEAVRAT.

p. 153. 16) *Commentarius de neceſſitate reducendi ex cupellis eam argenti puri partem*, *quam ſemper in cupellatione retinent*; auctore Cl. TILLET. Cum cupellationis ope quantitas argenti et cupri in maſſa quadam

*) Mém. de l'Acad. a. 1767 p. 471. comment. noſtr. Vol. XVIII. p. 84.
**) vid. comm. noſtr. dec. II. ſuppl. II. p. 259.

quadam reperiundi determinetur et ſemper cupellae $\frac{1\frac{1}{7}}{100}$, vel $\frac{1\frac{1}{12}}{100}$ partem argenti retineant, Cl. Auctor probat, poſſeſſores huius maſſae, cum pretium eius ad quantitatem argenti in cupellatione reperti determinetur, inſignem inde iacturam facere, omninoque optandum eſſe, vt ipſa haec argenti portio, quae cum plumbo retinetur, cum eo ipſo quoque educatur et reducatur.

17) *Obſeruationes tranſitus Veneris per diſcum* p. 187. *ſolis, habitae coram Rege Galliae in* Caſtello St. Huberti *ſub latitudine* 48° 43′ 23″; auctore Cl. LE MONNIER.

18) *Commentarius de natura ſerierum infinita-* p. 193. *rum, de extenſione ſolutionum ex iis prouenientium, et de noua methodo approximationis pro aequationibus differentialibus omnium ordinum*; auctore Ill. Marchione DE CONDORCET.

19) *Obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum ſo-* p. 229. *lis, habita in obſeruatorio regio* d. 3 iun. 1769; auctore Cl. CASSINI DE THVRY.

20) *Commentarius de collapſu, quo nonnunquam* p. 233. *partes montium, aut alia edita loca corruunt, et de remediis, quibus occurri huic malo et caueri plerisque ſub conditionibus poteſt.* Auctore Cl. PERRONET. Praemittuntur obſeruationes, quale ſolum aptiſſimum ſit oneri ferendo, qualisque ſitus ad firmitatem maxime faciat. Determinatur ope anguli frictionis et experimentorum, tum demum baſin fundamentum aliquod firmum et ſtabile eſſe, ſi accliuitas eius ad planum horizontale ſub angulo non maiore 4° 33½′ inclinata ſit; molem lapidum vero non ante collapſuram, quam eius accliuitas

accliuitas angulum 39—40 graduum ſuperauerit. Suadet igitur Cel. Auctor, vt in exſtruendis aedificiis diligenter loci ſitus et ſoli natura exploretur, euitenturque loca, ob accliuitatem, aut arenae copiam periculoſa. Narrat denique exempla nonnulla aedificiorum et aggerum, ad vias publicas muniendas inſtructorum, qui ruinam aut dederant, aut minati erant, refertque, quae remedia ſingulis in caſibus ſint adhibita.

p. 245. 21) *Obſeruatio ingreſſus totalis Veneris in diſcum ſolis, habita in obſeruatorio regio* d. 3 iun. 1769 et *eclipſeos ſolis* d. 4 iun. *eiusdem anni matutino tempore, facta* a Cl. MARALTI.

p. 247. 22) *De curua, quae a globis e tormento bellico aut mortario eiaculatis deſcribitur, habita ratione reſiſtentiae aeris*; auctore Ill. DE BORDA.

p. 272. 23) *Commentarius de terra Tripolitana ſeu Tripela*; auctore Cl. FOVGEROVX DE BONDAROY. Enarratis praecipuis auctorum de natura et origine tripelae ſententiis, ex iis, quae in variis locis, vbi haec terra effoditur, obſeruauit, concludit: pertinere eam ad argillam, ſeu ſchiſtum argillaceum eſſe igne ſubterraneo calcinatum.

p. 278. 24) *Commentarius de principiis mechanices*; auctore Cl. D'ALEMBERT.

p. 287. 25) *Commentarius de ſtructura et vſu vrachi in hominibus*; auctore Cl. PORTAL *).

p. 297. 26) *Nouae methodi analyticae computandi eclipſes ſolares* etc. *Commentarius VII*, quo *aequationes*

*) vid. *Verhandl. in the Holland. Maatſchappye* Vol. XII. p. 1. comment. Vol. XVIII. p. 579.

nes prioribus commentariis demonſtratae ad ſolutionem permultorum problematum aſtronomicorum adhibentur; auctore Cl. DE SEIOVR.

27) *Obſeruatio tranſitus Veneris per ſolem habita* Pariſiis d. 3 iun. 1769 *in obſeruatorio collegii Mazariniani*; auctore Cl. DE LA LANDE. p. 417.

28) *Obſeruatio eclipſeos ſolaris* d. 4. iun. 1769; auctore EODEM. p. 426.

29) *Commentarius de relatione diuerſae denſitatis ſpiritus vini ad diuerſos gradus bonitatis eius* (force), *unde modus certus indicatur exacte cognoſcendi qualitatem et bonitatem ſpiritus vini*; auctore Cl. BRISSON. Notum eſt, Cl. REAVMVR in praeparatione thermometrorum obſeruaſſe, ſpiritum vini et aquam, ſi inter ſe commiſceantur, iam minus occupare ſpatium, quam antea occupauerant: itaque vnum horum liquorum alterum penetrare et ab eo recipi *). Iam Cl. BRISSON phaenomeni huius cauſſam diſquirens plura experimenta inſtituit, quo, vtrum aqua ſpiritum vini, an hic aquam penetraret, cognoſceret, ſimulque leges, ad quas haec penetratio et ſpecificae grauitatis et denſitatis augmentum fieret, determinaret. Experimenta vero haec docent: ſpiritum vini aquae affuſione denſiorem fieri quidem, ſed non pro ratione aquae admiſtae. Denſitas enim eius in initio ſemper augetur, vsque dum anaticae partes aquae et ſpiritus ſibi mixtae ſint; ſi vero vltra hoc ſaturationis, vt ita dicam, punctum ei aliqua portio aquae affunditur, denſitatis augmentum ceſſat. Porro Cl. BRISSON vidit: ſpiritum et aquam ſe inuicem penetrare quidem, ſed ita, vt duae tertiae partes aquae ſpiritum p. 433.

*) vid. Mém. de l'Acad. 1733. p. 18.

ſpiritum et vna tantum tertia pars ſpiritus aquam penetret, quod non omnes partes aquae homogeneas eſſe probat. In fine huius commentarii Noſter rationem explicat, qua diuerſa ſpiritus vini denſitas aërometri Fahrenheitiani ope determinari poſſit.

p. 453. 30) *Ratio ſummam ducendi e ſeriebus, quarum termini ſunt aequales potentiae ſinuum aut coſinuum, quorum arcus ſunt in progreſſione arithmetica*; auctore Cl. BOSSVT.

p. 467. 31) *Commentarius de inſectis, in quorum cadaueribus plantae naſcuntur.* Auctore Cl. FOVGEROVX DE BONDAROY. *Muſcam vegetantem*, vt vocant, in America reperiundam ex Cll. WATSON et HILL deſcriptionibus iam alio loco indicauimus *). Cl. vero FOVGEROVX hic oſtendit inſecta, quibus hae plantae innaſcantur, potiſſimum cicadarum chryſalides eſſe, earumque plantarum plurimas ad clauariae genus pertinere. Vidit tamen cicadarum ipſarum et laruarum quoque nonnullarum cadauera, huic clauariae vel fungi aliqua ſpeciei ſedem praebere, ac ſuſpicatur, *plantam vermem* (plante ver) Sinenſem, ab Ill. DE REAVMVR (Mém. de l'Acad. 1733 p. 302) deſcriptam, etiam ſimili plantae originem debere.

p. 477. 32) *Determinatio generalior effectus, qui a rotis aquae impulſu motis producitur*; auctore Cl. BOSSVT.

p. 498. 33) *Comparatio obſeruationum tranſitus Veneris in America inſtitutarum, cum iis, quae in ſeptemtrionalibus Europae locis habitae ſunt*; auctore Cl. LE MONNIER.

34) *Ra-*

*) Phil. Tranſact. Vol. LIII. p. 271. comm. noſt. Vol. XIII. p. 624.

34) *Ratio definiendi errorem tabularum Veneris, neglectis effectibus parallaxeos ſolis et Veneris in obſeruatione* menſis iunii 1769; auctore Cl. LE MONNIER. p. 505.

35) *Comparatio tranſitus Veneris obſeruati* Burdigalae (Bourdeaux), *cum obſeruationibus Pariſienſibus*; auctore Cl. DE LA LANDE. p. 509.

36) *Obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum ſolis habita in* promontorio Gallico (Cap. François) *inſulae* ſancti Dominici (St. Dominique) d. 3 iun. 1769; auctore Cl. PINGRE. p. 513.

37) *Obſeruatio tranſitus Veneris per ſolem* d. 3 iun. 1769 *habita in obſeruatorio regio ope tubi Dollondici pedum trium et dimidii* ab Ill. DVCE DE CHAVLNES. p. 529.

38) *Obſeruatio tranſitus Veneris per ſolem* d. 3 iun. 1769 *et eclipſeos ſolaris* d. 4 iun. *eiusdem anni habita in regio muſeo phyſico Paſſienſi* (à Paſſy) a Cll. DE FOVCHY, DE BORY et BAILLY. p. 531.

39) *Annotata in diuerſas obſeruationes tranſitus Veneris in Anglia, habitas* a Cl. DE LA LANDE. p. 539.

40) *Diſquiſitio de minima diſtantia centrorum Veneris et Solis* d. 3 iun. 1769; auctore EODEM. p. 543.

41) *Commentarius in obſeruationes tranſitus Veneris habitas in vrbe* Breſt; auctore EODEM. p. 546.

42) *Commentarius, in quo actio pulmonis in aortam in reſpiratione demonſtratur, ſimulque probatur, infantem neonatum prius lobo pulmonum dextro, quam ſiniſtro reſpirare*; auctore Cl. PORTAL. Ramos p. 549.

aſperae

aſperae arteriae duos, qui dextrum ſiniſtrumque pulmonem adeunt, diuerſae eſſe magnitudinis et longitudinis Cl. Auctor demonſtrat, cum dexter $\frac{1}{4}$ craſſior ſiniſtro, ille vero $\frac{1}{5}$ longior dextro ſit. Siniſter quoque obliquius deſcendit dextro et magis verſus dorſum inclinatur. Haec differentia, quam Ill. HALLERVS tamen iam indicauit, ſi SENACI figuram excipias, a nullo anatomico delineatur. In infantibus, qui nondum reſpirarunt, haec differentia adhuc maior eſt; in reſpiratione vero angulus, quem ramus cum trunco format, rectior fit et magis verſus anteriora attollitur, ſimul quoque plica, quae interius ad originem rami eſt, quodammodo deletur. Ex his omnibus vero cognoſcitur, aortam, quae cum ramo ſiniſtro coniuncta eſt, inſignem in reſpiratione preſſionem experiri, eamque contra, ſi morboſe dilatetur, aſperae arteriae ramum quoque comprimere. Ipſa vero haec preſſio, quae in fetu, qui nondum reſpirauit, adhuc maior eſt, et reſiſtentia, quam anguſtia et obliquitas rami ſiniſtri aëris ingreſſui ſub prima reſpiratione opponunt, efficit, vt in hac ipſa prima reſpiratione pulmo dexter ſiniſtro prius aerem recipiat. Hinc pulmo dexter aquae innatare, ſiniſter vero fundum vaſis petere poteſt: quod Auctor Cl. pluribus obſeruationibus confirmat, ita, vt ad hanc diuerſitatem omnino in medicina forenſi attendendum ſit.

p. 558. 43) *Obſeruationes botanico-meteorologicae in arce Denainvilliers* a. 1768 *factae* a Cl. DU HAMEL.

p. 589. 44) *Deſcriptio furni maioris* a. 1755 *ad depurationem cupri in officinis fuſoriis fodinarum* de Cheiſſey *exſtructi*, auctore Cl. IARS.

II. La

II.

La Murio-métrie. Inſtruction nouvelle ſur le ver à ſoie; ſur les Plantations des Muriers blancs, les Filatures et le moulinage des ſoies. Ouvrage mêlé de Réflexions neuves, et qui paroiſſent dignes de l'attention de l'Adminiſtrateur du bien public, du Phyſicien, du Cultivateur, et du Négociant. Par Mr. A. DUBET, Ecuyer, de la Ville de Château-Roux en Berry. A Lauſanne, et ſe trouve à Grenoble, chez J. Cuchet, Imprimeur-Libraire. 25e. Maj. 1770. 8. maj. pagg. 268. ſine praefatione et indice.

i. e.

*) Inſtructio nova ſuper bombyce, plantationibus mori albae, artificiiſque, quibus fila ſericea ducuntur et vlterioribus vſibus praeparantur. Auctore A. DVBET, armigero.

Nimis ampla futura eſſet recenſio huius libri eaque forte non ſatis perſpicua ob difficilius exprimendum ſenſum vocabulorum, quibus in artibus et commercio vtendum eſt, ſi omnia, quae in illo continentur, vel breuiter tantum indicare vellemus. Quapropter ſufficiet, ſi ea tantum, in quibus ab aliorum ſententia receſſit Noſter, vel quae ſingulari attentione videantur digna, nunc proponamus.

Primo

*) Vocem, qua in inſcribendo hoc libro vſus eſt Cl. Auctor, latinam reddere auſi non ſumus, cum ipſa nimis a vera etymologia aliena ſit.

Primo ideae quaedam generales de hoc inſecto. Celebratiſſimo opere Cl. LYONNET Noſter non
p. 5. videtur vſus eſſe. Phalaena femina alis fere pror-
p. 7. ſus non vtitur. Vaſa bombycina, iam ſub ipſo momento excluſionis ex ouo conſpicienda, fere duas tertias longitudinis totius animalis, et diametrum vnius circa lineae acquirunt, et ex duabus membranis conſiſtunt, externa craſſiore, quam interna, ſub qua materia ſericea colligitur, ſubſtantiae gummoſae fere liquidae, nunc flaui, nunc albi coloris, quam diuerſitatem iam diuerſus color plantarum pedis indicat; communicatio cum organis digeſtionis nulla. Subſtantia horum vaſorum, quum eruca, mutationi in chryſalidem proxima, diſſecatur, adeo mollis eſt, vt prius maceratione in acido vegetabili per aliquot horas opus ſit, quo denſior reddatur: vaſa haec, numero duo, a latere ſibi accumbunt, vtroque extremo verſus ſe inuicem reclinato, extremitate, qua caudam reſpiciunt, clauſa, et ex finibus oppoſitis fila ſericea emittunt; quae vero non ex ore erucae, ſed ex poſteriore eius parte exeunt, adeo, vt os tantum ordinandis ſeu componendis filis inſerviat. Hoc aſſertum eo probat Noſter, quod hac via ipſe fila ex eruca eduxerit, eaque multo praeſtantiora, quam quae ex folliculis conſueto modo obtinentur, nullo auxilio, niſi aere et aqua frigida,
p. 16. iuſto modo adhibito. Ex ſitu vaſorum bombycinorum ſuperius deſcripto patet, ea in tres partes diuidi poſſe, eodem modo, vti iam olim ex opere Cl. LYONNET retulimus *): harum prima largitur ea fila, quae eruca primo loco diſpergit, nullo ordine ſeruato, telae aranearum ad inſtar; ſecunda folliculum ipſum; tertia ſtratum interius folliculi, quod inuolucrum proprium chryſalidis conſtituit.
p. 17. Materies ſericea, in aqua pura diſſoluta et coctio-

nis

*) vid. comm. horum Vol. XI. p. 443.

nis ope conſiſtentiam nacta, praeſtantiſſimam vernicem, coloris albi vel flaui praebet; et vero ſimile eſt, flauum in album conuerti poſſe. Iam Cl. p. 19.
Abbas DE SAVVAGE *) mutati nonnunquam coloris folliculorum in coccineum mentionem facit, a morte chryſalidis profecti: qui tamen color num ſolummodo a ſtatu morboſo proueniat, Noſter adhuc dubitat, qui eundem ex eiusmodi folliculis ope aquae feruidae egregie extraxit; tinctura haec, addita ſolutione aluminis, viuidior redditur; cum acido autem vitriolico vehementer efferueſcit, et magma coloris ſordidi ex fuſco rufeſcentis deponit.

De cultura mori. In genere morus in ſolo p. 25.
pingui fertili collocata citius quidem folia protrudit, eaque viuidiora et ſucculentiora, quam in ſolo elatiore et ſicciore creſcens: ſed bombyces diverſis his foliis enutritae diuerſiſſimum ratione bonitatis ſericum praebent, in priori nempe caſu multo vilius, quam in poſteriori; neque tunc adeo facile hydropi, communiſſimo infenſiſſimoque his animalculis morbo, ortus praebetur. Inde facile eminentia mori ſylueſtris (*murier ſauuageon*) prae inſititia (*greffé*) patet. Copioſe hinc refutatur ſen- p. 32.
tentia Cl. THOME′ **), de plenaria abolitione mori ſylueſtris: conſentientem hac in re habet ſcriptorem Cl. THOME′ coaeuum ***). E contrario eos, p. 44.

 quibus

*) Mémoire ſur l'éducation des vers à ſoie, à Niſmes 1763. 8. p. 158.

**) Mémoires ſur la maniere d'élever les vers à ſoie, et ſur la culture du murier blanc, lus à la Société Royale d'Agriculture de Lyon, par M. Th * * * de la même Sociéte. A Amſterdam, et ſe trouve à Paris, 1767. 12. c. f. vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 744.

***) Mémoire ou Manuel pour l'éducation des vers à ſoie, par M. RIGAUD DE L'ISLE, de Creſt en Dauphiné. 1767. 8.

quibus ſumma reipublicae cura tradita eſt, exhortatur, vt auctoritate, qua pollent, vtantur ad cohibendum progreſſum plantationum mori inſititiae, ſola forte ea ſpecie excepta, quam foliis roſaceis (*murier roſe*) dicunt, cuius folia bombycibus verſus vltimum ante mutationem tempus porrigi queant.
p. 46. Licet quoque videatur eſſe aliqua iactura in numero folliculorum a moro ſylueſtri et a moro inſititia obtinendorum; hanc tamen iacturam non reſarciunt incommoda a poſteriori ſpecie exſpectanda, nempe foliorum nimie nutriens qualitas, arborum debilitas et minor bonitatis ſerici gradus.

p. 48. De praeſenti conditione culturae ſerici in Gallia, et qua ratione eadem amplificari poſſit. Pretium ſerici, quo ad opificia Galli vtuntur, ad 28 millies millia monetae Gallicae adſcendere dicitur, quorum quindecim ex Gallia ipſa depromuntur, reliqua ad exteras prouincias, potiſſimum Pedemontium pertinent: quod vtique mirandum eſt, cum in meridionalibus Galliae prouinciis cultura haec optime ſuccedat. At in reliquis eadem vel minus frequens eſt, vel adeo incognita: cum tamen et ſolum moro colendae faueat, et minor caloris, imo vel inſignior frigoris gradus, quod regiones Europae multo frigidiores teſtantur, bombyci non obſit. Quare, qui ſummam imperii tenent, culturae huic amplificandae et extendendae inſeruire deberent, ad quem finem multa eaque attentione omnino digniſſima conſilia ſuppeditat Cl. Auctor, quae vero enarrare breuitas nos prohibet: quem-
p. 56. admodum etiam totum ſequens caput de qualitate ſerici et de artificio illud in fila ducendi omittimus, vbi Noſter emendationes, quas machinae huic negotio deſtinatae ad normam machinarum, quibus Pedemontii incolae vtuntur, et conſiliorum Cl. DE

VAVCAN-

VAVCANSON attulit, enarrat. Haec monita quaedam generalia, de remediis culturam mori et praeparationem ſerici meliorem reddendi excipiunt. p. 72.

De ſeminibus mori. Quamquam omnis morus ex ſemine nata ſylueſtris dicitur; diſcrimen tamen aliquod ratione ſeminis, ex quo progignitur, ſtatuendum eſt: ſemen enim mori non inſititiae viliorem arborem largitur, quam inſititiae, eius praeſertim, cuius ſupra mentionem fecimus (*feuille roſe, ou d'Italie*); et arbores hoc modo genitas Noſter *muriers francs* dicit et ſolas colendas commendat. Prolixe dein, quae in colligendis, ſeligendis ac ſerendis ſeminibus obſeruari debeant, praecipit. p. 79.

De plantariis (*pepinieres*). Haec in ſolo mediocri et ſabuloſo, minime vero nimis fertili et pingui reddito conſtruenda ſunt: plura ſuppeditat poſtea Cl. Auctor conſilia, de ratione tractandarum iuniorum arborum monita, duplicemque errorem arguit, alterum, quum arbores ope ſurculorum et propaginum multiplicare intendunt, ex quibus arbuſculae ſub initium quidem bonam ſpeciem prae ſe ferentes, ſed ſubito degenerantes et folia viliſſima producentes proueniunt; alterum, quum iuniores arbuſculae foliis priuantur, quae hoc modo certiſſime deſtruuntur. Arbor in plantario vltra quinque vel ſex annos languida conſeruata, numquam incrementa capit. p. 85.

De locis, in quae moros ex plantariis deferri oportet (*plantations à demeure*). Ex ſuperius allatis principiis patet, non niſi terram ſabuloſam et ſiccam, in planitie vel loco paullum accliui, optime conuenire, et praeſtantiſſimae indolis, licet minoris quantitatis, folia largiri: in genere idem ſolum, quod viti fauet, moro etiam conuenit. In climate calidiore tempus autumnale, in frigidiore vernale ad tranſplantationem adhibendum eſt: in p. 92.

 priore

priore caſu anno praecedente, in poſteriore vero ante hyemem foramina effodienda ſunt, quibus arbores tranſplantandae immittantur, quorum tamen amplitudo et profunditas a qualitate ſoli dedeterminanda eſt. Opus quoque eſt arbori tranſplantandae eandem poſitionem directionemque verſus coeli plagas reddere, qua antea gauiſa ſit. Stercus recens infimae parti arboris applicare, noxium: terra bene ſubacta, raſura cornuum permiſta, ſufficit. Cortex trunci aeque ac ramorum omni modo a laeſionibus defendendus eſt. De-
p. 101. truncatio arborum non, niſi verſus februarium fieri debet, quantum ad Galliae prouincias ſpectat, licet in regionibus exteris calidioribus ad eam tempus poſt collectionem foliorum impendere ſoleant. Modus arbuſculas minoris altitudinis formandi (*plantations à baſſe tige*) conuenientiſſimus eſt; ſed eaedem includendae ſunt, ne ab animalibus noxa inferatur; hisque aptiſſime arbores altiores (*de haute tige*) interponuntur, ad varietatem aetatis et qualitatis foliorum procurandam. Denique omnia prata artificialia moris ſuccos neceſſarios detrahunt eaſdemque infirmant.

p. 104. De modo folia colligendi. Ad longiorem durationem plantationis acquirendam praeſtat, non quotannis omnes arbores foliis ſpoliare, ſed ſucceſſiue demum, ita, vt ſemper quaedam intactae relinquantur: iis autem, in quibus colliguntur folia, ea omnia demenda ſunt, neque rami nimis a ſe inuicem extendendi, vel ad minimum protinus in priorem ſitum reponendi; collectione facta, protinus luxuriantes, vel emortui, aut languentes rami recidantur.

p. 107. De plantationibus, ad bombyces in aere libero educandas deſtinatis. Praeiudicia vel forte nimius timor hoc inſtitutum hucuſque retardarunt, cuius

commoda

commoda Noſter ample recenſet. Opus vero eſt ad haec praeſtanda, vt in loco libero, nullo adiacente muro, ſepes ex arbuſculis formentur, quae optime orientem reſpiciant, variis lineis, iuſta diſtantia ſeruata, conſtent, iiſque per gradus altioribus, ita, vt poſtrema linea, quae impetum venti ab occaſu accedentis excipiat, cum altitudine maiori, tum denſiore ramorum foliorumque compage caedendo acquiſita (*touffu par la taille*) anteriores lineas tueatur. In has ſepes tempore quodam ſereno matutino poſt paſtum bombyces, poſtquam prima vel ſecunda vice integumenta ſua depoſuere, transferendae ſunt. Hoc modo inſecta iſta firmantur, iniurias tempeſtatum facilius ferunt, foliis humidis non laeduntur: grando moros deſtruens bombycibus vel in domibus educatis, nutrimenta ſubtrahit et famem vix euitabilem infert; ſed partim iactura minor eſt, quia ſumtus minores ante impenſi ſunt; partim ſatis multae adhuc bombyces ſuperſtites manent, quae commode nutrimentum a particulis foliorum, quae a grandine relictae ſunt, haurire queant. Tonitru tantum ratione mutationis aeris infeſtum eſt, quam igitur bombyces in libero aere verſantes facilius incluſis ferunt. Animalia nociua, ratti, lacertae et aues ex paſſerum ordine, facile abigi poſſunt. Denique bombyces in libero aere nullis fere morbis obnoxii ſunt, et folliculos ſericeos multo excellentiores, quam in domibus largiuntur. Praeterea ſepium eiuſmodi is poteſt eſſe vſus, vt iiſdem melius, quam aliis, campi et praedia includi poſſint, neque metuendum ſit, eas domicilium aliarum erucarum fore.

De educatione bombycum, et primo quidem p. 125.
de domo, ad ſeruanda haec inſecta, donec folliculos conficiant, apta (*coconiere*). Ea plantationibus proxima ſit, aut ſi fieri poſſit, in ipſo earum

centro collocetur, in loco ſicco, paullum elatiore, placido. Vberiorem deſcriptionem propter breuitatem exhibere non poſſumus; monemus tamen, nimis magnam bombycum copiam Noſtro aeque, ac Cl. RIGAUD vehementer diſplicere; loco feneſtrarum vitrearum chartam oleo imbutam adhiberi debere, valuis exterius applicatis; inſectis aeque, ac hominibus ſumme exitioſum eſſe, ſomnum capere in interioribus eiuſmodi conclauium.

p. 135. De ouulis bombycum. Impoſſibile eſt, eorum bonitatem ex characteribus externis dignoſcere. (Hic locum quendam ex Cl. RIGAUD excitat Noſter, licet eundem non alleget, dari ouulorum ſpeciem, *graine vierge* dictam, coloris lutei, non fecundatorum, ex quibus tamen bombyces excludantur, quamuis debiliores et ad propagationem ineptae: quod aſſertum, licet non ex propria, ſed aliorum tantum experientia, Cl. RIGAUD contra Cl. Abbatem DE SAUVAGE defendit, et Noſter quoque tamquam verum aſſumit.) Inde neceſſitas apparet, ſibi ipſi ouula ex excluſis phalaenis comparandi: quare de ſelectu in folliculis inſtituendo, cum ratione bonitatis in vniuerſum, tum ratione diuerſi ſexus, diſſeritur, moneturque, perperam folliculos maſculos cum femineis commixtos aſſeruari. Ouula in lagenulis vitreis aſſeruentur, quarum orificium non, niſi tenui tela ex filis vrticae texta (*Mouſſeline*) obtegendum eſt; harum lagenularum ſingula vnciam ouulorum capiat, quarta parte vacua relicta: poſtea pellibus, quae pro veſtimentis inſeruiunt, inuoluatur. Ouula, antequam ad excluſionem diſponantur, vino immergere noxium eſt. Ouula in climate Gallico non, niſi per accidens degenerant. Singulare inuentum eſt Cl. CONSTANTIS CASTELLET *), optima ouula produci ex minimis folliculis

*) L'art du multiplier la ſoie. à Aix. 1760.

folliculis, duplicibus cum aequali quantitate optimorum folliculorum alborum vtriusque ſexus inter ſe commixtis, et phalaenis inde eductis congreſſis.

De excludendis ouulis. Naturalis excluſio in Gallia locum non habet, niſi cum magna temporis iactura aliisque non euitandis incommodis; methodus conſueta, oua mediante calore lecti vel naturali corporis excludendi, itidem variis moleſtiis ſtipatur: optimum itaque eſt, in hunc finem caldariis (*étuves*), a variis iam auctoribus propoſitis, et iis quidem, vti Noſter vult, portatilibus vti. p. 143.

De variis vitae ſtadiis bombycum, vſque ad id momentum, vbi fila ducere incipiunt. Sollicite Cl. Auctor praeſcribit, quomodo inſecta haec ſub quaque periodo tractari oporteat, et curioſe mutationes, quas ipſa ſubeant, recenſet. Tertia integumentorum mutatio periculoſiſſima eſſe ſolet et plurimorum morborum mater: quare tunc attentione diligentiaque ſumma opus eſt. Mutatio victus, quam tunc Cl. RIGAUD ſuadet, Noſtro prorſus non arridet: conciſio foliorum ipſi indifferens videtur, niſi ex eo momento aliquid lucri accedat, quod foliis ipſis multum parcatur. Folia vino conſpergere ſuperuacuum iudicat, licet fateatur, ſe hac in re propriis experimentis deſtitui. Vanus eſt metus, ſi bombyces iam in eo ſunt, vt fila ducant (*à la montée*), ſonitum vel leuiſſimum eas afficere: ſiquidem capſula incluſae et in veſtibus portatae ſonum adeo tympanorum tormentorumque exploſorum absque incommodo ferunt. p. 153. p. 166.

De morbis bombycum. Multa horum inſectorum quaternis iſtis integumentorum mutationibus pereunt: praeter hos morbos autem eſſentiales, alii accedunt accidentales, artificiali educationi fere adſcribendi. Praecipuos eorum Cl. Auctor recenſet, qui ſunt 1. *les paſſis*, morbus iam ex flauo cutis co- p. 168.

 lore

lore ſub ipſa excluſione ex ouo conſpicuus, et poſt primam integumentorum mutationem languore et appetitus defectu ſe euoluens, a nimio ſub excluſione adhibito calore ortum ducens, medelae prorſus nullius. 2. *La luzette*, eiuſdem forte originis, colore virideſcente et ſplendente cognoſcendus; animal craſſius fit, incremento in longitudinem nullo; perpetuo margini tabularum inhaeret; appetitus viget; certiſſimum ſignum eſt gutta liquoris flaueſcentis ſpiſſi, laminae tractili adhaerens, quae fere circa mutationem tertiam obſeruatur (verum morbus hic, a prima aetate iam praeſens, tamen ſaepe ad quartam vſque mutationem protenditur); curatio itidem nulla. 3. *Les gaunes*, vera hydropis ſpecies, ab aere nimis calido et inquinato profecta; qui humores expandit et tranſpirationem impedit; color cutis eſt ſaturate citrinus, annuli manifeſte turgent, corpus molle eſt, debile, et valde foetens; morbus itidem incurabilis, niſi aer renouari et igne, vegetabilibus quibuſcunque nutrito, ſiccari queat: huic ſoli maxima ſaepe iactura in cultura bombycum adſcribenda eſt. 4. *Les muſcadins* (*muſcardins* Noſter vocat) iiſdem cauſſis adſcribendus morbus, iiſdem etiam ſymptomatibus ſtipatus, quam praecedens, eo tantum diſcrimine, quod prior frequentiſſime inter tertiam et quartam mutationem accedat, hic vero tunc demum, quum bombyces filis ducendis proximae ſunt. Nullum auxilium ex iis negligendum eſt, quae aerem depurare et animalculorum fibris tonum amiſſum reſtituere valeant: immerſione in aquam frigidiſſimam vſus eſt. Frequentiſſime vterque horum morborum foliis, nimio ſucco ſcatentibus, adſcribendus eſt, qualia ab arbori-
p. 179. bus inſititiis proferuntur. Ex variis ſuffimigiorum generibus parum ſtyracis optimae prunis in medio conclaui iniectum Noſtro optime in caſibus vrgentibus

tibus et ſub diuturniore iniuria tempeſtatum ſatisfecit. Optimum autem in genere eſt, iis omnibus, quantum quidem fieri poteſt, ſuperſedere, et puritati potius alio quocunque modo ſtudere. De- p. 181. nique varia monita de cautionibus in colligendis aſſeruandisque foliis obſeruandis ſubiunguntur.

De variis artificiis, quae requiruntur ad fila ſe- p. 184. ricea e folliculis texenda eademque vlterius praeparanda: quum ea non adeo ad inſtitutum noſtrum pertinere videantur, verendumque ſit, ne ipſa lingua latina obſcuritatem quandam lectoribus ſit paritura, nihil nunc addimus, niſi, vtilius eſſe ex folliculis re- p. 187. centibus fila ducere, quam ex ſiccatis: hoc autem, cum in maiori eorum prouentu euitari nequeat, optime exſiccationem ardore ſolis praeſtari; calor enim fornacis ſaepe primum ſtratum folliculi afficit, et ſubſtantiam gummoſam nimis duram reddit, quae contra vapore aquae feruidae nimis reſoluitur. Ne ratti atque inſecta folliculos aſſeruan- p. 198. dos infeſtent, illi per duo vel tria minuta ſaturato decocto colocynthidis immitti et poſtea in ſole quantocius ſiccari debent.

Subiunctum eſt edictum Regis Sardiniae, Au- p. 234. guſtae Taurinorum 1724 promulgatum, de ratione tractandi ſerici, quod hodienum a Pedemontii incolis ſtrenue obſeruatur. Vltimo loco vlte- p. 246. riores quaſdam reflexiones ſuper argumenta in hoc libro pertractata proponit, monetque, productionem nouarum ſpecierum bombycis vti poſſibilem, ſic dignam eſſe, quam academiae ciuibus ſuis proponant praemiis condecorandam; officinas maiores, regiis licet priuilegiis munitas, vere nocere culturae per totum regnum extendendae, quod et de aliis opificiis v. c. conficiendis telis goſſypinis, laneis, linteis cet. valeat, et priuilegia eiuſmodi ſimilia eſſe forfici aureae, qua alae aemula-

tionis

tionis reſcindantur ; inde ſtupendum pretium ſerici Gallici deriuandum eſſe, quod ſemper Italicum ſuperet ; qua denique ratione his incommodis, qui ſummam imperii tenent, mederi queant.

III.

Mémoires ſur la culture du murier blanc, et la maniere d'élever les vers a ſoie à la Société Royale d'Agriculture de Lyon, par M. THOMÉ de la même Société. Premiere Partie; dans laquelle on trouvera les inſtructions néceſſaires aux Iardiniers pour la culture de cet arbre, depuis le ſemis juſqu' à la cueillette de ſes fevilles; Augmentée de pluſieurs Mémoires ſur cette culture, et des nouveaux procédés pour la rendre plus propre à l'éducation des vers à ſoie, avec des rémarques ſur le tirage des ſoies, la maniere des les connoitre, de les filer et de les teindre. A Amſterdam, et ſe trouve à Lyon, chez Aimé de la Roche. MDCCLXXI. 8. maj. pagg. 375. ſine praefatione et indice. Seconde Partie; dans laquelle on trouvera tout ce qui eſt néceſſaire pour parvenir à la meilleure éducation des Vers à ſoie ; et des Rémarques ſur le tirage, le moulinage, et la préparation des ſoies ibid. Eodem anno. pagg. 360. ſine praefatione et indice.

i. e.

Commentarius de cultura mori albae, modoque bombyces educandi, lectus coram ſocietate regia agriculturae, quae Lugduni floret, Au-

ctore

ctore Cl. THOME'. Pars prima et ſecunda. Accedunt alii commentarii complures eiuſdem argumenti.

Collectionem hanc non Cl. THOME', vti ex titulo videri poſſet, edidit, ſed ignotus quidam nobis, qui librum illius, aliaque aliorum auctorum ſcripta minora, eaque partim ex diariis phyſicis oeconomicisque excerpta, nunc recudenda curauit: qua in re optandum fuiſſet, vt et tabulas aeneas paſſim occurrentes, quarum explicatio hinc inde traditur, adiunxiſſet, partim allegationes paginarum ad hanc ipſam editionem diſpoſuiſſet, quae ſane res multum incommodi, quod iam in lecturos redundat, leuatura fuiſſet. Sed nunc paucis, quae in hac collectione contineantur, indicabimus.

1. Commentarius Cl. THOME' de modo bombyces educandi, ex eodem libro, quod ſuperius allegauimus, depromtus, in 123 quaeſtiones iisque ſubiunctas reſponſiones diuiſus, quem primum anno 1763 publici iuris fecit, iteratiſque vicibus recudendum curauit Cl. Auctor. Hae quaeſtiones ſufficientem inſtructionem praebent, quid in cultura bombycum peragi oporteat, licet diffiteri non poſſimus, ordinem argumentorum propoſitorum non ſemper accuratum ſatis ſeruatum eſſe. Pauca quaedam ex iis adducamus. Incongruum eſt, folliculos cultello aperire, quo ad alia opificia vtamur: phalaenae enim tunc egredientes oua deterioris conditionis producunt. Caldariorum conſtructionem, quam ipſe ſumme proficuam inuenit, proponit Cl. Auctor, in nonnullis momentis ab inuentione aliorum recedentem. De eius ſententia, quantum ad mori ſylueſtris vel inſititiae folia attinet, ſuperius iam vidimus. Foliorum conciſionem,

p. 1. p. 26. p. 48. p. 63. p. 69.

ſionem, quamquam ex conieſtura tantum, minus
p. 70. conuenientem putat. Eſt quaedam bombycis ſpecies, quae non, niſi tribus vicibus integumenta mutat: quae vero cum in Gallia plerumque pereat, vel folliculum iuſto minorem ac debiliorem prae-
p. 80. beat, prorſus reiicienda eſt. Quod ad ſuffimigia pertinet, idem fere de iis iudicium fert, quod ſu-
p. 110. pra ex Cl. DUBET excitauimus. Cl. Abbas DE SAVVAGE accurate oculos bombycis deſcripſit, numero duodecim, in duos paruos glomerulos, quorum ſingulus in duas lineas diſpoſitus baſi maxillae a latere inſidet, collectos: tamen animalculum, vt omnia alia ex phalaenarum genere, tene-
p. 115. brarum amantiſſimum eſt; et eadem de cauſſa damnum nullum a muſcis metui debet, quippe quae
p. 129. claram ſemper lucem appetere ſolent. Folliculi duplices vix vmquam obſeruantur, quum bombyces in aere libero educantur, ideoque maiori tantum earum quantitati in vno loco concluſae adſcri-
p. 143. bi debent. Ad exſiccationem folliculorum vaporem aquae bullientis conuenientiſſimum iudicat, (caloris tamen ſolaris, quo Cl. DUBET vtitur, prorſus nulla mentione facta), et deſcriptionem modi procedendi, quem Cl. VILLARS ſocietati regiae agriculturae Lugdunenſis communicauerat, inuentaeque hunc in finem fornacis, inſerit.

p. 165. 2. Commentarius Cl. RIGAVD DE L'ISLE, cuius itidem ſuperius iam mentionem fecimus.

p. 200. 3) Annotationes ſuper hunc tractatum ab anonymo quodam factae, qui ſub nomine incolae tractus Cemmenii latet, et ipſum acriter ſatis perſtrin-
p. 206. git. Ouula antequam a panno, in quo phalaenae ea collocauerunt, detergentur, vino pauco adſpergere, ſuperuacuum atque adeo noxium iudicat; ſo-

lus enim vſus in eo conſiſtere poſſet, vt ſubſtantia
gummoſa, quae ouula panno agglutinat, facilius
ſoluatur, quod tamen aqua melius praeparet; ve-
rendum autem tunc eſſet, ne humiditas ouulis facile
mucorem contrahat: ſpirituoſam praeterea quali-
tatem ouulis certe noxiam futuram. Folliculi du- p. 207.
plices, ex quibus Cl. RIGAVD, ad mentem Cl. CA-
STELLET, vt ſuperius retulimus, elegantiora oua
exſpectat, huic fini numquam reſpondere poſſunt.
Pari etiam modo phaenomenon bombycum, ex ouis p. 209.
non foecundatis enatarum, naturae repugnare pu-
tandum eſt. Superfluum, ouula ante excluſionem p. 211.
vino immittere, ne eam quidem ob cauſſam, vt
inutilia ſupernatantia reiiciantur. Excluſionem ad- p. 214.
iuuans calor, qui ab igne accenſo proficiſcitur, ta-
men multum praeſtat eo, qui per lectos vel calorem
naturalem hominis efficitur.

3. Noua methodus oua excludendi, et anno- p. 229.
tata quaedam ſuper incommoda, quibus priores la-
borant, ab anonymo quodam. Speciem quandam
corbis ex viminibus ſalignis textae proponit, in qua
ouula pannis inuoluta reponantur; et modicus ignis
ſubſternatur.

4. Ad eundem finem obtinendum Cl. Abbas p. 236.
SOVMILLE fornacem quandam proponit, ope lam-
padis, in qua ellychnium libere fluctuet, quales in
templis eſſe ſolent, calefaciendam.

5. Membrum quoddam ſocietatis agriculturae, p. 242.
D ****), varia de hac methodo monet, ad quae

6. Cl. SOVMILLE reſpondet, et eiuſdem ac- p. 251.
curatiorem deſcriptionem vſumque ſiſtit.

7. Annotata quaedam vtilia de ſerico et bom- p. 262.
bycibus, auctore Cl. Abbate CODDÉ. Examinan-
tur cauſſae, cur cultura ſerici in Occitania et Pro-
vincia a longo iam tempore langueat? ſuadetur, vt
loco

*) In praefatione partis ſecundae Cl. DARD nominatur.

loco ouulorum Italicorum, ea vel ex propria bombycis patria, China, vel ſi hoc quoque fieri non poſſit, ſaltim tamen ex Hiſpania inprimisque ex Valentia depromantur; variique errores in hac cultura vulgo committi ſoliti arguuntur.

p. 270. 8) Super haec Cl. SOVMILLE ſuas cogitationes profert, inprimis difficultates demonſtrans, quae neceſſario coniunctae eſſe debeant cum apportatione ouulorum ex adeo remota regione.

p. 279. 9) Conſilium educationis bombycis in inſula S. Dominici conſtituendae, propoſitum a Cl. BREVET; quae iam anno 1694 idea fuit ſummi ſtatus adminiſtri DE PONTCHARTRAIN: ad eamdem excitare deberet exemplum Anglorum, qui in Carolina meridionali et Georgia iam per plures annos bombyces colunt. In hac ipſa memorata inſula mori ſpecies creſcit, aliis nunc operibus manuariis inſeruiens, quae vel ipſa bombycibus nutrimentum praebere poſſet, vel inſitione mori albae huic vſui accommodari. Oua Carolina ſuppeditaret.

p. 283. 10. Supra memoratus tractus Cemmenii incola hoc propoſitum vlterius perſequitur, et ſub finem remedia aduerſus formicas et rattos adhibenda ſubiungit.

p. 290. 11. Epiſtola Cl. TREILHARD ad Cl. DE MASSAC obſeruata quaedam continet de bombycibus ex ouis protinus, poſtquam ea phalaenae poſuerant, excluſis: Cl. tamen DE MASSAC inde parum commodi exſpectandum putat, partim quod eiusmodi bombyces breui ſint degeneraturae, partim, quod mori foliis ſecunda vice protruſis ſpoliatae nimium inde detrimentum capiant.

p. 292. 12. Epiſtola Cl SOVMILLE ad ſocietatem regiam agriculturae, quae Turoni eſt, de excluſione ouulo-

ouulorum ope fornacis, igne lampadis calefaciendae, qualem ſuperius p. 254 deſcripſerat.

13. Methodus educandi bombyces, in comitatu Venaſcienſi vſitata, principiis Cl. Abbatis DE SAUVAGE innitens. p. 309.

14. Regulae quaedam eidem fini inſeruientes, quas Cl. PINGERON ex Italico in Gallicum ſermonem vertit. De plantariorum conſtructione, de mori ſylueſtris praeeminentia ſepiumque, ex eadem confectarum vtilitate, eadem fere inuenimus, quae Cl. DVBET habet. Singula phalaena mas, duabus feminis impraegnandis ſufficit. Ouula per hyemem optime in pannis, in quibus poſita fuerunt, conſeruantur, modo haec aliis pannis ſufficienti modo debitaque cum cautione inuoluantur. In ſumma penuria foliorum mori, folia tamen lactucae et aquifolii porrigi poſſunt, et licet inuite a bombycibus comeduntur; ſericum tamen nihil inferius inde producitur. Ne nimio adhibito nutrimento bombyces laedantur, ſedulo cauendum eſt. p. 335. p. 349.

Pars ſecunda primo loco epiſtolam Cl. THOME ſiſtit de cultura mori, 57 quaeſtiones complectentem, quae Lugduni die 15 febr. 1763 ſcripta et eodem anno in forma octaua typis impreſſa eſt, huicque adiunctam relationem de vario ſtatu culturae huius arboris et bombycum in proxime antecedentibus annis: et haec duo ſcripta peculiari titulo inſtructa ſunt, vt ſeorſim quoque haberi poſſint. In his potiſſimum ea fundamenta de abolitione mori ſylueſtris occurrunt, quae a Cl. DVBET adeo impugnari ſuperius cognouimus. p. 5.

2. Regulae triginta amplius annorum experientiae innixae de cultura mori, ex Italico verſae per Cl. PINGERON. p. 89.

p. 108. 3. De ratione ſerendae mori albae praecipua momenta ex optimis Auctoribus et ex obſeruationibus ſocietatis agriculturae Turonenſis communicat Cl. Abbas COTELLE.

p. 123. 4. Epiſtola Cl. BVC'HOZ die 12 ſept. 1769 ſummam commentarii cuiusdam de moro alba continet, quae ipſius lexico vegetabilium Galliae ſupplementi loco inſeruiat. Is autem ipſe commentarius, qui vnde depromtus ſit, nos quidem ignoramus,

p. 136. 5. ſub titulo ſummariae inſtructionis de modo moros colendi, hic inſertus eſt; Verum aut nos vehementer fallimur, aut commentario huic plura inſunt ad verbum ex commentariis Cl. THOME' exſcripta: quod etiam de ſequenti

p. 151. 6. inſtructione ſummaria, de modo bombyces educandi intellectum volumus.

p. 184. 7. Annotata Auctoris hodierni, Aleſiae degentis,
p. 188. ſuper bombyces. Ouula in locis iis ſubterraneis, in quibus aequalis hyemali aeque, ac aeſtiuo tempore caloris eſt gradus, aſſeruanda ſunt, nec, niſi paucis ante excluſionem diebus a panno, quibus
p. 192. impoſita ſunt, remouenda. Conſilium, bombyces tardius excluſas ope ignis maturandi, vt quinto quouis die duas vel tres primas integumentorum mutationes ſubeant; quod tamen aliis praeceptis hic traditis contrarium videtur.

p. 198. 8. Rurſus epiſtola Cl. BVC'HOZ die 7 nou. 1769 de variis ſpeciebus mori, prope Rupem Fucaldi cultis, et de variis opificiis, ad quae Cl. LAROUVIERE corticem mori et lanuginem apocyni (ſine dubio aſclepiadis Syriacae) adhibet.

p. 212. 9. Obſeruationes de modo ſerendi ſemina mori albae, incerti Auctoris.

p. 221. 10. Excerpta ex libro ſuperius indicato Cl. DVBET, quantum ad culturam mori attinet,

11 et 12. Iterum duae epiſtolae Cl. BVC'HOZ de ratione bombyces educandi, die 12 ſept. et 10 oct. 1769. p. 252.

13. Rurſus ingens pars operis Cl. DVBET, de cultura bombycum exponens. p. 277.

14. Epiſtola Cl. BVC'HOZ die 7 nou. 1769 ſuper modo fila ſericea ex folliculis ducendi, et de ratione, qua Cl. LAROUVIERE machinas huic operi inſeruientes emendauerit. p. 329.

15. Vltima pars operis Cl. DVBET de vlteriore ſerici praeparatione. p. 342.

16. Methodus ſericum variis ſpeciebus coccinei aliorumque colorum tingendi, Auctore Cl. MACQVER. p. 354.

Breuem harum ſcriptionum enumerationem lectores nobis condonaturos eſſe confidimus, quum alias vix taedioſam vnius eiuſdemque rei repetitionem effugere potuiſſemus: num autem ideo ipſorum gratiam editor earum ſit initurus, quod, vt ſuperius monuimus, vnum idemque ſcriptum nunc in extenſo, vt dicunt, nunc contractum, inuenient in eodem libro, nos quidem non decidemus.

IV.

The principles, elements, or primary particles of bodies, inquired into and found to be, neither thoſe of the Chymiſts, or of the natural Philoſophers; but earth, water, air, fire, and froſt. Tacken from the obſervance of nature, and numerous experiments. By IOHN GIBSON, M. D. London, printed for the Author. CIƆIƆCCLXXII. 8. pl. 8.

i. e.

De corporum principiis tractatus, quo neque iſta phyſicorum vulgaria elementa, nec chemicorum;

micorum; ſed terreum, aquoſum, aereum, igneum et frigidum genuina eſſe affirmantur. Auctore IOANNE GIBSON, M. D.

Quemadmodum iſtud Pythagoreorum principiorum genus quadruplex, Epicureorumque, qui LEIBNITII monades genuere, diuerſi generis atomi nequaquam ſatis ex diligenter inſtitutis experimentis demonſtrata eſſe affirmat Cl. Auctor: ſic etiam chemicorum principium ſalinum, acidumque, et illud, quod phlogiſton appellant, magis in acumine ingenii, quam in rerum natura ponenda eſſe iam in prima huius libri fronte ſtatuit. Igitur viſum eſt ipſi, vt quinque principiorum genera commodius numerarentur, quorum naturam proprietatesque ſingulatim prima ſectione adumbraret; coacta autem variaque ratione combinata, altera deſcriberet. Age igitur de iis, quae prima ſectione dicuntur, primum videamus.

Ordinis, in quem omnia, quae enarrari videbantur, redegit Auctor, ratio haec eſt, vt in ſingulorum principiorum tractatu primum det ipſius principii definitionem, ſat copioſam plerumque; deinde eius, quae aut ſua ſe ſponte exſerant, aut chemicorum arte cognoſcantur, proprietates commemoret. Tum cuinam vſui hoc vel illud genus elementorum maxime inſeruiat; denique, quibusnam in generibus corporum naturalium materiae alterum prae altero principatum teneat, conetur oſtendere.

p. 4. Sed de ſingulis ita agit, vt nihil noui commemoret. Liceat igitur, quaedam tantum notatu digna commemorare. Terram enim vocari eam corporum materiae partem, quae vi intenſiſſima ignis

agitata

agitata in vitrum cogatur; tum eandem corporibus ſoliditatem conciliare, ac duritiem efficere, vbique in ſcriptis chemicorum reperitur.

Verum etſi de aquoſo principio magni videtur argumenti, cur calida potius fluat aqua, quam frigida; fluiditatem tamen hanc effici, propter igneum principium aquae admixtum, glaciem autem, ob frigidi iſtius elementi abundantiam, quaſi euictum demonſtratumque Noſter putat. p. 10.

De aereo autem principio hoc habet peculiare, vt conſtanter dicat, aerem, quia is a terra remotiſſimus maxime diſſipetur, ipſoque aethere, quem ipſum in phyſicorum ingenii leuitate tantum ponit, rarior fiat, ad omnium phaenomenorum telluris atmoſphaerae atque luminis etiam rationem explicandam ſufficere; de EVLERI autem luminis doctrina nihil omnino enarrat. p. 16.

Ab igne elementari modo proficiſci dicit lumen et calorem, modo lumen ignemque idem eſſe: atque miratur, qui fieri poſſit, vt tam celeriter huius elementi particulae a ſole ad terram perueniant. BOERHAAVIVM vero reprehendit, quia ignis pabulum continere lignum dicit, cum tamen hoc pabulum ignis elementaris ſiue lumen ſit. p. 26.

Quinti denique principii ſui, quod frigidum appellat, probationem hanc putat ſufficientem, vt dicat, quia ob ſenſum caloris putamus, eſſe aliquam materiem peculiarem, quae neruos feriendo hunc ſenſum efficiat, de frigore etiam idem eſſe ſtatuendum. Neque fieri poſſe, vt glacies naſcatur, nec leuiorem aqua fieri poſſe glaciem, ſi frigus nullam contineat materiam. Hoc ſuum frigidi p. 49.

generis principium vbique quidem; in eo tamen, qui ob calorem attemperandum a feminis noſtris flabellis ventigenis agitatur, aere, et in regionibus ſeptemtrionalibus maxime reperiri aſſerit. Coelo etiam coeruleum colorem, ob hoc frigidum elementum, per atmoſphaeram diſperſum attribuit. Ceterum omnes, quas frigus producit corporum mutationes, opinioni huic adaptat.

p. 63. Altera ſectione de combinatione elementorum diſſerit, atque vti terra corporibus ſoliditatem largiatur, ſic aquam ad cohaeſionem augendam pertinere monet; Ab admiſcendi autem reliqua elementa ratione diuerſitatem corporum naturalium
p. 83. effici. Sub finem huius capitis eos delirare dicit, qui ſtatuant, ſpiritus quosdam vitales neruis conti-
p. 84. neri, aut per eos moueri. Vltimo huius libri capite de acido vniuerſali agit, idque e numero elementorum reiicit, et ex igne, frigore, aereque conſtare affirmat. De huius etiam virtutibus admodum diffuſe loquitur.

V.

D. GEORG RVDOLPH LICHTENSTEINS *Abhandlung vom Milchzucker und den verſchiedenen Arten deſſelben. Braunſchweig. Im Verlage der fürſtlichen Waiſenhausbuchhandlung* 1772. 8. *Seit.* 112.

i. e.

Tractatio de ſaccharo lactis et ſpeciebus diverſis eius. Auctore GEORGIO RVDOLPHO LICHTENSTEIN, M. D.

p. 17. Color nihil facit ad deſcriptionem plenam ſacchari lactis, quod et dicitur ſal eſſentiale lactis. Mixtio eius cernitur in eo, quod ex acido ſale,

ſale, terra calcarea, oleo eſſentiali et mucilagine plantarum ſit compoſitum et arctiſſime cum his coniunctum. Eſt itaque, experimentis praemiſſis, ſal ſolidum, terreum, mediae indolis, ac pertinet ad fixa eſſentialia ſalia media plantarum, et appellatur a Noſtro terreo mucoſo oleoſum ſal medium. Id quod Noſter defendit, ſecundum ſacchari lactis particulas conſtitutiuas; inſuperque ſalia media diuidit in alcalino ſalina et terrea.

Poſtquam itaque de ſacchari lactis natura quaedam praemiſit Noſter, ad eius originem progreditur. Oboritur autem ex lacte animalium, quod videtur Noſtro eſſe chylus, ſanguine non intime mixtus. Victus itaque dirigit lactis indolem. Vegetabilis efficit acidam potius, animalis alcalinam magis lactis indolem. Butyrum et ſerum lactis ſunt vegetabilis, caſeoſa pars lactis animalis indolis. Potius itaque lac pertinet ad regnum vegetabile, quam ad animale. Ac probant hoc duo experimenta, quae cernuntur in aceſcentia lactis, quae ſine praegreſſa fermentatione ſpirituoſa non effici poteſt, et in emulſionibus ex vegetabilibus ſeminibus paratis et cum lacte multum conuenientibus. Fermentationem praeterea monſtrat aqua vitae, ſeu ſpiritus ex lacte equino et vaccino, poſtquam fermentauerat, parata, et a GMELINO et LVCA commemorata. p. 23.

Oritur itaque lactis ſaccharum ex regno vegetabili, quoniam maxima pars lactis vegetabilis deprehenditur, et ex nulla alia parte corporis animalis, ſit ſolida, ſit fluida, ſaccharum ſeu ſimile quid elicitur; nec non ſaccharum lactis ſal eſſentiale plantarum eſt. Atque tum varia eſſentialium partium conſtitutiuarum genera perſequitur, ac in- p. 29.

ter ea et camphoram commemorat, quam inter
olea aetherea et reſinas medium eſſe putat.

p. 33. Salia plantarum eſſentialia ſunt vel acida, vel al-
p. 36. calina, vel media. Inter ſalia media plantarum
hic commemoremus modo ſal oleoſo mucilagi-
noſo calcareum; cui nomen *materiae ſaccharaceae*
imponitur. Saccharum lactis itaque eſt terreo mu-
cilaginoſo oleoſum ſal medium, naturae produ-
p. 43. ctum et artis eductum. Tum ad nonnullas quae-
ſtiones Noſter reſpondit, quas hic breuiter ſolum-
modo poſſumus communicare: vtrum lactis ſac-
charum ſit purum terreo mucilaginoſo oleoſum
ſal medium eſſentiale plantarum, an animalibus
particulis impraegnatum? Ineſt ei adeo parua ani-
malis adipis copia, vt plane educi nequeat: porro,
annon ſaccharum lactis cum aliis ſalibus planta-
rum vel eſſentialibus, vel accidentalibus ſit commi-
ſtum? Videtur primo intuitu. Nam lac ex eſu
allii, abſinthii, aniſi cet. odorem eorundem ſpar-
git. Rhabarbarum, ialappa, opium, crocus, a nu-
trice ſumta, agunt in infante lactante. Sed lac
non mutatur in mixtione ſua. Sunt ſolae partes
volatiles et reſinoſae vegetabiles ſubſtantiae, quae
in praeparatione ſacchari lactis iterum ſeparantur,
nec mixtionem ipſam eius intrant.

p. 46. Praeterea perquirit Noſter, annon ſaccharum
lactis ſalinum aggregatum, ex calcareo, ſolubili
tartaro, vti Cl. MAQVERVS vult, et materie
ſacchari ſit compoſitum? Sed experimenta Cl. Au-
ctoris docent, ſaccharum lactis non eſſe eiusmodi
aggregatum ſalinum, ſed potius ſal neutrum ſui
generis, quod inter materiem ſacchari et calca-
reum, ſolubilem tartarum teneat medium.

p. 47. Vlterius quaerit Noſter: quam ob rem poſſit
ex ſuccis plantarum nullum eiusmodi terreo mu-
cilaginoſo oleoſum ſal medium, vti ex lacte elici,

cum

cum tamen hoc in plantis occurrat, vti ſupra eſt dictum? Hoc non negandum Noſtro videtur, etiamſi quoque experimenta deſint. Ceterum, affirmetur hoc negeturue, nihilominus certum eſt, ſaccharum lactis puriſſimum, paucis ac aegre perſpicuis particulis animalibus praeditum, vti alia ſalia plantarum, non in corpore animali generari, ſed per eius mechaniſmum ex ſucco plantarum ſeparari. Vltima quaeſtio eo redit: vtrum ſaccharum lactis quodlibet eiusdem mixtionis ſit? et affirmatur.

Iam diuerſitatem inter ſaccharum et ſerum lactis Noſter expendit, ſuaque experimenta eaque multa ideo proponit: ex quibus patet, dulce, purum, cryſtallinumque lactis ſaccharum verum eſſe ſal plantarum ſui generis, quod cum ſaccharacea materie alit ſimilitudinem, nec ammoniacalis, nec communis ſalis quid in ſe continet. Dulce ſerum lactis vero hoc vtrumque habet, cum mucilagine quadam, et inde plus olei et terrae. Seri lactis aceſcentis gelatina pariter, vt acidum ſaccharum lactis, praeter dictas partes conſtitutiuas, euolutum acidum vegetabile prodit. Ex his itaque patet, ſaccharum lactis poſtponi debere ſero lactis ex parte virium, quae ſunt reſoluentes, inuoluentes et abſtergentes. Quapropter Noſter quoque ſuadet, ſaccharo lactis aqua ſoluto addere mucilaginem vegetabilem, ex auena ſatiua, gramine, china, ſarſaparilla cet. et parum ſalis ammoniacalis et communis ſ. digeſtiui SYLVII, tumque exſpectat artificiale lactis ſerum, quod nec mixtione, nec effectu cedit naturali. Porro aſſerit Noſter, praecipuas vires lactis a ſaccharo eius pendere, et monſtrat, omni tempore et ex viliſſimo lacte optimum parari, imo artem naturam hic ſupe- p. 52.

rare poſſe. Soluatur nimirum tot ſaccharum lactis in aqua deſtillata, morbo conueniente, quot frigus permittit, ſeu in calido lacte et ſolutione hac refrigerata, addatur aqua deſtillata. Addi et poſſunt praeterea adhuc partes mucilaginoſae.

p. 65. Progrediamur ad praeparationem lactis ſacchari. Erimus autem hic breuiores, cum antea paulo diutius fuimus immorati in origine ſacchari lactis definienda cum Cl. Auctore. Cremore et caſeoſa lactis parte ſeparatis, ſerum lactis apparet, e quo ſaccharum lactis elicitur. Serum lactis optime Noſtro videtur parari poſſe ope abomaſi cum ſuo coagulo, ſeu Galii officinalis, veri LINNAEI, ope. Praeterea monſtrat Noſter, additis praeparationis legibus, poſſe ſaccharum lactis aeque purum bonumque apud nos parari, quam in Heluetia.

p. 85. Quartum caput complectitur varia genera lactis ſacchari. Eſt quidem vnum tantum modo ſacchari lactis genus, pariter vt vna materia ſaccharacea vnumque fixum eſſentiale ſal acidum; attamen in nonnullis ſpeciebus cernitur aliqua varietas. Ac primum quidem hic pertinet purum et impurum lactis ſaccharum, dein aliquo modo degenerum. Impurum ſaccharum lactis continet in ſe heterogeneas partes, quae ſponte ſiue per experimenta facile apparent. Atque hic refert Noſter ſaccharum acidum, cum acido plantarum mixtum; item cum oleoſis particulis combinatum, rurſus cum oleoſis partibus et ſali communi, porro cum magna olei copia, ſale communi et quadam parte ſalis ammoniacalis coniunctum; nec non cum crudis empyreumaticis oleoſis partibus, ſale communi, ammoniacali, mucilaginiſque aliqua parte impraegnatum; tandem cum

caſeoſa

caſeoſa aliqua parte compoſitum, quod eſt rancidum. Quodammodo ſaccharum lactis degenerum Noſter appellat id, quod minus dulce eſt, obtuſum et terreum habet ſaporem, aqua non facile ſolubile, cretaceum, minus pellucidum reperitur et lixiuio addito, plus terrae, quam purum et dulce lactis ſaccharum praecipitat.

De optima ratione impurum ſaccharum lactis depurandi differit Noſter in capite quinto. Hic Cl. Auctor monſtrat, quomodo omnia ea impura lactis ſacchara, non multum ante a nobis recenſita, queant depurari. Nos vero de vtilitate et vſu ſacchari lactis breuiter videamus. p. 94.

Saccharum lactis eſt lene, innoxium et nutriens remedium, reſoluendi virtute, ei, vt ſali propria, non penitus deſtitutum. Hanc lenitatem efficiunt oleoſae particulae, acrimonia carentes, ac inprimis mucilaginoſae, quae intimam mixtionem ſacchari huius petunt, actionisque quidem eius tarditatem, attamen et praeſtantiam atque virtutem innocuam faciunt. Temperat itaque aeſtum, reſoluit leniter humores, nec eos diſponit ad putredinem, acrimoniam imminuit et tollit. Laudatur in arthriticis morbis, podagra, nec non in aliis ſeroſo lymphaticis morbis, vt hectica, atrophia, tabe cet. Intermittentes pariter ac acutae et lentae febres ferunt vſum huius ſacchari; nec minus prodeſt conuulſionibus, ex acrimonia primarum viarum ortis. Suadetur porro et in dyſenteria. Omnino poſſe affirmari Noſter autumat, ſaccharum hoc non ſolum non eſſe innocuum remedium, ſed et cuilibet morbo pulchre ſeruire. p. 102.

Sed haec habeto de dulci lactis ſaccharo, iam cum Noſtro ad acidum progrediamur. Illud quidem p. 108.

dem non habet locum inter ſimplicia medicamenta; putat tamen Noſter, id eo in caſu adhiberi poſſe, vbi, attenuandis et inuoluendis humoribus, putredini fortius ſit reſiſtendum. Quapropter malignis epidemicis morbis hoc ſaccharum cum cortice Peruuiano combinatum conſulit; item ſcorbuto, phthiſi pulmonali et morbis, ex abundantia bilis prouenientibus. Saltem his effectibus non contrariantur partium conſtitutiuarum, ſacchari lactis acidum ſiſtentium, indoles ac natura. Cum autem Noſter ex ſola partium conſtitutiuarum ratione non vſum alicuius remedii definiat, ſed et experientiam conſulat, hanc ſacchari acidi lactis virtutem medicam ille experientiae in poſterum tradet, ad eam eo melius certiusque definiendam.

p. 110. Reliquae, praeter dulcem et acidum ſacchari lactis, ſpecies a nobis ſupra additae non merentur attentionem medici, et locum in materia medica, quoniam earum vſum facile ſequuntur ſpaſmi, dolores, nauſea ac in ſenſibilibus aegris conuulſiones: praeterea et eae humorum acrimoniis aliis atque aliis generandis inſeruiunt indeque multos morbos producunt. Denique Noſter monet, ſaccharum lactis dulce non facile ſanitati aduerſari, ſi et copioſe ſumitur, nec ſufficere paruam eius portionem. Nimia forſan ventriculi debilitas praebet impedimentum, et vetat nimiam eius copiam. Ac tum ſuadet illud in communi aqua cocta, Selterana, Thea ſeu ſero lactis ſoluere: atque ita duae vnciae de die exhiberi poſſunt aegris. Nec omnino diſſuadet ſacchari lactis ſolutionem ac praefert hanc ſicco, cum ſaccharum hoc ſolutu ſit difficile et in ventriculo diutius moretur, quam alia ſalia.

VI. An

VI.

An eſſay on the uſe of the ganglions of the nerves. By JAMES JOHNSTONE, M. D. Shrewsbury: printed by I. Eddowes; and ſold by T. Becket, and Co. London; A. Kincaid, I. Balfour, and A. Donaldſon in Edinburgh; and R. and A. Foulis in Glaſgow. MDCCLXXI. 8. maj. pagg. 96 ſine titulo et praefatione.

i. e.

Tentamen de vſu gangliorum neruorum, Auctore IACOBO IOHNSTONE.

Quas olim iam ediderat Cl. Auctor de gangliis neruorum commentationes *), nunc iterum factis hinc inde acceſſionibus in lucem publicam emittit. Nos igitur, qui ſyſtema eius tunc iam, cum illas indicaremus, Lectoribus noſtris exhibuimus, in recenſendo hoc opere breuiores erimus, ea tantum excerpturi momenta, quae nobis noua viſa fuere.

Quod Ill. HALLERVS **) iam vidit, conuul- p. 29.
ſiones totius animalis, ab irritata medulla ſpinali natas, cordis motum non ſuſcitare, Noſter etiam in felibus iunioribus et ranis conſpexit: item corde, ſanguine prorſus vacuo reddito, nullum eius motum obſeruari, neque ab ſimili medullae ſpinalis irritatione, omnibus licet membris inde conuulſis, reſuſcitari poſſe: vnde concludit, ganglia neruorum medullae ſpinalis impedire connexionem eius cum corde. Coniunctio neruorum, quae in gangliis p. 42.
contingit

*) v. Philoſ. Transact. Vol. LIV. p. 177 ſeqq. Vol. LVII. p. 118 ſeqq. vid. comm. noſtror. Vol. XIV. p. 315 ſeq. Vol. XVI. p. 263 ſeqq.

**) v. El. Phyſiol. T. II. p. 205.

contingit, neque cum coniunctione neruorum opticorum inter ſe, neque cum plexibus ad extremitates directis apte comparari poteſt, ſed vtrisque arctior aliisque vſibus deſtinata putanda eſt.

p. 47. Ad reſponſionem obiectionis tertiae*) addit adhuc, cor ipſum, licet maxime irritabile, tamen ſenſu tantum obtuſo gaudere aeque, ac pulmones, hepar, lienem, renes, quod etiam ex morbis harum partium patet; ventriculi ſenſilitatem a ſolo pari vago deriuari oportere; neque inteſtinis ſenſum adeo exquiſitum eſſe, qui ſemper ſedem doloris certam et indubitatam indicet.

p. 55. Occaſione obiectionis quartae de irritabilitatis cauſſa agit, eamque nec materialem dici, nec animae adſcribi poſſe, quum citra voluntatem noſtram, atque adeo poſt mortem ſe exſerat, docet, ſed vnice a ſummo omnium rerum creatore deri-
p. 59. vari debere. Neruos irritabilitatem fibrae muſcularis multum intendere, certum eſt; num autem haec a ſolis neruis pendeat, dubium facit irritabilitas polyporum et forte etiam plantarum ſenſitiuarum.

p. 64. Ad obiectionem vltimam monet, vueae motum prorſus inuoluntarium eſſe, et a ſola ſenſatione, retinae impreſſa, pendere, quod inprimis ex amauroſi appareat.

p. 67. Vſum gangliorum, qualem Noſter aſſumit, praecipue demonſtrant actiones vitales in ſomno et poſt morbos apoplecticos ſuperſtites: diſtinctio enim inter laeſiones cerebri ac cerebelli ratione letalitatis vix adeo certa eſt; et ratione originis neruorum fundamento plane caret: accedunt exempla fetuum, qui encephalo deſtituti, viui tamen nati ſunt, et experimentum, quo, pari vago et intercoſtali diſſectis, adeoque omni communicatione cum encephalo

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 265.

encephalo ſublata, cordis tamen motus per longum adhuc tempus perdurauit. Inde ganglia putat p. 71.
eſſe cerebra ſubordinata ſeu ſecundaria, quae vim neruoſam, a cerebro acceptam, organis vitalibus ſeruent, et, communicatione etiam cum cerebro ſublata, iisdem impertiant, donec tandem, nullo ſubſequente a cerebro nouo affluxu, eadem penitus exhauſta officium hoc amplius ſuſtinere nequeant.

Probabile quoque Cl. Auctori videtur, ganglio- p. 76.
rum vſum aliquem eſſe in ſecretionibus (quod ſuperius iam, vt olim monuimus, de gangliis quinti paris ſubſumſerat), ad tuendum aequabiliorem motum liquorum in organis ſecretoriis; hanc tamen ideam aeque, ac influxum gangliorum in alios, quos iam addidit, morbos, et in conſenſum partium, aliis experiundo dilucidandam relinquit.

Sub finem Cl. Auctor poſitiones ſuas repetit, et vno intuitu Lectoribus ante oculos ponit, indeque ex contemplatione ſtructurae corporis noſtri ad admirandam ſummi Numinis ſapientiam, omnipotentiam et bonitatem deductus in eo quoque huius prouidentiae ſingulare documentum reperit, quod motus vitales ab imperio animae eximendo, p. 94.
ſimul auxilia nobis denegauerit, vitam, quam primum ob aduerſitates et aerumnas huius mundi nobis conueniens viſum fuerit, noſtra ſponte finiendi.

VII.

Diſſertatio anatomica de neruis durae matris, quam praeſide IO. FRID. LOBSTEIN, anat. et chirurg. prof. p. o. in acad Argent. d. 3. ſeptbr. a. clↄ Iↄcc LXXII. ſolenniter defendit *Phil. Iac. Beuckert*, Argentoratenſ. Argent. Typ. Io. Henr. Heitzii. 4. c. f. pagg. 38.

p. 1. Non mero partium, vel noui ſtudio, ſed experientia ductus, Cl. Auctor abſentiam horum
p. 2. neruorum ſe pollicetur teſtaturum. Quod vero ſuſcipit ita, vt de genere neruorum *quinti paris*, et *naſalis*, qui *ophthalmici* WILLISII ramus eſt, quibusdam coniecturis neruorum durae matri tributorum refutatis, primum ſcripta Auctorum comparet, et paris huius hiſtoriam commemoret, ſubiuncturus ſimul, quid ibidem ipſi licuerit obſeruare; Quae quidem noſtrum ducimus hic recenſere. Ideoque durae meningis ſtructuram, a tendinibus, aponeuroſibus, aliisque membranis corporis humani, quae ob neruos adiacentes ſenſiles interdum
p. 4. putentur, ſola inſenſilitate differre aſſerit. Praeterea vero, quo neurologiae turbatum apud veteres ordinem, et ſcripta de hac re explicet, locu-
p. 5. pletes adiecit annotationes. Nulla vnquam principia neruorum in dura matre vidit diſparere. Pone frontis ſinum *neruus naſalis*, absque ramis, SCHNEIDERI membranae inuolucro tectus transiit. Et ramulos, ſi qui ſunt, arteriolae truncum comitantis eſſe, Ruiſchiana, quam Cl. Auctor applicuit, arte apparuit; ipſosque in membrana ſe-
p. 8. pti narium diffluere. Firmiſſime nectuntur filamenta, quibus conflatur truncus quinti paris, durae matri, rubello colore picta, antequam ouale et rotundum foramen ſubeant; id quod forſan ſua

coniectura

conieƈtura decepit multos, nec non, quod idem in ipſo petrae apici, vel oſſi ſeſamoideo nexo, fiat.

Seceſſos quidem ſurculos ex trunco locis iis- p. 11.
dem, vbi ſummi illi viri contendunt, ſed proxime rurſus pari aſſociatos eſſe declarat Cl. Auƈtor. Quod etiam detexit, vbi fila trunci *maxillarem inferiorem* formant. Nunc *de vaſculis* illis, neruo quinti paris p. 13.
vicinis, neruos illos meningis nil, niſi vaſa eſſe oſtenſurus exponit. Arteriaeque ex dorſo tertiae flexurae carotidis notabiles hos minimos ramulos in cadaueribus pluries obueniſſe enumerat, qui et in ſinus cauernoſi receptaculo, et extra illud vagentur; vnumque haud conſtantem, neminique adhuc no- p. 17.
tatum, minimum in foramine ſpinoſo ortum, cum trunco aſcendentem, qui duram matrem intret, et cum aliis a maxillari interna profluentibus confluat. *Lateralem* illam *externam*, ad ima paullulum p. 18.
degreſſam, quinto pari ramos dediſſe, ſummum contra VIEVSSENS agnoſcit argumentum; vltimam illam arteriolam meningis, LIEVTAVD pro p. 20.
neruis deſcripſiſſe. Et ſic antiquos pleroſque, et nouiorem COTVMNIVM his fucatis neruis ſeduƈtos eſſe comprobat. Ill. HALLERI vero, qui primus idem demonſtrauerit, in hac re aſſeclae Cl. MECKELIO, cui iam MORGAGNI conieƈturae conſentire videntur, has nubes feliciſſime diffuſas in acceptis refert. LAGHIVM *ſpinoſae arteriae ramum* pro neruo venditaſſe Noſter ſuſpicatur.

De *paris ſeptimi ramulo*, durae matris gratia *re-* p. 22.
currente, erroribus ex MECKELIO reſpondet: quod ſit a maxillari ſuperiori rami ſecundi proles. Arteriolam, a naſali illa ortam, quorundam neruum eſſe; ſeptimumque par, non tot, quot

ſuperius, in cadaueribus per fila cum meninge cohaeſiſſe; et ramulos inde meningis ex hypotheſi Cel. LE CAT grata ſomnia aſſerit eſſe. Contraque ramos *octaui paris*, et huic *acceſſorii nerui*, ipſi in-
p. 26. nexos, eadem fere contendit. PACCHIONIVM etiam plura, quam antea, poſteaque diſſectores, ſed proh dolor! nil, niſi vaſa pro neruis inueniſſe arguit. *Decimum par* WINSLOWII, *primum ceruicalium* nuncupat. Atque a Cl. LIEVTAVD meningi dictum ramum reiicit. Adiectae obſeruationi de cranio, tribus diſtincto foraminibus, admonitiones de caute tractandis tumoribus infantum in calua addit.

VIII.

Atti dell' Accademia delle Scienze di Siena detta de' Fiſico-Critici Tomo IV. In Siena l'anno MDCCLXXI. Ad iſtanza di Vincenzio Pazzini Carli e Figli. 4. mai. pagg. 368. tabb. aere inciſae 6.

i. e.

Acta academiae ſcientiarum Senenſis phyſico-criticorum. Tomus quartus.

p. 1. *Deſcriptio ſalis neutrius deliqueſcentis, in topho circa Senam reperiundi,* Auctore Cl. IOSEPHO BALDASSARRI. Tophos dicunt ſtrata quaedam arenae, quae collem conſtituunt, in quo Sena aedificata eſt, interpoſitis inter haec ſtrata conchyliis calcinatis, vt vel iam in puluerem verſa conſpiciantur, vel facillime conteri queant. In nonnullis iſtorum ſtratorum (quorum durities diuerſa eſt) ſal ille apparet, non quidem ſub forma cruſtae vel effloreſcentiae, ſed in eo, quod arena eodem impraegnata perpetuo humida ſit et friabilis, et linguae impreſſionem ſaporis acutiſſimi, vrentis, vix non intolerabilis,

tolerabilis, impediat, amarore leuiori demum reli-ﬅo. Elixata haec arena ſalem, ſaporis iam diﬅi, coloris ex albo griſei, dat, in cryſtallos non abeuntem, et facillime in liquorem vnﬅuoſum diffluentem. Huic additum oleum tartari per deliquium terram albam alcalinam praecipitat: affuſo ſpiritu vitrioli vel nitri, odor ſpiritus ſalis marini ſurgit: tinﬅurae coeruleae vegetabilium colorem viridem aſſumunt. Sal cum bolo commiſtus ac deſtillationi ſubieﬅus verum ſpiritum ſalis marini praebet: et idem ſal marinus, decrepitationis tamen expers, ex capite mortuo obtinetur. Patet igitur, hunc ſalem conuenire cum ſic diﬅo ſale ammoniaco fixo, qui ex capite mortuo poſt deſtillationem ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua obtinetur, et cuius liquamen aeque improprie oleum calcis vocatur. Baſis autem calcarea noſtri ſalis a conchyliis calcinatis repetenda eſt: creta enim, quae etiam ad ſtrata diuerſa regionis Senenſis efficienda concurrit, alium ſalem, natro Aegyptiaco ſimillimum, producit. Tandem ſermo fit de origine margae ex conchyliis deſtruﬅis, et experimenta ad corroborandam hanc ſententiam inſtituta recenſentur.

2. *De problematis quibusdam maximorum et minimorum, exercitatio geometrica* Cl. PAVLLI FRISII, preſb. reg. Barnabitae, in Mediolanenſi gymnaſio Math. P. P. p. 15.

3. *Epiſtola aſtronomica* Cl. DAN. MELANDRI, Vpſalienſis aſtronomi, *ad* Cl. PAVLLVM FRISIVM de 23 apr. 1770. p. 25.

4. *Reſponſio ad eandem*, Id. iul. 1770 data; vtraque idiomate Latino. p. 31.

5. *Diſſertatio ſecunda de cometis*, Auﬅore Cl. DOMINICO FROILI. p. 41.

p. 125. 6. *De aequationibus quadrato-cubicis diſquiſitio analytica*, Cl. COMITI ANGELO FAGLIA, eccleſiae Clarienſi praepoſito, *dicata*, Auctore Cl. IO. FRANC. DE MALFATTIS.

p. 187. 7. *Tabula baliſtica*, Auctore Cl. ANT. MARIA LORGNA, architectorum militarium centurione et Math. in publico collegio militari Veronenſi Prof.

p. 201. 8. *De vaporibus letiferis Veſuuii*, Auctore Cl. D. DOMINICO BARTALONI, in acad. Senenſi Prof. publ. Vapores iſti ſub vehementioribus eruptionibus montis huius ex profluente laua, quum refrigerari incipit, exhalantur, animalibus quibusvis, imo etiam vegetabilibus, ad quae pertingunt, exitioſi, adeo vt etiam aquas vicinas ſapore acuto imbuant, quae quidem ab hominibus ſine noxa bibi poſſunt, ſed piſces in iis habitantes perimunt. Illorum quidem originem efferueſcentiae mineralium adſcribendam eſſe, nullum eſt dubium; ſed non aeque patet, iis elaterem aeris deſtrui, vel huic grauitatem naturali ſpecifice maiorem conciliari, quum experimenta cum barometro et veſica aere repleta inſtituta contradicant: quare Cl. Auctor illos fluidum ſingularis generis conſtituere putat, quod modo nondum ſatis definito reſpirationem cohibeat, ideoque mortem inducat. Comparatione cum vapore notiſſimae illius cryptae canis inſtituta, docet, vtroſque exactiſſime inter ſe convenire. Praeter hos autem Veſuuii vapores alii nonnunquam erumpunt, quos Neapolitani *Fumarole* ſeu *Fumete* vocant, manifeſte ſulphureae indolis, non tamen ſemper funeſti. Alia ſpecies eſt exhalationum humidarum prope Solfataram in eo loco, quem iam veteres ſub nomine fori Vulcani cognouerunt, et STRABO exactiſſime deſcripſit,

ex

ex lapidibus calcinatis, pyritis, marcaſitis et aluminis mineris ſurgentium, de qua alio loco ſe acturum ſpondet Cl. Auctor: ſub finem huius tractationis phaenomena, quae eruptionem Veſuuii menſe octobri 1767 factam comitata ſunt, hiſtorice recenſens.

9. *De principiis conſtitutiuis amianti, quae eius reſiſtentiam ad ſolitos ignis gradus, et ductilitatem efficiunt, commentarius* Cl. IOSEPHI BALDASSARRI, qui 1768 praemium ab academia propoſitum reportauit. Praemiſſis quibusdam generalibus, quae ad phlogiſti notionem declarandam ſpectant, primo monet Cl. Auctor, amiantum ſaepe cum aliis lapidibus apyris coniunctum reperiri, ſaepe etiam inter ſtrata argillae, quod peculiari exemplo terrae albae argillaceae ex ditione Senenſi, cui tamen terram ſubtiliſſimam calcaream admiſtam ſuſpicatur, vidit, in qua quaedam lapidis noſtri filamenta iam in terram argillaceam reſoluta, alia e contrario ſub ipſa quaſi ex argilla generatione conſpexit. Ex his igitur patet, amiantum debere originem ſuam baſi argillaceae: quod multo clarius adhuc fit, ſi perpendimus, easdem ipſi proprietates cum reliquis argillis eſſe, nempe reſiſtentiam in igne, maiorem inde acquiſitam duritiem, et ſcintillas tunc chalybis ope eliciendas, licet haec qualitas tantum aſbeſto Suecico et Danico propria ſit. Alterum principium conſtitutiuum phlogiſton ſiſtit, quod et reliquis argillis ineſſe alii iam Chemici celebratiſſimi docuerunt: talcum, cui prae reliquis lapidibus apyris magna cum amianto affinitas eſt, in argilla quadam colorata, ex qua pauimentum furni piſtorii conſtructum fuerat, ſolo admoto ingenti ignis calore ſucceſſiue enatum vidit Noſter, et Cl. GRIGNON verum amiantum in fundo furni p. 217.

 ex

ex argilla confecti, qui ferro fundendo inſeruiuerat. Inde etiam a veritate non alienum videtur, amiantum in maiore ignis gradu, addito alcali et borace, fundi poſſe et in vitrum conuerti, quod Cl. WALLERIVS iam in ſaccharo montano, amianti ſpecie, et Cl. POTT in talco variis auxiliis tractato comperit. Diffiteri tamen non poteſt Noſter, ex his omnibus veram amianti indolem nondum ſatis liquido pateſcere. Flexilitatem ſeu ductilitatem huius lapidis itidem iuſtae quantitati phlogiſti adſcribi oportere, docet analogia in praeparatione chalybis ex ferro, et in concilianda zinco flexilitate, quarum vtrumque fit addito phlogiſto: iuſtam autem eius proportionem neceſſario requiri, inde apparet, quod fibrae amianti, in igne tractati, licet tunc omnino maior huius principii copia accedat, tamen duriores reddantur.

p. 233. 10. *De ſtructura tendinum*, Auctore Cl. D. PETRO MOSCATI, anat. chirurg. et artis obſtetriciae in vniuerſitate Papienſi Prof. Publ. Expoſitis argumentis aliorum, qui tendinum originem vel a degeneratis quaſi muſculis, vel a membrana celluloſa repetunt, ſuas Cl. Auctor obſeruationes recenſet, quae poſteriorem ſententiam confirmant. Primo in cadaueris recentis muſculis manus atque pedis multa ſtrata exteriora fibrarum muſcularium non in ipſa tendinis ſubſtantia finiuntur, ſed in celluloſo eiusdem inuolucro: ſub hoc inuolucro dictisque fibris exterioribus collocata ſtrata conſpiciuntur, abire in fibras tendineas firmas, albas, longitudinales, parallelas, quae coniunctae inter ſe ope filamentorum membranaceorum transuerſalium corpus tendinis conſtituunt, ipſum tamen ex diuerſis ſtratis compoſitum, quorum interiora firmiora et magis reſiſtentia ſunt, quam exteriora. Mutatio

ſubſtantiae

ſubſtantiae muſculoſae in tendinem non fit ſucceſſiue, ſed in vno loco, ita vt vtraque ſubſtantia optime internoſci queat. In fetu, cellularis haec tendinum ſtructura clarius adhuc patet, vt Ill. HALLERVS iam docuit *). Porro muſculum tibialem poſticum per tres menſes aqua in vaſe occluſo macerauit, et verſus finem aquam ſaepius mutauit paullulumque aceti addidit Noſter, tumque obſervauit inuolucrum exterius tendinis celluloſum, ab aqua inflatum, laminis transparentibus ſibi inuicem impoſitis et ope filamentorum membranoſorum coniunctis conſtans, cui varia ſtrata fibrarum carnearum, pallidarum, ſed ſtructurae non mutatae, adhaerebant: ſub iſto inuolucro tendinis ſubſtantia erat alba, fibroſa, non inflata, ſed vel leuiori tractione directionem parallelam fibrarum ſuarum perdens, et in laminas membranaceas abiens; et huic faſciculi muſculares adhaerebant. Haec fibroſa pars, denuo macerationi ſubiecta, tandem easdem, quas inuolucrum exterius, mutationes ſubit, et continuata maceratione omnia denique totius tendinis ſtrata hoc modo diſſoluuntur: et tunc, quum muſculoſa pars ſemper adhuc ſubſiſtat, liquet, fibras muſculares non ſenſim ſenſimque ſubtiliores reddi, ſed illarum inuolucra celluloſo membranacea, ſingulum faſciculum cingentia, extra easdem extendi et tendinem conſtituere. Fibras muſculares neque nudo, neque armato oculo, neque ſub maceratione vnquam in tendine conſpexit Noſter. Idem etiam de neruis valet, qui ipſi diutiſſime, aeque, ac muſculares fibrae, putredini reſiſtunt, dummodo ſingulari encheireſi tractentur **):

 ex

*) El. Phyſiol. T. VIII. p. 280.

**) Medulla ſpinali in multa aqua et pauco aceto per quatuor menſes in vaſe clauſo macerata, et aqua nonniſi

ex quibus concludi poteſt, prima ſtamina partium, ad vitam apprime neceſſariarum, omnium difficillime decomponi poſſe. A continuata tractione muſculi adhaerentis fibrae membranaceae tendinis extenduntur, et figuram cylindricam acquirunt: inde accidit, vt muſculus latus et planus non tendinem, ſed aponeuroſin efficiat. Ex iisdem obſeruationibus patet, cur in animalibus tenerioribus tendinum ſtructura debilior ſit: ruptura tendinum facile reſarcitur, quum omnium citiſſime cellularis ſubſtantia renaſcatur: oſſeſcunt tendines, quia facile ſubſtantiae terreſtres ex vna cellula in aliam tranſire totamque earum cauitatem replere poſſunt, ſiquidem huius oſſificationis alia eſt ratio, quam concretionum oſſearum, fibras muſculares cingentium. Denique quaeſtio reſoluitur, cur in iunioribus plus ſubſtantiae carnoſae, minus tendineae appareat, cum tamen muſculos in tendines non mutari confectum ſit? Ill. HALLERVS *) vel tendineas fibras nondum ſplendentes pro muſculoſis haberi poſſe putat, vel muſculos ipſos, motum nondum exercentes, colore rubro deſtitui: quae tamen ſententia Noſtro non ſatisfacit, qui muſculos aeque, ac alias partes ad vitam inprimis neceſſarias, cerebrum, neruos, cor, citius formari reliquis aſſerit, neque proprie incrementum continuatum capere dici poſſe, ſed motu accedente tantum firmari, dum minimae partes propius ad ſe accedant; firmatos autem muſculos actione ſua tendines extendere et elongare, adeoque ipſorum magnitudinem

niſi primo menſe crebrius mutata, eo deuenit Cl. Auctor, vt illam cum annexis neruis vltra octo menſes ſeruaret, quo tempore elapſo cellulare quidem neruorum inuolucrum mutatum, ſubſtantiam vero medullarem prorſus non affectam deprehendit.

*) El. Phyſiol. T. IV. p. 433.

nem ſenſim iuuare. Quod ergo decrementum muſculorum videtur, vere non niſi minus augmentum ratione voluminis aliarum corporis partium magis aucti dicendum erit: id quod ex ſubiunctis in fine tabulis melius patet, in quibus longitudo muſculorum et tendinum brachii hominis nouemdecim annorum cum iisdem infantis paucos dies nati comparatur.

II. *De modo, quo creta in territorio Senenſi reperiunda fertilis reddi poſſit*, *commentarius* Cl. D. CANDIDI PISTOI et DOMINICI NICCOLETTI, die 31 maii 1770 praemio ab academia propoſito condecoratus *). In tria capita diuiditur, quorum prius de natura huius cretae (hoc enim nomine vulgo recepto, et Noſtri vtuntur, licet *ipſum* minus appoſitum ipſi cognoſcant, vt ex iis, quae ſtatim adducturi ſumus, patebit), ſecundum de vegetatione plantarum, et tertium de eadem in hac creta promouenda exponit. Terra iſta cretacea, in variis agri Senenſis partibus admodum frequens, eſt coloris cinerei, colles diuerſae magnitudinis conſtituit triſtes aſpectu, quibus nulla fere arbor, herbae pauciſſimae, ſed eae aromaticae, bonae indolis, increſcunt: horum collium quidam diſrupti ſunt, partim quia baſis lapidea, ad montes formandos neceſſaria, deficit, partim quia calor aeſtiuus et pluuiae fiſſuras has efficiunt et ampliores reddunt. Nonnulli tamen horum collium ex variis aliis ſtratis ſimul conſtant, nimirum tophi (vide ſuperius p. 251.

*) Quaeſtio ab academia menſe ianuario 1768 propoſita haec erat: *In alcuni ſtrati della Campagna Saneſe, come per eſempio nei colli di Malemerenda lungo la Valle dell' Orcia ſi trova una qualità di terra Cretacea affatto ſterile. Si dimanda: in qual maniera ſi poſſa render feconda e quali utilità ſe ne poſſano ricavare?*

perius diſſertationem Cl. BALDASSARRI), ochrae, arenae, ſilicum (*pietruzze*), et teſtaceorum calcinatorum, quorum minima in ſtratis cretaceis, maxima in ſilicinis frequentiſſima ſunt. Experimenta cum hac creta inſtituta docent, particulis eam conſiſtere quaſi ſpongioſis, ſeu quae aquam imbibant, et eadem molleſcant et flexiles ductilesque fiant, ſiccataeque arctius quam antea cohaereant, ſimul tamen impediant, quo minus aqua per eas quaſi per filtrum tranſire queat; humorem tamen attractum diu retineant, ſiccatae multo maiorem aquae partem quam aliae terrae requirant, vt rurſus molleſcant, ac denique maiorem, quam aliae terrae aquae partem ex aere abſorbeant. Reliquas proprietates, indurationem in igne, vitreſcibilitatem, ſalem, quem temperie ſicca emittit, de qua ſuperius Cl. BALDASSARRI experimenta vidimus, Noſtri hic non tangunt. Acetum cum creta noſtra efferveſcit, aeque, ac ſpiritus vitrioli, qui tamen protinus eandem iterum ad fundum demittit: oleum tartari per deliquium nihil, niſi difficilem emollitionem efficit. Ex his omnibus, collatis inter ſe characteribus genericis cretae, argillae, et margae ex WALLERIO petitis, patet, terram hanc proprie eſſe margam cum creta et argilla, varia, pro diuerſitate variarum terrae ipſius ſpecierum, proportione, mixtam: ſiquidem nec omnes ſpecies aeque vehementer cum acidis efferueſcunt, neque ad lateres et vaſa inde conficienda aeque commode adhiberi ſe patiuntur. In capite ſecundo ex obſeruationibus experimentisque celeberrimorum Auctorum, quorum nonnulla Noſtri repetierunt, id colligitur, nutritionem vegetabilium a ſola aqua pendere, quae in vaſis ipſorum varias mutationes ſubeat; et eo tantum reſpiciendum eſſe, vt terra ea excipiens iuſtam copiam aquae ipſis praebeat, et apta ſit ad continen-

continendas firmandasque radices ipſorum: quibus certe principiis generalibus omnis agricultur.. innititur. Haec ergo omnia quum iam clariſſimae luci expoſita ſint, nunc iis non vlterius inhaerebimus, protinus ad caput tertium progreſſuri, in quo principia haec ad noſtram terram applicantur. Omnis res eo redit, vt nimis dura ſuperficies et conſiſtentia, quae radicibus ingreſſum et extenſionem denegat, corrigatur: quod, licet ſubigendo et ſtercorando incolae efficere tentent, experimentis tamen inſtitutis rem melius non procedere didicerunt Noſtri, quam ſi arenam vel tantum terrae iſti inſpergerent, vel cum eadem commiſcerent; neque vllum eſt dubium, hoc modo ſenſim priſtinam his terris fertilitatem redditum iri, qua ipſas olim gauiſas eſſe monumenta hiſtorica probant, priusquam Senenſes tot bellis implicarentur. Arbores, vti fit in variis Prouinciae locis, foraminibus magnis in terra iſta effoſſis et arena, topho cet. repletis imponendas, inprimis, quae validiores radices agunt, vt pyri, hanc ipſam terram hoc modo optime laturas eſſe, omnino veroſimile eſt. Tandem experimenta recenſentur et conſilia dantur de vtilitate, quam ab hac terra in firmando ſolo arenoſo nimis leui, quod frequens eſt in territorio Senenſi, exſpectare liceat, modo ea terra eligatur, quae maxime cum acidis efferueſcat, vtpote alkalino principio maxime impraegnata.

12) *Diſquiſitio, num lolium nonnunquam, ſecundum vulgarem opinionem, ex ſemine tritici producatur?* Auctore Cl. IO. DOMINICO OLMI, lecta in primo conſeſſu anni 1768. Argumenta, quibus Cl. Auctor ad deſtruendam hanc opinionem nititur, haec ſunt: lolium nec omni tempore, nec omnibus locis inter triticum creſcens reperitur; degeneratum p. 279.

ratum triticum ideo dici nequit, quoniam tum ratione ſtructurae, cum partium conſtituentium inſigniter ab eo differt (qua occaſione ſimul pauca de analyſi eius chemica addit, narrans, ſe ex farinae ſeminis lolii vncia vna, ope ſpiritus vini extraxiſſe $\frac{6}{10}$ drachmae (*denari*) reſinae acris, et ſub ipſa digeſtione prodiiſſe vaporem admodum nauſeoſum, capiti infeſtum, hancque ipſam farinam eſſe coloris liuidi, tetri odoris, difficilis fermentationis, panem coloris obſcure liuidi, amarum, ingratum praebentem), et ſola claſſe plantarum graminearum ad illud accedit; vt multarum aliarum plantarum ſemina per longum temporis ſpatium non mutata in terra deliteſcere poſſunt, antequam germinent (vt ipſe Cl. Auctor in ſeminibus maluae criſpae expertus eſt, quae elapſis ſeptemdecim demum annis vegetarunt): ſic idem in lolio fieri poſſe, vel ex eo concludi poterit, quod eius ſemen folliculo clauſum decidat, adeoque iniuriis externis melius reſiſtat, ipſaque reſinoſa qualitas putredini obſtet; ſine dubio ad diuerſam diuerſorum ſeminum vegetabilium euolutionem fermentatione quadam in terra opus eſt, indeque forte declarari poterit, cur anno 1767 adeo magna lolii quantitas prouenerit, cum epidemici morbi ſuperioris anni forte ab eiusmodi fermentatione et exhalatione ſubterranea originem duxerint, quae SYDENHAMI de ortu morborum epidemicorum ſuſpicio fuit; ſicut animalia homini vtilia omnium minime adminiculis ad victum ſibi comparandum periculumque ſibi imminens auertendum inſtructa ſunt: ſic etiam plantae in vſum noſtrum impendendae cultura prae reliquis indigent; reliquae autem tum ratione incrementi, tum propagationis, ipſis relictae optime ſuam ſpeciem conſeruant, ideoque lolio, nec multitudine ſeminum, nec vir-

tute

tute per radices ſe propagandi inſtructo, opus fuit ea qualitate, vt ſemen eius vim vegetandi quam diutiſſime ſeruet. Licet autem haec planta adeo noxia videatur, vſus tamen eius non ſine iure in nutriendis inſectis et volatilibus, quae ſeminibus ſolis cerealium veſcuntur, poni poteſt.

13. *Commentarius, diſquiſitionum phyſicarum et oeconomicarum, conſilium exhibens, ad emendandum panificium in Longobardia Auſtriaca directarum*, Auctore Cl. MICH. ROSA, Med. theor. et pract. in vniuerſitate Papienſi Prof. Publ. Triſte omnino eſt, quod Cl. Auctor fatetur, in tota Italia, ſi a Roma ac Toſcana receſſeris, panem conditionis deterioris eſſe; quod tamen in ſupra dicta huius regionis parte edicto publico, Mediolani poſt elaborationem huius commentarii edito, emendatum iri ſperandum eſt. Cauſſas huius defectus duas generales adducit Noſter, nempe minus exactam fermentationem, quae ab ignorantia, et peruerſam coctionem, quae ab auaritia piſtorum proficiſcitur. Inde praemiſſa notione duplicis ſubſtantiae, quae farinae triticeae ineſt, glutinoſae atque amylaceae, qualem eam Cl. BECCARI tradidit *), granorum, farinae, panisque praeparandorum ac tractandorum rationem docet: quae quum ſingula repetere nequeamus, pauca tantum hinc inde excerpere iuuabit. Machinam, ſiccationi granorum inſeruientem, non inuentor Cl. INTIERI ipſe, vti prodidit Cl. MANETTI **), ſed Cl. Abbas GALLIANI deſcripſit. Ad farinam melioris notae obtinendam optimum eſt, molendinis vti, quae nec nimis humiles ſint, nec nimis cito circumagantur; in priori enim caſu furfur cum ipſa farina, vtpote ſubtilior factus, p. 321.

*) Inſtit. Bonon. comm. T. II. P. I. p. 122.
**) vid. comm. noſtr. Vol. XVI, p. 155.

factus, commiſcetur, in altero nimis ſubito, nec farina omni orbatus, emittitur: Bergomenſium molendinae optime vnica vice omnem farinam a furfure ſeparant. Ad fermentationem excitandam in Italia aliisque regionibus calidioribus ſolum fermentum panis ſufficit, absque fecibus cereuiſiae, quibus in frigidiori climate vtuntur. Paſta ex farina in ſimilaginem aptius manibus vel etiam pedibus, quam inſtrumentis ſubigitur. Maximum momentum ad panem bonae notae conficiendum in aquae bonitate quaeri debet; vnde euenit, vt nec Pariſiis panis Goneſſienſis, nec Florentiae Pratenſis confici queat, iisdem licet piſtoribus eademque farina vtantur: quum vero aqua fontana vel fluuialis non vbique haberi queat, experimentis definiendum erit, quantum vel putealis vel pluuialis huic fini reſpondere queat. Methodus Gallorum, totam paſtam farinaceam in ſex partes diuidendi, poſtea in prima fermentationem excitandi, dein ſecundam partem, et vbi hae ſimul fermentauerint, reliquas quantum addendi, optima eſt, ſed ad magnam copiam panis in officinis maioribus parandam applicari nequit. Farina nimis vetuſta, etſi vitium nondum contraxerit, tamen aeque, ac nimis recens panem non adeo bonum praebet. Poſtea media ad ſtabiliendum panificium perfectum et a fraudibus piſtorum immune examinantur. De certo ſtatoque numero piſtorum, deque legibus iis praeſcriptis apud veteres Romanos, et de iis, quae hodie in Gallia ipſis iniunguntur. Deinde conſilia, quae ſuis ciuibus proponit Cl. Auctor: primum de ſocietate piſtorum in variis vrbis partibus diſtribuendorum, de legibus et poenis ſanciendis, de infringendo monopolio, cet. ſecundum, de libertate panem coquendi et vendendi omnibus largienda, modo prius ad ſummum magiſtratum referatur,

quo

quo is neceſſaria ordinare queat: tertium, de cura eorum, qui ſummam imperii tenent, ad praecavendam annonae caritatem in granariis publicis inſtruendis cet. Poſtmodum de modo panem ipſum meliorem reddendi. Ad tres partes farinae, quae ad panem conſuetum adhiberi ſolet, ſumatur vna pars exquiſitioris, et furfur ab hac remanens, vtrumque ex aqua coquatur, et hoc decoctum ad impaſtandam priorem farinam adhibeatur; tenendum tamen eſt, hanc miſtionem fermentum maius et coctionem longiorem exigere. Optimum verò eſt, panem bis coctum efficere, et quidem tantum ex farina mediae indolis, qui melius ipſis granis in domibus publicis per annos ſeruari poſſit, et praecipue militibus porrigi debeat, quibus viginti vnciae ſingulo die ſufficiant, quum milites Veneti per diem viginti quatuor accipiant, quas vix vllus conſumere poſſit. Deinde characteres panis bonae notae exponuntur, et tandem problemata quaedam ſubiunguntur ad theoriam prius exhibitam praxi confirmandam.

14. *Epiſtola* Cl. IOH. BATTARRA *ad* Cl. CAI. TONINI, academiae a ſecretis, *Arimini VII. Kal. Dec.* 1769 *ſcripta*, ſermone Latino, continens animaduerſiones quasdam ad Cl. KLEINII aſſerta de pene raiarum *), cuius Noſter ſceleton in icone exhibet, ex decem, imo forſan vndecim oſſiculis conſtans, quorum ſex glandem, quatuor truncum conſtituunt: priora per membranas articulantur inter ſe, ita vt in oeſtro pro lubitu dilatari et conſtringi queant. Porro idem Vir Cl. vterum duplicem raiis datum eſſe prodiderat **), quem Noſter ſemper ſimplicem inuenit, et itidem, vt et ouum in eodem p. 313.

*) vid. eius hiſt. nat. piſc. miſſ. III. p. 41.
**) Mantiſſ. ichthyol. p. 14.

eodem haerens, addita icone Lectoribus ſiſtit. Singulare eſt, inter pudenda externa et vterum ad vtrumque latus ſitum eſſe corpus conicum, verſus ouaria recuruatum, ex glandulis compoſitum, coloris et ſubſtantiae iecori ſimilis, cuius vſum nec Cl. Auctor, nec Cl. PLANCVS nouit. Membrana renes inueſtiens dilatata verſus ouaria deſcendit et cum tubis Fallopianis ipſisque ouariis connectitur, atque his forſan (vt ex inſpecta icone iudicamus) inuolucrum praebet. Tubae hae anguſtiſſimae ſunt. Vterus per ligamentum abdomini annectitur, et ſimul, vreteribus immiſſis, vices veſicae vrinariae gerit. Ouum in vtero formam mutat, corticem coriaceum, admodum durum et aſperum, ſimilem corio, quod Galli *chagrin* dicunt, coloris atrovireſcentis, aſſumit, ex vna parte gibbum, ex altera nonnihil concauum eſt, magnitudinis inſignis, vitellum flauum, conſiſtentia et mole vitellum oui gallinacei aequantem, in multo cerumine natantem exhibet, et ex parte anteriore et inferiore fetum emittit.

p. 357. 15. *Reſponſio* Cl. IO. ARDVINI, ciuitatis Vicentinae architecti militaris publici, Prof. Mineralog. Metallurg. et Chem. ſocii acad. ſapientiae Senenſis et georgicae Vdinenſis, *ad quaeſtionem, quam* Cl. HIERONYMO VANDELLI, Chirurg. etc. Prof. Publ. Paduae, *propoſuerat* Cl. CAROLVS GANDINI, Med. Prof. Publ. Genuae, *num in iis locis, vbi vitriolum paratur, de infectione aeris dubitari queat?* data Vicentiae die 26 apr. 1768. Duo genera ſunt minerarum vitrioli: earum, quae vſtulatione praeparari debent, et earum, quae tantum per tempus quoddam aeri libero expoſitae macerantur et acidum vitriolicum demittant. Priorum fumum innoxium eſſe, et propria experientia in

ſe

ſe ipſo didicit Cl. Auctor, et plurimorum hominum, qui proxime ad hos vapores ſulphureos viuunt; imo quibusdam in locis ideo homines a peſte, omnia circumcirca deuaſtante, immunes manſiſſe conſtat. Sic etiam morbus, accolis littoris maritimi endemius, quem Itali *maremmana* dicunt, horum vaporum beneficio curatur. Secundum genus innoxium, imo adeo ſalubre eſſe, ex MERCATI teſtimonio patet. Neque excoctio ipſius vitrioli detrimentum parit, quod itidem experientia confirmat. Neque tandem ea loca, in quibus thermae ſulphureae aliaeque aquae minerales ſcaturiunt, inſalubritatis vllum prae ſe ferunt indicium.

IX.

ANTONII DE HAEN tomus primus rationis medendi continuatae in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA, Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix etc. Vienn. Auſtr. 1771. 8. pagg. 442, praeter praefationem.

Hic primus tomus in duas partes eſt ab Ill. DE HAEN diſtributus, cuius iam antea promiſimus ſummam, ibique de tituli mutatione ad Lectores retulimus, atque tum temporis putauimus *), Cl. Auctorem tomo decimo quarto hoc continuatum opus primum eſſe finiturum; legimus autem, illum excepturum eſſe tomum decimum quintum, indicem priorum locupletem et nonnullarum ſententiarum, ſiue elucidationem, ſiue amplificationem, ſiue correctionem exhibiturum. His praemiſſis, redeamus ad partem primam huius tomi primi

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 280.

primi continuatae rationis medendi, quae, proſpe-ctu totius huius primae partis adiecto, enumerationem morborum, quos malignos vocare poſſumus, ſigna malignitatis in genere quaedam, regulas de auerruncanda aut mitiganda malignitate morborum, methodum praecauendi, moderandi, curandique malignitatem in variolis, morbillos, ſcarlatinam febrem, miliares et petechias, febres vere malignas et febrem peſtilentialem in decem capitibus complectitur. Altera huius primi tomi pars de reſuſcitanda vita ſuffocatorum, ſuſpenſorum etc. agit octo capitibus.

P.I p.7. Omnes morbos acutos eſſe benignos malignosque, nec intermittentes ipſas eſſe excipiendas docet Noſter. Malignitatis idea, a BOERHAAVIO data, repetitur, recentiorumque vituperatur: variisque ex cauſſis malignitas augeri poteſt, e. gr. tempeſtatis varietate, regimine cet. Quapropter et addit regulas de ea mitiganda.

p. 19. His praemiſſis de malignitate in vniuerſum, ad ſpecialem in variolis progreditur Noſter. Ac primum quidem nonnullas varioloſi morbi hiſtorias curate tradit, ex quibus malignitas variolarum apparet, malignitatemque benignitatemue variolarum nec ſalubritate, nec prauitate corporum determinari poſſe: indeque facile componi inoculatorum de hac re diſſidium in cautionibus corporum eligendorum, ab aliis obſeruatis, ab aliis neglectis. Minime enim prodeſt inſitio, in perſpicua diatheſeos prauitate. In puero vena, ſi vlla alicubi inueniri feririque potuiſſet et a chirurgo optimo quoque, a Noſtro ſecta eſſet.

p. 59. His morbi hiſtoriis abſolutis annectit Noſter corollaria, curam variolarum ſpectantia. Varioloſorum

ſorum commercium ob metum contagii ab initio vsque ad finem morbi nunquam tutum eſt. Incertum eſt tempus eruptionis. Balnea calida cum SYDENHAMO in variolarum cura magnopere laudat. Iis enim, abſorpta vaſis inhalantibus aqua, cruor omnis diluitur, cutis laxando aptior fit ad faciliorem et largiorem varioloſi veneni expulſionem iuuandam, indeque interiora ab eo liberantur: porro balneis et manus, et vultus defenduntur. Atque hic refutat eos, qui humiditatem ad variolas expellendas noxiam iudicant. Inciſionem puſtularum commendat Noſter ad puris reſorptionem impediendam et venuſtatem conſeruandam. Variolarum ſedes eſt in internis partibus corporis humani; ſed nimis cito diſparent, quam vt cadaverum ſectiones eas detegere poſſint. Venaeſectio eaque repetita ſaepius in quauis variolarum, morbillorum, ſcarlatinarumque periodo, ſaepe adeo neceſſaria eſt, vt tota ab ea ſalus pendeat. Lac in variolis et morbillis prodeſt, quapropter et nonnulli inſitores inoculationem lactantium vrgent. Praeterea aſſerit, his regulis obſeruatis et aliis, praeſertim puritatem aeris et lecti, moramque ex lecto attinentibus, malignitatem variolarum multum imminutam eſſe, et ſi vnum alterumque ſors iniqua rapuit, commune hoc cum inſitis variolis naturales habent, a quibus vnus, alter et tertius mori in fideliſſimis inoculatorum diariis perhibetur.

Tum perſequitur Noſter inoculationis commoda, qua non opus eſſe monſtrat, cum praeſcripta partim Cl. Auctoris methodus variolis medendi, partim alia praeſtantiſſima auxilia ad variolas aut praeuertendas, aut benigne acquirendas valeant. Atque hic nominat aethiopem mineralem, mercurium ſexies ſeptiesue ſublimatum, qui calome- p. 77. p. 88.

 lanos

lanos TVRQVETI nomine venit, mercurium diaphoreticum iouialem, ſic, HELMONTIO monente, paratum, vt ne reuiuiſcere mercurius vltra queat, et mercurium animatum ſolarem: inſimulque prouocat ad varios auctores, qui argenti viui, antimonii ſulphurisque virtutem et in variolis laudarunt.

p. 95. Morbilli propter ſuam cum ſcarlatina febre ſimilitudinem ad ſequens caput relegantur. Ac primum quidem Cl. Auctor varias ſcarlatinae benignae, malignae et diuturnae hiſtorias praemittit. Notamus ex his obſeruationem de vnguibus ſcarlatina laborantium maxime maligna: „In iuuencula, in eius domino, filioque, facta deſquamatione, crena ſiue ſulcus in ſingulis manuum pedumque vnguibus apparuit ad dictam vnguis lunulam, transuerſusque ille, nec tactu minus, quam viſu percipiendus, cum vngue creſcens, nec, niſi conſueti incrementi vnguis tempore cum eo abſcindendus. Vnguis linea ſerrata in aciem ducta, ex cute natus, epidermide tectus morbi materiem excipere a cute et epidermide, ad vsque lunulam poteſt: ſupra lunulam vero craſſior compactiorque, materiem ſiſtit, eandem non, niſi creſcentibus ſuis per longitudinem fibris promouet, paulatimque ad ſuum marginem ducit; ita, vt demum haec crena, ſeu ſulcus cum luxuriante vnguis extremo abſcindatur. Vnguium deformitatem et alii cutanei morbi habent. CELSVS libr. V. cap. 28. Impetigo albida infeſtare quoque vngues ſolet. Et pſora vngues duros ſcabrosque gignit. In hisce acrior penetrantiorque materies unguis totam perreptare ſubſtantiam videtur.„

p. 130. Tum pertractat Noſter ſcarlatinae antiquitatem, et ſcriptores de ea commemorat, et, addita definitione,

finitione, de periodis huius morbi diſputat duabus, alteramque infamem appellat, vtriusque ſtadii curam adiicit. Inter ſcriptores inuenimus Noſtrum *) primo, dein IOANNEM STORCH et MARCVM ANTONIVM PLENCIZ **). „Scarlatina eſt febris acuta, exanthematica, rubras easdemque latas maculas proferens, organa deglutitionis non raro impetens, epidermidis in deſquamationem abiens, et infamis praecipue periodo ſua altera, vnius, alterius, tertiae et vltra ſeptimanae, qua tumore corporis vario, anxietate, debilitate magis, quam priore periodo aegri periclitantur de vita. Cl. HAEN veſicatoriis, cortice et interdum et opio hic vtitur. Non raro ſequitur oedema letale cum foetido et pauco vrinae effluxu. Denique Noſter hic laudat aurum fulminans, quod alio loco ***) non commendaſſe ipſe fatetur. Mutauit mentem autem Noſtri experientia Cl. PLENCIZ, qui auro fulminante non fruſtra vſus eſt; et Cl. WEBERVM id in ileo, iſchuria, catarrho ſuffocante inque humido aſthmate, abſente tamen inflammatione, adhibuiſſe narrat. p. 132.

De miliaribus et petechiis agit Noſter in conſideratione febrium malignarum. Deſcribitur hic a Noſtro febris maligna, 1771 epidemica, quae aliis atque aliis ſymptomatibus maiori, minoriue virium proſtratione corpora inuadebat, interdum ſigna grauioris inflammationis prodebat mortem accelerantia: ſaepeque erat exanthematica, ita, vt tertio quartoue morbi die vel ſerius petechiae cum miliaribus ſeu albis, ſeu rubris apparerent, ac breui p. 150.

*) v. ANT. DE HAEN de febrium diuiſionibus. v. comm. noſtr. Vol. IX. p. 463.

**) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 137.

***) v. EIVSD. rat. med. Tom. XI. p. 138.

aegri perirent. Tradit igitur Cl. Auctor hic febrium acutarum nonnullarum accuratas hiſtorias, ex quibus apparet, cura antiphlogiſtica, aere libero petechias in febris cruditate disparuiſſe.

p. 175. Hoc diario, diligenter hic inſerto, inquirit in ſententiam, quae in eo cernitur, quod morbi acuti diuidendi abſolute ſint in eos, aut quos genuit, aut ad quos acceſſit humorum ſpiſſitudo, et in illos, qui liquidorum diſſolutionem ſiue genitricem habent, ſiue ſociam. Haec ſententia autem a Noſtro reiicitur. Ac primum quidem praecepta tam priſcorum, quam nuperorum dogmata examinat methodumque medendi eorum attendit; vnde demonſtrat, auctoritatem huic ſententiae deeſſe Dein experientiam conſulit, quae eidem neutiquam favet. Atque hic de ſanguine examinando agit, huiusque rei difficultatem illuſtrat. In multis aegris enim dicit Noſter, prodire vno die ſanguinem diſſolutum, alio die concretum: porro in febribus putridiſſimis ſanguinem aut condenſatum duntaxat, aut et craſſo corio tectum apparere, vtrinque Noſter aegros mori et viuere vidit; dein ad diaetae varietatem et omnino ad aliam atque aliam hominum vitae rationem attendere debere eos, qui in examine ſanguinis verſantur. Ex quibus nunc varietatibus ſanguinis et adhuc aliis quoque, quas nos oportet hic praeterire, damna, quae haec opinio inducit aegrotantibus, ſatis euidenter declarat Ill. DE HAEN.

p. 195. Continuat hic Cl. Auctor in febre peſtilentiali deſcribenda, eiusque curationem potiſſimum hic tradit, cum iam in antecedenti tomo bibliothecam medicam de peſte curate collegiſſet, et inprimis quoque rariorum de peſte librorum mentionem inieciſſet

ſeciſſet *). Ac primum reiicit diuiſionem in peſtem et febrem peſtilentialem. Dein neceſſitatem hanc rem repetendi monſtrat, partim ob facilem peſtis communicationem, partim ob methodum ei medendi, quae Noſtro non integra videtur. Quapropter ſuadet Cl. Auctor, morbos malignos contagioſos, non raro peſtis initia ſimulantes, etiamſi peſtis ſignis ſint deſtituti, eadem tamen cautione tractari, qua peſtim ipſam. Porro et varias easque multas et graues admonitiones hic addit, cum noſodochia, quae ſaepe contagia fouent et propagant **), tum ipſum contagium attinentes. In peſte inprimis maximeque in noſodochiis antiphlogiſtica, larga et frequens miſſio ſanguinis eſt neceſſaria.

Communis quidem eſt ſententia propemodum, p. 224. debilitatem eſſe proprium characterem peſtis: venaeſectione debilitari homines; ergo eam ad methodum medendi peſti, adeo praeterea debilitanti, non pertinere; profecto tamen vera debilitas rite erit a ſimulata interſtinguenda, ait Noſter, antequam illam in aegris adeſſe ſtatuamus. Quapropter Noſter et narrat exempla aegrorum debiliſſimorum, morbis acutis affectorum, quibus profecto, moribundis intuitu, vena feliciter et vtiliter eſt ſecta, eaque ex aliis Auctoribus confirmat.

Deinde reſpondet Noſter ad varia hic propo- p. 230. ſita argumenta contra hanc ſuam de venae ſectione in debilitate ſententiam, ab aliorum medicorum eorumque non paucorum multum alienam, ſeſeque liberat a ſuſpicione, ac ſi arbitraretur, in quauis debilitate aegrotantium venam tundi poſſe, cuius tamen irreparabiles noxas multi medici maximo

*) v. EIVSD. rat. med. Tom. XIV. p. 211. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 292.

**) v. OCTAV. NERVCCI de febre epidem. Senenſi, comm. noſtr. Vol. XVI. p. 618.

ximo cum vitae periculo obſeruarunt et poſteritati reliquerunt, Atque hac occaſione de vera ac ſimulata acutorum debilitate docte diſputat. Nos vero, qui per inſtituti noſtri rationem non omnia haec argumenta atque reſponſiones ad ea hic repetere poſſumus, potiſſimum in ea occupatione verſabimur, quae cernitur in methodo medendi peſti a Noſtro ſtabilienda. Suadet nimirum antiphlogiſtica, acida mineralia cet. largamque, nec non repetitam venaeſectionem. Magnam profecto vtilitatem venaeſectionis in peſte partim ex veterum ac recentiorum monumentis, qui eam laudarunt, partim ex iis, qui eandem contemſerunt, aliasque methodos, e. gr. ſudoriferam cet. propoſuerunt, oſtendit. Tandem Cl. Auctor et hanc ſuam ſententiam peſtis curandae ex recenſione peſtis Smyrnenſis confirmat.

P. II. Progredimur nunc ad alteram huius tomi partem, ex qua haec delibabimus:

P. 3. De vita, merſis, ſuffocatis, aliisque morti ſubitaneae obnoxiis, reſtituenda, iam in antecedenti tomo *) Noſter diligenter egit, atque hic eandem in rem inquirere perrexit. Praemittit propterea exempla, felicem vitae reuocationem probantia, ex Belgio foederato, Italia et Belgio Gallico. Dein viginti et ſeptem auxilia, quibus vſi ſunt Bataui, recenſentur; quorum, cum pleraque aliis locis **) iam ſint a nobis tradita, nonnulla ſolummodo hic repetamus. Infuſio nimirum in gulam, vini, ſpiritus vini, butyri, olei, vini rubri ſeu aquae calentis; cubitus inter duos homines ſanos; immiſſio aeris in inteſtinum rectum; inſpiratio fumi tabaci in os et nares; cucullus, capiti circum-

*) v. EIVSD. rat. med. tom. XIII. p. 190. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 282.

**) v. ibid. et p. 147.

circumpoſitus, ex cineribus calidis, inter duo linteamina poſitis, confectus; theriacae ad cordis ſcrobem, eundemque ad locum cataplaſmatis ex porris cum aceto lithargyrii et aqua confecti appoſitio commendantur.

Tum ſequitur hiſtoria merſorum in republica Venetorum et in Auſtria, et inter eos operarii cuiusdam felicem in vitam reuocationem legimus. Multum vero et in poſterum exſpectat Noſter a nouis inſtitutis, quae hic curantur. p. 17.

Transeamus cum Noſtro ad experimenta in vſum merſorum ab EO facta. Adhibuit ideo animalibus merſis omnia quaeque auxilia ſibi nota Cl. Auctor, et iis ipſis fruſtra adhibitis, ſingula mortua luſtrauit, cum id, quod aſſeruit non multum ante *), et eo rediit, vt nec ventriculus, nec pulmo aquam hauriret, Noſtro non amplius omni exceptione atque dubitatione maius videretur. Inter auxilia noua vel antea a Noſtro **) non commemorata, quibus hic vſus eſt, primum appellemus ſuccuſſus electricos non aliter efficaces, quam reliqua irritantia; et ſulphuris fumum a Noſtro antea non admiſſum: dein experimentorum ſucceſſus videamus. Quindecim canes, aqua eaque interdum nigra merſi, ſiue ſuſpenſi et ſtrangulati, omnem adhibitam operam eludentes, cultro anatomico a Noſtro ſunt ſubiecti. Omnium pulmones, duobus exceptis, plus minusue prodebant ſigna aquae inſpiratae quidem; nullius tamen deglutitae, nec in ſingulorum capite, praeter duo, vlla apoplexiae ſigna. p. 31.

Tres quidem Noſter nuper ***) et hic vnum ſolummodo conſeruauit: reliqua experimenta cum p. 54.

 animalibus

*) v. Noſtri rat. med. tom. XIII. p. 190. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 283.

**) v. ſupra p. 648.

***) v. EIVSD. Tom. XIII. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 282.

animalibus quoque male ſucceſſerunt; nihilominus tamen exſpectat in poſterum eosdem felices huius rei euentus, de quibus ceterae nationes, vt Batauа, praecipue laetantur. Nam illa canum experimenta, fruſtra a ſe inſtituta, non adeo curat Cl. Auctor partim ob diuerſam illorum et hominum naturam, partim ob differentem modum hominum caſu infortunato, et canum de induſtria merſorum; vti vel Cll. ZACCHIAS, MORGAGNI et HALLERVS affirmarunt, atque moram in aqua breuiorem merſorum et auxiliorum celeriorem et promptiorem vſum ſolummodo vrget. Tandem canum hiſtoriam, quibuscum Noſter fecit pericula, adeo deſperatam eſſe negat, vt primo intuitu videtur, quoniam nonnulli ob errores commiſſos non ſunt vitae reſtituti. Nam ſeruata horum experimentorum proportione ex centum canibus ſex reuiuiſcerent: et optat decimum ſeptimum quemque hominum infelicium tantum ſeruari.

p. 62. Agitur de vera merſorum morte eiusque cauſſa, et variae a medicis traditae cauſſae, vt aqua deglutita, tumor enormis ventriculi, apoplexiam generans, infirmantur. Plura experimenta mortem peripneumonicam potius, quam apoplecticam merſorum innuere videntur. Atque hic multum dicitur contra inſpirationem aeris in eorum pulmones et contra laryngotomiam, quam, licet eius felix euentus vbique propemodum praedicetur, non omni exceptione maiorem Noſter dicit; ſed vlterioribus experimentis tentandam confirmat et interea eam reiicit. Inſeruit et hic praeterea Cl. Auctor anonymi hac de re ſententiam, quam in diario quodam *) reperit. Suſpicatur Noſter, eum eſſe Cl. LOVISIVM, qui pari modo non ſtat a parte broncho-

*) Journal Encyclopedique Tom. IV.

bronchotomiae, ſeu potius, vt Noſter vult, tracheotomiae.

Vtrum ſuſpenſis eadem auxilia, an merſis alia ſint ferenda? hic quaeritur: idque non diu poſt a Noſtro affirmatur. Agitur hic potiſſimum de cauſſa mortis ſuſpenſorum, quam alii apoplecticam, alii peripneumonicam habent, et praeterea ex MORGAGNIO, VAN DOEVEREN et STOLTE aliisque veteribus et recentioribus ſcriptoribus variarum rerum, ſuſpenſos et eorumque reſuſcitationem attinentium, additis auxiliis, ratio redditur. Non multum ante et ii refutantur, qui vertebrarum colli ſeu fracturam, ſeu luxationem vrgent. p. 75.

Noua hic communicantur experimenta a Noſtro, proximam mortis cauſſam merſorum, ſuffocatorum ſtrangulatorumque etc. concernentia, et antea commemoratas dubitationes partim infringentia, partim tollentia. Septem experimenta cum ſuſpenſis et ſubmerſis oſtendunt, mortem vtrorumque eſſe peripneumonicam, nec vlla apoplexiae ſigna adfuiſſe. Cauſſa mortis igitur proxima Noſtro in impedito ſanguinis circulo per pulmones videtur. Vtrisque eadem auxilia. Tandem et inuentus eſt ventriculus plurima turgens aqua, quae in inteſtina transiit. Saepius imo plerumque pulmonibus inerat ſpuma, quin tincta aqua, in qua ſubmerſi erant canes. Inter ſigna mortis, abſoluta omnibus numeris, non ponit Noſter opacam corneam, et exemplo confirmat. p. 90.

Conſuetudo vulgi, merſos pedibus tollendi, non a Noſtro vituperatur, cum, etiamſi aqua nunquam deglutita eſſet, ad reuocandam reſpirationem plurima facere videatur. p. 147.

Reſpon-

p. 176. Reſpondet Noſter hic ad graues duas obiectiones. Prima eos attinet, qui horas, dies, ſeptimanasque latuerunt ſub vndis, et in vitam reuocati ſunt. Altera concernit vitam vel modicis, vel diu intermiſſis et tandem adhibitis remediis reparatam. Aliae atque aliae res hic a Noſtro proponuntur, quae autem a nobis ſunt praetereundae.

Appendix continet duos viros, qui fumo denſo prunarum pene ſuffocati vitae ſunt reſtituti.

X.

Nouveaux récueil des pièces rélatives au traitément des vapeurs; ou ſupplément au traité des affections vaporeuſes des deux ſexes cet. par M. POMME', Docteur en Médécine de l'univerſité de Montpeillier, médécin conſultant du Roi, et de la grande fauconnerie. à Paris chés I. Th. Heriſſant pere 1771. 8 maj. pagg. 446.

i. e.

Supplementum tractationis vaporoſarum, quas dicunt, affectionum ſexus vtriusque, Auctore Cl. POMME'.

Nuperrime *) Noſter contra theoriam medicorum fere omnium in affectionibus hypochondriaco-hyſtericis inſurgens, nec cum eorum cauſſa proxima conſentiens, nouam etiam, ex ſua theoria, propoſuerat methodum medendi: quae cum pluribus diſpliceret, multis, quos vel veri amor, vel pietas in praeceptorem inſtigauerant, contra eam ſcribendi copiam dedit, ita, vt, quod Noſter in praefatione monet, maxima exinde bibliopolis redundarent

*) v. comm. noſtr. Vol. X. p. 611.

dundarent commoda. Iam vero hypotheſin ſuam ex praxi declaratam, multisque et fidis tentaminibus confirmatam, denuo et ab omnibus, quod Ipſi videtur, obiectionibus purgatam publice tradit, ei firmiſſime inhaeret, et, ſcriptis aduerſariis fere omnibus praemiſſis, iisque, quod credit, dilutis refutatisque, omnibus vt optimam commendat. Noſtrum hic non eſt, litem eorum componere, vel discernere, cuinam veritas conſtet, cum omnia fere ad plus et minus ſpectare videantur: Et cum iam antea *) fuſius Noſtrum examinauerimus, ſcriptaque aduerſaria paſſim tradiderimus, quaedam hinc inde delibaturi ſumus, deque iis, quae noua Noſter hic adiecit, poſtea dicturi.

Scenam Cl. CAMVS **) aperit, Noſtro balnea p. 5.
frigida, vbiuis commendata obiecturus, contra quem Auctor Cl. monet, balneis frigidis ſe non emolliente, ſed roborante ſcopo vti, etſi etiam poſtea hunc ſcopum non ſemper obſeruare videatur.

Cl. ROUX et amicum, et aduerſarium ſibi inue- p. 32.
nire queritur. Quemadmodum enim apologiam haud dubiam a Cl. ROUX pro Noſtro ſcriptam, et diario medicinae de anno 1764 ***) inſertam legiſſe laetatur: ſic grauiſſimam eiusdem auctoris cenſuram de quarta Auctoris noſtri editione, in eodem diario anni 1769 †) legendam dolet, vt ergo ex eo quaerat, an Cl. ROUX anni 1764 ſit idem ille de anno 1769? eumque iudicem, iam ex huius, mox illius partibus ſtantem, dicat.

Cl. PRESSAVIN ††), Noſtro infantes, ſexum p. 76.
ſequiorem, hominesque debiles, quibus genus nervoſum

*) v. comm. noſtr. Vol. X. p. 611.
**) v. Médécine prâtique.
***) v. Journal de médéc. ann. 1764 p. 430.
†) v. ibid. ann. 1769 p. 3.
††) v. vtpote ibid. ann. 1770 p. 234.

voſum mobilius multo et ſenſibilius ſit, eamque ob cauſſam morbis neruoſis ſaepius et facilius ſubiectos adultis robuſtisque obiecturo, ita Noſter occurrit, vt, quatenus morbos neruoſos ſpectent, eam concedat, non ita vero, ſi affectiones vaporoſae conſiderentur. Hinc has obiectiones ita ſoluit, vt cauſſam fibrae nerueae ſenſilis mobiliſue infantum, cauſſae fibrae nerueae non minus ſenſilis adultorum, affectionibus vaporoſis laborantium, non multo abſimilem demonſtret: illam nudam, nulloque alio corpore obtectam; hanc vero munimentis ſuis *muco*, *glutine* et *ſucco nerueo* vtpote ſucceſſu tempo-
p. 84. ris adueniendis, orbatam dicit. Ita et balnea frigida, fibrae eiusmodi non bene accommodata, non fibrae tenſae, ſed alius vitii cauſſae, h. e. ſanguinis reliquorumque humorum maſſae male mixtae, et parietum inde vaſorum, et *aereae*, quam dicit, *tenſioni* applicanda eſſe aſſerit.

p. 89. Ad duas obiectiones, quas ex Cel. TISSOT *) elicitas ad ſe refert, ita reſpondet, vt methodum ſuam humectantem omnibus quidem affectionibus vaporoſis, non vero omnibus morbis neruoſis applicet; nec plures cauſſas morbi vaporoſi, ſed vnam tantum, fibram ſiccam et exſuccam admodumque tenſam agnoſcat.

Quae ſequuntur ſcripta, pro Noſtro et in eum directa, nos non ita ſpectantia omittimus.

p. 177. Fibra neruea adultorum ita interdum exſiccatur et rigida fit, vt plane vel ad partem nuda ab inuolucris ſuis mucoſis, plus minusue irritabilis ſenſibiliſue reddatur vltraque tonum ſuum euehatur, vt ita, volumine et extenſione ſua naturali deperditis, duri ad inſtar pergameni contrahatur et induretur: Hunc fibrae ſtatum *racorniſſement* vocat,

*) v. Maladies des gens du monde artic. X. p. 166.

eat, vnamque et proximam cauſſam affectionum vaporoſarum dicit. Hinc morbum admodum complicatum refert, vbi malum hyſtericum exquiſitum, optime ex ſua methodo ſuſtulit, etſi reliqui ſuperſtites aliis deinde medicinis curari deberent. Femina enim 31 annorum, ex matre hyſterica et patre arthritico nata, ex multis iam annis vehementiſſimis mali hyſterici ſymptomatis affecta, nullisque auxiliis antiſpasmodicis ab hoc malo liberata Noſtrum conſuluit. Viſcera omnia ſicca, latus dextrum durum, tenſum et dolorificum inueniebat. Minor lobus hepatis ſcirrhoſus et in meſenterio aeque, ac in latere ſiniſtro veſtigia calculoſa adeſſe Noſtro videbantur: vterus et ouaria aegra, miſſio vrinae cum dolore, nec ſomnus vllus. Paroxyſmo hyſterico per clyſma ex aqua frigida ſublato, dolores calculoſi ita inualuere, vt, febre ingente, extremitatibusque inferioribus per tempus paralyticis, de eius vita deſperaretur. Magna copia materiae ſabuloſae calculoſaeque per vias vrinarias excreta, ſymptomata reliqua, aptis remediis adhibitis, ceſſarunt, pede dextro paralytico, et ad tres pollices decurtato relicto, viſuque deperdito. Quorum p. 181. omnium malorum ex ſignis anamneſticis et diagnoſticis diſpoſitionem haereditariam ad ſpaſmos inueniebat, vnde ad cauſſam proximam affectionum vaporoſarum concludebat, ex qua obſtructio aluina et reliqua ſymptomata ſequerentur. Corpus ergo diluendum eſſe et humectandum, fibrae ita peccanti iuſtum tonum reſtituendum, rigiditatem, ſpaſmum erethismumque tollendum, coanguſtationem vaſorum coercendam, verbo hoc *racorniſſement* immutandum et corrigendum Noſtro videbatur: quae et omnia methodo ſua, antea a nobis expoſita *) optime praeſtitit. Poſt duos enim menſes viſus

*) vid. comm. noſtr. l. c.

viſus ſubito, praegreſſo dolore, reſtitutus eſt: poſt quinque porro menſes paralyſis pedis paullo curata, poſt annum tandem plenaria huius mali hyſterici curatio ſubſecuta eſt, aperientibusque obſtructione viſcerum interea ſublata, magnaque quantitate calculorum biliarium, flammam concipientium, per aluum quotidie excreta iuſta et optima per duos annos fruita eſt ſanitate. Sed proh dolor! materia arthritica, bis in duobus alternis paroxyſmis verſus pectus conuerſa, et aptis remediis feliciſſime exinde deriuata, iam tertia vice, et quidem tempore maxime critico, vbi catamenia fluerent, animique pathematibus aegra valde agitaretur, verſus pulmones delata, abſceſſum ibi formauit, vt febre lenta breui eximeretur. Ex ſectione cadaueris, quam Cll. TOUSS. GUINDANT et CHAMPION teſtati ſunt, apparuit, pulmones, vlcere deſtructos, reliqua vero viſcera, praeter hepar, veſiculam felleam et ductum choledochum cum duodeno parum mutata, ſana fuiſſe.

p. 190.

p. 199. Vidit porro Noſter, aegros, in quibus verum *racorniſſement* adeſſet, in balneis nataſſe, cuius quidem phaenomeni explicationem ſibi reddendam eſſe putat. Hanc antea *) natationem maiori interno calori, aerem fixum in liquoribus admodum rarefacienti, corporaque inde leuiora reddenti, attribuit, vt etiam regulas hydroſtaticas accuſaret; iam vero meliora edoctus, cum aer admodum leuis ſit, corpus humanum non ita multum eius contineat, vel, ſi etiam aer internus per calorem corporis valde exaltatus ſit; parum tamen ad grauitatem maiorem minoremue corporis conferat, non in eo ſolam cauſſam natationis ſibi inuenire viſus eſt; ſed potius ad ſolam et ſummam corporis exſiccationem hic reſpiciendum eſſe putat, eo magis, quo

*) v. Traité des vapeurs Vol. I. p. 441 cet.

quo clarius appareat, corpus poſt diluentium hume-ctantiumque applicationem ſenſim in balneis ſubſi-dere. Homo enim ſanus aqua multo grauior eſt et ſubſidit; ſi vero quacunque cauſſa humorum quid perdiderit, grauitas corporis imminuetur, quae ſenſim, euaporatione et exſiccatione auctioribus, grauitati aquae ita reſpondebit, vt corpus antea fundum petens, iam in ſuperficie natet: Nulla enim corporis humani pars ſine grauitate eius imminuta exſiccatur. p. 20

Spaſmi partiales varia, ex varietate partium, pro-dunt phaenomena: quotiescunque enim rigiditas in ſyſtemate neruoſo adeſt, curſus humorum in cir-cumuolutionibus vaſorum aliquo modo intercipi-tur, vnde ibi ex gradu coanguſtationis maior mi-norue irritatio orietur, quae ſpaſmum neruoſum producunt. Leuior eiusmodi ſpaſmus facile ex loco in locum transfertur, quod hactenus minus recte *metaſtaſin vaporum* nominarunt medici, cum eius-modi decubitum non tenſioni fibrae nerueae tri-buerent, ſed ex ſolis humoribus deriuarent. Hinc ex iniuſta hac diagnoſi falſa indicatio et mala me-dendi methodus ſequuntur, ita, vt ſpaſmus hic, ex applicatione topicorum, vel irritantium interno-rum, facile in erethiſmum vel etiam in verum *ra-corniſſement* partis laeſae abeat, ex quo deinde, in-iuſta methodo continuata, multa redundant mala. Quae hiſtoria quadam illuſtri declarat, vbi, ſpaſmo in renibus, ex diſpoſitione calculoſa, praeſente, ex peruerſa adhibita methodo medendi, praeter alia funeſta ſymptomata, plena incuruatio ſpinae dorſi proueniret. Multis aliis medicis fruſtra in conſi-lium vocatis, Ill. etiam VAN SWIETEN conſule-batur, qui phaenomena haec ex rhachitide decla-raret, contra quam ſpecificum remedium ſyrupus p. 219.

 mercuria-

mercurialis BELETI ſuadebatur. Huic vero Noſter ſententiae non ſubſcribens, remediumque hoc maxime nociuum reiiciens, aegrum curae eius traditum, ex theoria ſua et methodo optime curauit.

p. 233. Spaſmum hunc fixum interdum, nullisque remediis internis et externis cedentem, vehementiſſimosque dolores creantem per auxilia chirurgica, inprimis nerui diſciſſionem tollendum eſſe ſuadent quidam; nec huic methodo Noſter ſuffragaturus, operationes omnes chirurgicas, ſi ſpaſmus ex cauſſa deſcripta prouenit, plane reiicit. Virgo enim 18 annorum, per plures iam menſes dolore in reno dextro inſigni affecta, nullis topicis lenientibus iuvari poterat: venaeſectionibus, veſicatorio reiterato, ſetaceo vel etiam internis antihyſtericis fruſtra adhibitis, malum indies increuit: Iam denique nephrotomia, a chirurgo propoſita, et a duobus medicis probata, a Noſtro vero, huc aduocato, prorſus reiecta eſt: cui, in cauſſa morbi cum medicis non conuenienti, methodumque hactenus adhibitam improbanti, aegra tradita, poſt tres hebdo-
p. 237 madas integre curata eſt. Vſus eſt hac in cura balneis, vbi aqua ſolo calore corporis haud dubie incaluit, vt plus vna vice frigida deberet affundi. In alia aegra, ſpaſmo dolorifico in neruo optico affecta, quo etiam viſus aboleretur, balnea tepida adhibuit: hinc vſum eorum paullo diſtinctius determinat. Vbi enim reſolutio humorum tanta eſt, quae etiam tenſionem fibrae valde ſuperet, ſolo balneo frigido opus eſt; tepida vero, h. e. ad gradum 26. thermom. Reaum. in alio ſtatu ſemper ſunt adhibenda.

p. 241. Expoſitis hactenus effectis τȣ̃ *racorniſſement* in partibus extremis, iam ad eius ſymptomata, in viſceribus conſpicua, progreditur. Adhaeſiones meningum,

ningum, ſectis cadaueribus, ad cranium vel cerebrum, concretiones pulmonum cum pleura, vel eius cum muſculis intercoſtalibus: pulmones collapſi, exſiccati et rigidi, verbo omnium viſcerum eiusmodi habitus ſententiam Auctoris confirmare videntur; ſed et haec ex phaenomenis morborum apparent. Femina, ex ictero in prima iuuentute male curato, tempore pubertatis ſymptomatis ſpaſmodicis, cum obſtructione hepatis coniunctis, admodum vexata de clauo hyſterico praecipue conquerebatur. Dolor praeterea ad pylorum fixus cum ſenſu, quem aegra *ferrum candens* appellauit, fames canina et ſuppreſſio menſtruorum conſpiciebantur. Balneis tepidis et methodo humectante, ſymptomatis ſpaſmodicis ſenſim ceſſantibus, crebriores euacuationes aluinae cum multis calculis biliariis excretis ſubſequutae ſunt: magna poſtea, per quendam paullo inſigniorem, formaeque triangularis calculum haemorrhagia exorta, vſu gummi Arabici ſopita eſt: haec denuo, ex reiteratis balneis, exortisque crebrioribus rurſus deiectionibus cum exfoliatis membranis inteſtinorum, duodeni inprimis, excretisue prodiens, per idem remedium ſublata eſt: calculi quidem poſtea, vſu balneorum nunc continuato, quorum ortum ex pancreate deriuat, excreti ſunt ſine aliis ſymptomatis: reſolutioni denique humorum balneis frigidis, per corpus ad 28 gradum thermom. calidis factis, optime et cum plenaria ſubſequuta reſtitutione obuiam iuit. Membranae excretae, in ſpiritu vini ſeruatae, durae, rigidae et criſpae: in aqua vero frigida maceratae forma iuſta et volumine naturali conſpiciuntur. Eiusmodi membranas in alia aegra ex vrethra excretas vidit. In alia aegra, funeſtis ſymptomatis p. 252.
vexata, vbi *racorniſſement* vteri, id quod diſſectio cadaueris publica oſtendit, ſola cauſſa fuit, Noſter

 auctoritati

auctoritati familiae et aliorum medicorum, diſpoſitionem ſcrophuloſam accuſantium, ceſſit, nec vſum cauteriorum, contra quae hic acerrime inſurgit, diſſuadere potuit, quae tandem febre lenta,
p. 263. effecto cauſſae primariae, periit. Sectio alius aegri canalem inteſtinorum admodum ſiccum, volumineque ita et ventriculi iuſto minore, valuulam coeci valde coanguſtatam glandulasque meſaraicas obſtructas induratasque obtulit. Quae phaenomena BOERHAAVE et BAGLIV iam in ſectionibus cadauerum obſeruarunt.

p. 266. Affectionum hactenus vaporoſarum explorato gradu vltimo h. e. ſumma exſiccatione et contractione fibrae nerueae, iam primum eius gradum ſpaſmum vel tenſionem fibrae conſiderat, ita, vt duo haec effecta, ex vna cauſſa oriunda, vna eademque methodo tolli certum ſit. Ex relatione hiſtoriae morbi neruoſi, quam aeger ipſe fuſe ſatis Noſtro communicauit, videmus, delirium et melancholiam primaria fuiſſe ſymptomata, per viginti fere annos durata, quae, nullis aliis adhibitis auxiliis ſalutaribus, per methodum Cl. Auctoris, poſt lectionem eius tractatus de affectionibus vaporoſis, ipſe correxit, vt etiam iam de iuſta reſtitutione ſa-
p. 294. nitatis certus eſſe poſſet. Quae ſequitur relatio, offert nobis aegrum, variis ſymptomatis morbi vaporoſi cum paralyſi pedis dextri laborantem, per balnea frigida, frigidaque clyſmata curatam: Alia puerpera, lochiis ſuppreſſis, iniuſtis medicamentis tractata, hemiplegia inde affecta optimo vſu balnea tepida experta eſt: quarum auctor iam ex Noſtro aquae frigidae actionem phyſicam in ſpaſmum ſoluendum et fibram rigidam quaerit; qui vero ad ea reuocatur, quae antea *) de tonica virtute aquae frigidae dixerit: tenſionem praeterea ſpaſmodicam haud

*) v. ſupra p. 658 et Traité des vapeurs edit. 4. p. 175 cet.

haud raro ſumma rarefactione aeris fixi ſtipatam eſſe, cui inprimis aquam frigidam mederi: accedere ad haec, quod virtus tonica frigidae aquae momentanea ſit, quod balnea per calorem corporis calidiora facta teſtentur; ſed, ſi vera fateamur, ſigna iuſta deſideramus, quae balneum frigidum tepidumue determinent.

Iam progreditur ad eiusmodi morbos, vbi ſpaſmus non ſola cauſſa, ſed varia humorum acrimonia coniunctus ſymptomata fere ſimilia producit, morbumque complicatum offert. Morbi eiusmodi complicati ſunt v. c. febres, lues venerea, ſtrumae, ſcorbutus, leucophlegmatia, color pallidus h. e. cuiuscunque viſceris obſtructio, fluor albus, haemorrhagiae, ſuppreſſio lochiorum, menſtruorum haemorrhoidumque, fluxus catameniorum haemorrhoidalisque nimius: ad quos et exanthemata v. c. ſcabiem, ſcrophuloſos humores, arthritidem cet. refert. In omnibus morbis methodum ſuam cum aliis iuſtis et bonis remediis, hic commendatis, coniungit, praecipuisque cauſſae proximae oppoſitis, nihil fere agendo, vias, quas natura pergit, attente obſeruat, eas ſequitur, et ſic optimum saepiſſime vidit euentum. Declarat porro, qui fiat, vt in quolibet horum morborum indicatio emolliens et humectans locum habeat. Sic e. g. Auctorem noſtrum miramur, etiam in fluore albo, vbi ipſe relaxationem partium concedit; ex acri tamen materia excreta, excoriationeque partium indicationem humectantem balneaque tepida probari. In acrimonia ſcrophuloſa complicata has indicationes ſibi formandas putat, vt 1. indolem ſanguinis et lymphae acris per lenientia corrigat, 2. contextum celluloſum cutaneum, ſi ſtrictior iuſto videtur, per balnea relaxet, 3. humores, per quas natura moli-

p. 311. p. 317. p. 319.

 tur,

tur, euacuet vias medicamentis alterantibus, quibus et cauteria, aeque atque epiſpaſtica, antea plane reiecta, adiungit. Febrem ſpaſmodicam h. e. vbi nulla materia febrilis eſt, nec vlla criſis prouenit, non, niſi balneis et refrigerantibus cedere Noſter expertus eſt. Sed reliquorum morborum methodum ſpecialem fuſius hic repetere non opus iudicamus, cum pleraque iam ab Auctore in tractatu ſuo antea citato expoſita ſint, ad quem et Lectores noſtros amandamus. Nonnullas interim ex hiſtoriis morborum hic adiectorum, quae notatu
p. 333. digniores videntur, referre nobis liceat. In curatione luis venereae omnia ſpecifica, et praecipue ſyrupum mercurialem BELETI, in Francia admodum ſolemnem, acerrime perſtringit: quem in tribus aegris funeſta ſymptomata produxiſſe Noſter vidit, quos vero balneis et frictionibus breui reſtituit.

p. 344. Leucophlegmatiam complicatam, cum rarefactione aeris, ex emphyſemate conſpicienda et tenſione ſpaſtica, coniunctam, in duabus aegris metho-
p. 349. do ſua breui ſuſtulit. Qui obſtructionem viſcerum adhuc cauſſam proximam affectionum vaporoſarum aſſerunt eruditi medici, rem non acu tetigiſſe Noſtro videntur. Ex qua theoria maximos errores quotidie fere committi experientia conſtat. Eiusmodi errorem commiſſum refert ex triſti hiſtoria aegrae 18 annorum, obſtructionibus viſcerum cum affectionibus ſpaſmodicis vexatae, quae, cum medicus cauſſam proximam in obſtructionibus quaerens ex praeceptis ſuis, euacuantibus, reſoluentibus irritantibusque corpus in dies magis exſiccaret cauſſamque morbi augeret, paullo poſt, cum Noſter aduocatus eſſet, exſpirauit.

p. 357. Adſtringentia cum tonicis nullum tunc in fluore albo locum habent, ſi excretio materiae copioſae,

pioſae, ſeroſae, flauae vel viridis cum ardore et irritatione partium coniunctae adfuerit; ſymptomata vaporoſa eam concomitentur, vel etiam purgantia, vel alia eiusmodi remedia, effecta nociua ediderint; Emolliendum hic eſſe et humectandum oportet. Ex hiſtoria adiecta Cl. RAVLIN *) relaxationem cum irritatione immerito coniunxiſſe Noſtro videtur, cum tamen relaxatio adfuerit nulla: cui opponens Noſter nullam ibi irritationem in laxa fibra et verſa vice admittit. p. 364.

Exſiccatio et rigiditas fibrae haemorrhagiarum obſtructarum vel nimiarum inuenta fuit cauſſa, et ſublata balneis tepidis; ſed ea quoque partum, quo minus ſuccederet, impediuit. Grauidae enim, 20 annorum, antiſcorbuticis, antiſpaſmodicis cauteriisque ex ineunte aetate admodum exſiccatae et irritatae, ſeptimo iam menſe grauiditatis regiones iliacae cum dolore, et applicatis venaeſectionibus purgantibusque extremitates inferiores intumuere: his ad octauum menſem durantibus, dolores ad partum grauida ſenſit. Statu parturientis ab obſtetricio medico explorato, partum inſtare et breui ſubſecuturum eſſe iudicabatur. Venaeſectiones, partum non adiuuantes, ſanguinem coagulatum cum cruſta inflammatoria obtulerunt; his vero a Noſtro accedente non probatis, partumque magis impedientibus iudicatis, balnea tepida propoſita ſunt, quae grauida ita ſalutaria experta eſt, vt in ipſis balneis, ex quibus excedere nollet, feliciſſime parturiret. p. 369.

Syſtema THEMISONIS *ſtricti* et *laxi*, ad quod omnes morbos reuocaret, Noſtro non contemnendum, ſed potius optimo iure imitandum videtur: eius veſtigiis inſiſtens primum genus hactenus per- p. 397.

 tractauit;

*) v. Traité des fleurs blanches Tom. I. p. 294. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 28.

tractauit; alterum iam, ad quod ſe praeparat, data ſibi opportunitate, communicaturus eſt.

p. 399. De correctione aeris rarefacti per balnea frigida iam antea *) dictum eſt. Adiicitur hiſtoria **) grauidae, vaporibus carbonum fere ſuffocatae, per applicationem vero glaciei optime reſtitutae. Aer enim frigidus, aqua frigida cum glacie ibi, vbi ſumma rarefactio aeris adfuerit, iuſta ſunt indicata.

XI.

Mélanges de phyſique et de médécine, par M. LE ROI, profeſſeur en médécine au Ludovicée de Montpeillier, etc. à Paris, chez P. G. Cavelier. 1771. pagg. 400. 8.

i. e.

Miſcellanea phyſica et medica. Auctore Cl. LE ROI.

Continentur in hoc libro tractationes et a Cl. Auctore paſſim editae vel actis academiae Pariſinae inſertae, et aliae hic primo prodientes. Priores ſunt, de eleuatione et ſuſpenſione aquae in aere, et de rore commentatio ***), de aquis Balaruccenſibus obſeruationes †) de viſu commentatio prior ††), duo tractatus de febribus acutis, et de aquis mineralibus epitome †††), quae prius Latino ſermone ſeparatim, ſub titulo, propoſitiones de aquarum mineralium natura et vſu, prodierat, atque etiam Gallico idiomati, male tamen, tradita erat in pharmacopoea chirurgica, theoretica et practica: quare Noſter

*) v. ſupra p. 661.
**) Journal de méd. année 1769 p. 353.
***) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 57.
†) v. ibid. p. 675.
††) v. ibid. Vol. X. p. 30.
†††) v. ib. Dec. I. Suppl. p. 389.

ſter eam ipſe vertit et purgatam vitiis, et in quibusdam auctam offert. Iam eas, quae a Cl. Auctore primum hic proponuntur, breuiter recenſeamus.

1) *Commentatio de vſu aquarum Balaruccenſium.* p. 61. Deſcribit primo varios, has aquas adhibendi modos, et, quae ita edant, effecta; deinde morbos principes, quibus medeantur, variaque morborum ſymptomata, quae earum interdicunt vel reſtringunt vſum, exponit. Bibuntur hae aquae calidae ad quatuor menſuras vsque, horae ſpatio, et continuantur per tres vel quatuor dies, additurque a medicis lene laxans; quae tamen quantitas pro conſtitutione aegri moderanda. Ita ſumtae fortiter alvum ducunt, interdum ab initio vomitum ſine incommodis cient, vel vrinam mouent. Balneis etiam paralyticis vtilis eſt fons; ad ſcaturiginem tamen nimis calidus: hinc temperatus applicandus, tum etiam per embrochen adhibetur. Paralyticis praecipue, vel hemiplegia, vel alia eiusdem ſpecie affectis prodeſt. In hemiplegia tamen maximam affert vtilitatem. Cauendum ab eius vſu, ſi cerebrum affectum eſt, et in plethoricis, vel quibus ſanguinis eſt celeris motus. In paralyſi linguae gargariſare oportet aegros hac aqua, vel vaporem eius ore aſſumere; iuuat tamen quoque embroche in locum, vbi nerui linguales poſiti deprehenduntur. Praeterea iuuat in morbis capitis vehementioribus, ſurditate, vertigine, cuius cauſſa in primis viis latet, in ictero, morbis ventriculi et malo hyſterico, pendente a morbo primarum viarum.

2) *Commentatio altera, de viſu, quoad diuerſam obiectorum diſtantiam*, prioris *) tractationis vberiorem continet explicationem et confirmationem.

 In

*) v. comm. noſtr. Vol. X. p. 30.

In pupillae contractione nimirum ponit Cl. Auctor mechaniſmum, quo oculus obiecta, in diſtantia varia poſita, videre poteſt: neque opus eſſe, vt interno quodam motu ad diſtantias, ea, qua oculus ſanus res optime cernit, remotiores, dirigatur, neque neceſſarium, vt ad res diſtinguendas retina ſemper ſit in ipſo viſus foco. Id, quod demonſtrat et ſucceſſiua, tandem inſenſibili anguli viſionis imminutione, et variis inſtitutis experimentis: additque regulas, quibus in experimentis vti conueniat.

p. 285. 3) *Meditationes et obſeruationes de ſcorbuto.* Scorbutum pro diuerſitate cauſſarum, et conſtitutionis, triplicis eſſe generis Auctor ſtatuit, vel, qui ex conſtitutione hominum, regionisque natura pendeat, (*conſtitutionel*) vel *accidentalem*, qui, cauſſis ceſſantibus, iterum diſpareat; vel *mixtum*, qui naſcatur in hominibus, ad ſcorbutum diſpoſitis, ex cauſſis leuioribus, quae in ſano homine non excitarent morbum. Atque hanc diſtinctionem maximam in praxi attentionem mereri affirmat, cum et quoad acceſſionem progreſſumque ſymptomatum, et facilem vel difficilem curationem hi morbi inter ſe differant: omninoque aliam in hac, quam in illa eſſe adhibendam medendi rationem. Hanc ſententiam Auctor, octo morborum hiſtoriis comprobat: quarum vnius alteriusue hic tradamus epitomen.

Femina, 69 annorum, ſaepe eryſipelati obnoxia, vitae ſedentariae dedita, et victui bonae notae, maxime vegetabili, adſueta, ſymptomatis ſcorbuti, quem Noſter primae ſpeciei fuiſſe iudicat, infeſtabatur. Maculae lenticulares purpureae, quae per vices effloreſcebant, diſparebantque iterum, eam per quatuor annos cruciabant, vt pungentem in cute ante ſentiret dolorem, quam eruptio ſequeretur. Primis annis cutis, ſi maculae diſparerent,

rent, naturalem recuperabat colorem; poſtea vero in ea color remanebat brunus. Inter ea palpitationibus cordis, ſuffocationisque metui fuit obnoxia: diarrhoea accedente, maculae euaneſcebant, vrina varia, iecur inflatum induratumque et gingivae ſanae erant. Ex diaeta antiſcorbutica ac medicamentis eiusdem generis parum ſolaminis; aliquid tamen ex lactis iuſculorumque, ex herbis refrigerantibus paratorum, vſu accipiebat. Poſtremo accedebat catarrhus pertinax, facies pallida, tuſſis ſicca, ac tandem cholera, quam ſequebatur ipſe ileus morbus, qui febre, oedemate aliisque mortis ſignis feminae huic vitam eripuit.

Alius, robuſtus homo, haemorrhagiis primum, p. 306. poſtea febri intermittente irregulari, ſudoribusque nocturnis, aliisque debilitatis ſymptomatis affectus eſt: ac, cum morbi natura diu lateret, tandem remedia antiſcorbutica feliciter adhibita, ſcorbuto eum laborare oſtendebant.

In ſequenti hiſtoria ſcorbutus cum inſigni tuſſi p. 312. et dolore pectoris coniunctus erat, quae ſigna phthiſin ſecuturam eſſe primo indicare videbantur; poſtea tamen ex aliis ſcorbuti ſignis, atque medicamentis, in ſcorbuto vtilibus, verum adeſſe ſcorbutum apparebat.

Poſtremo quaedam de fluxu ſcorbutico, qui p. 325. plura cum ſaliuatione mercuriali communia habeat, addit, curamque ſimilem fere ſcorbuti curationi proponit; monetque in vſu mercurialium, ſi homines ſint ad ſcorbutum diſpoſiti, antiſcorbutica ſimul adhibita ſucceſſu reſpondere.

4) *Tractatio, indicans methodum, qua aquae ſulphureae omnino imitentur.* Quo aquae ſulphureae arte p. 329. imitentur Cl. Auctor praecipit, vt ſumatur tertia grani pars terrae abſorbentis, ex ſale Epſomienſi

praeci-

praecipitatae, atque parua ſulphuris quantitas: haec, aquae guttula irrorata, inter ſe perfecte mixta, lagenae, ſex menſuras aquae recipienti, immittantur, aqua ſuperfuſa; ita tamen, vt vnciarum trium ſpatium remaneat vacuum, lagena firmiter claudatur, immittatur balneo maris, atque per vndecim horas ſupra eo digeratur: tum obtinebitur aqua ſulphurea, naturalibus plane ſimilis. Subiungit his obſeruationes, quae cauſſas cautelasque huius methodi continent: oſtenditque, omnes huic aquae eſſe proprietates et ſenſu percipiendas, et chemicis experimentis cognoſcendas, cum aliis easdem: atque addit rationes, quae ſint obſeruandae, ſi quis in maiori copia hanc, aquas parandi methodum imitari vellet.

XII.

Spicilegia zoologica, quibus nouae inprimis et obſcurae animalium ſpecies iconibus, deſcriptionibus atque commentariis illuſtrantur. Cura P. S. PALLAS. Faſciculus nonus. Berolini, proſtant apud G. A. Lange 1772. 4. 11 pl. 5 tab. aen.

Praeſens egregii huius operis faſciculus, qui Cl. PALLAS in itinere per Ruſſiae prouincias adhuc occupato, Berolini prodiit, tantum inſectorum variorum deſcriptiones continet, quae accuratiſſimis quoque iconibus illuſtrantur. Inſecta vero
p. 3. hic deſcripta ſunt 1 *Caſſida perforata,* Surinamenſis,
p. 4. cuius elytra foramine oblongo peruia ſunt. 2 *Leptura plumipes.* Lepturae genus a cerambycibus nullo charactere diſtinctum eſſe Cl. Auctor monet, et habitum quoque, quo tantum differant, in confiniis eorum vix ſenſibili diſcrimine confluere. Tibiae huius ſpeciei poſticorum pedum extremitate

mitate laxo cinctae flocco ſunt, e villis nigris
conſtante. 3 *Ligniperda terebrans.* Nouum genus p. 6.
Ligniperdarum, a victu ita denominatum, varias
Dermeſtidum LINNAEI ſpecies vt *capucinum*, *mi-*
crographum cet. continet. Prima vero hic deſcri-
ptarum ſpecierum *muricatus* forte eſt *Dermeſtes*
LINNAEI; cuius patria autem non Guinea, ſed
Antigua eſt 4 *Ligniperda cornuta* ex Iamaica in- p. 8.
ſula. 5 *Blatta heteroclita*, Guineenſis. Structura p. 9.
aſymmetrica elytrorum praeſertim in hac ſpecie
ſingularis eſt, et adeo inſolita, vt Cl. Auctor primo
portionem alterius elytri diſcolorem pro ala, re-
ſecta elytri parte, prominula habuerit. Elytrum
enim ſiniſtrum integrum totum coloris aterrimi,
opaci; dextrum vero interiore margine quousque
ab altero tegitur, tenuius et abrupte fuluum, in-
ſtita tamen poſterius nigra eſt. 6 *Blatta chlorotica*, p. 10.
Capenſis. 8 *Mantis atrophica*, Iauenſis. 9 *Mantis* p. 12.
perla, quae, vt M. *religioſa* a ROESELIO deſcripta, p. 14.
etiam in Germania reperitur. 10 *Mantis puſilla*, p. 15.
quae omnium huius generis ſpecierum minima eſt.
11 *Gryllus gryllodes* (an *G. minutus* LINN?), Ia- p. 16.
maicenſis. 12 *Gryllus onos*, Sibiricus. 13 *Gryl-* p. 17.
lus Laxmanni et 14 *Gryllus clauimanus*, qui etiam p. 21.
in Sibiria reperti ſunt. Vltimam ſpeciem LIN-
NAEVS *Gryllum Sibiricum* vocat. 15 *Cicada globuli-* p. 22.
fera, cuius deſcriptionem iam Cl. Auctor in priore
opere *Miſcellaneorum zoologicorum*, a nobis ſuo loco
indicato *) exhibuit. 16 *Cimex paruulus*. 17 *Apis* p. 23.
plumipes, quae in Belgio habitat. 18 *Papilionis* p. 25.
daplidices varietas ex Capite bonae ſpei. 19 *Sphinx* p. 26.
proſerpina. 20 *Sphinx cerberus*, cauda quaſi mu- p. 27.
rina praeditus.

Praemiſſis his, Cl. Auctor *de Acarorum, Aranea-* p. 28.
rum et *Phalangiorum* generibus in vniuerſum di-
ſputat,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 238.

ſputat, quae ſibi affinia ſunt, et per quae natura
ab inſectis, ſex pedibus praeditis, ad polypeda tran-
p. 31. ſit, eaque occaſione varias ſpecies exoticas vt *Pha-
langium caudatum*, cuius caudam antennae loco ei
inſeruire Cl. PALLAS putat: *Phalangium renifor-
me: Phalangium lunatum: Phalangium araneoides* de-
p. 38. ſcribit. Occaſione huius inſecti Cl. Auctor monet:
denticulorum in ſcorpionum pectunculis numerum,
aeque, ac ſtriarum in teſtaceis biualuibus inutilem
eſſe. Labor tamen, in radiis piſcium numerandis adhi-
bitus, non plane inutilis Noſtro eſſe videtur; ſed in ſer-
pentum ſcutis numerus incertus eſt, ac color longe
meliorem characterem praebet, ſi proportio partium
p. 40. ei iungatur. Sequitur deſcriptio *Acari aureolati;
Acari araneodis* et *Acari groſſi* ac *cornuti.* Tandem
p. 44. *Aranea cornuta*, quae ex maximis Americanis ſpecie-
bus huius generis eſt; *Aranea lobata; Aranea trun-
cata; Aranea conica* et *Aranea tetracantha* adduntur.

Iam ad *Oniſcorum* ſpecies Cl. Auctor tranſit, ac cum plurimae ex iis vel plane non, vel ruditer tantum depictae ſint, quas colligere potuit Cl. Auctor hic exhibet. Delineantur vero: 1 *Oniſcus locuſta*, ſeu *Pulex marinus*, cuius ſynonyma LINNAEVS cum *Pulice fluuiatili* confundit; 2 *Oniſcus gamarellus;* 3 *Oniſcus volutator*, ſeu *Cancer groſſipes* LINNAEI, cuius *Oniſcus bicaudatus* etiam huc pertinet; 4 *Oniſcus hecticus;* 5 *Oniſcus vngulatus*, an *Oniſcus linearis* LINN? 6 *Oniſcus entomon*, quae ſpecies omnium Oniſcorum maxima eſt. 7 *Oniſcus Balthicus;* 8 *Oniſcus linearis;* 9 *Oniſcus globatus;* 10 *Oniſcus aſellus*, qui piſces molliores et alepidotos inprimis adoritur. 11 *Oniſcus oeſtrum;* 12 *Oniſcus ceti;* 13 *Oniſcus ſcolopendroides*, quem LINNAEVS *Cancrum entomon* vocat.

Vltimo

Vltimo loco *Aſtacus Dauricus*, *Cancer ceratophthalmus*, in quo natura antennas et oculos quaſi in vnum organon coniunxit, ac *Iulus araneoides* adduntur. p. 81.

XIII.

Mémoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Inſectes, precedés de Diſcours ſur les Inſectes en général. Par CHARLES DE GEER, Maréchal de la Cour et Chevalier de l'Ordre Royal de l'Etoile du Nord; Membre de l'Académie et de la Societé Royale des Sciences de Suede et Correſpondant de l'Académie Royale des Sciences de Paris. Tome ſecond. premiere et ſeconde partie. à Stockholm, de l'imprimerie de Pierre Haſſelberg, 1771. 4 maj. 6 Alph. 9 pl. tab. aen. 43.

i. e.

Commentarii ad hiſtoriam inſectorum illuſtrandam ſpectantes, quibus ſermones de natura inſectorum in vniuerſum praemiſſi ſunt. Auctore CAROLO DE GEER. T. II. P. I et II.

Egregiorum horum commentariorum, de quorum primo tomo, qui anno huius ſeculi quinquageſimo ſecundo prodiit, iam alio loco *) ad Lectores retulimus, continuationem eo maiore animi cum voluptate nunc indicamus, quo ardentius ea ab omnibus, qui hiſtoriam naturalem inſectorum amant, expectata fuit.

Praemittuntur vero commentariis, qui in priore parte huius voluminis continentur, characteres generum inſectorum, de quibus Ill. DE GEER in T. II. P. I.

iis

*) v. comm. noſtr. Vol. IV. p. 3 ſeq.

iis diſſerit. Prima eorum claſſis *lepidoptera* LINN. continet, quae quatuor alas ſquamis imbricatas et proboſcidem, ſpirae in modum contortam, habent. Huius genera ſunt: *Papilio* LINN.; *Sphinx; Sphinx adſcita* LINN. quam Noſter Papilionem phalaenam vocat; *Pterophorus* GEOFFR. et *Phalaena.* Secunda claſſis inſecta, quatuor alis membranaceis nudis inſtructa, comprehendit, et *Phryganaeae* LINN. ac *Ephemerae* LINN. generibus componitur. Tertia reliqua *neuroptera* LINN. quae dentibus gaudent, complectitur, *Libellulae* ſcilicet LINN. *Hemerobii* LINN. *Myrmeleonis* LINN. *Perlae* GEOFFR. *Panorpae* et *Raphidiae* genera. Quartam tandem ſeu *hymenopterorum* claſſem componunt: *Apis; Apis ichneumon* ſ. *Pro-apis; Veſpa; Sphex; Chryſis; Sirex; Ichneumon; Cynips* LINN. *Tenthredo* et *Formica.*

p. I. Ex hac methodica diſpoſitione inſectorum, quorum hiſtoriam Ill. Auctor expoſuit, patet, Ill. DE GEER variis in rebus ab Ill. LINNAEI ſyſtemate recedere, licet quoad maximam partem eum ſequatur. Excipiunt eam ſermones ſex, in quibus de inſectis in vniuerſum, de generatione, nutrimento, habitaculis, reſpiratione et metamorphoſi inſectorum diſſeritur et qui plures, easque egregias obſeruationes ac annotationes continent. Sanguinis circulationem, licet is non ruber ſit, Ill Auctor in araneis et oniſcis aquaticis microſcopii ope vidit. Aranearum et acororum antennae nondum detectae ſunt. Vſum vero antennarum Ill. Auctor ſe plane ignorare fatetur. Omnia inſecta in ſtatu perfecto, vel metamorphoſi plane peracta, ſex pedes ad minimum habent: papilionum enim ſpecies, quae quatuor tantum pedibus incedunt; tamen adhuc duobus pedibus inſtructae ſunt breuio-
p. 122. ribus, qui anterius pectori affiguntur. De reſpiratione

ratione chryſalidum, de qua Ill. Auctor iam in primo volumine *) diſſeruit, plura eaque egregia experimenta adduntur, quae Cel. MVSSCHENBROECK Ill. DE GEER communicauit, et ex quibus patet, nil certi de ea re conſtare, ſed pluribus adhuc experimentis ad eam confirmandam opus eſſe.

Primo vero commentario huius voluminis Ill. Auctor de inſectis, quatuor alis farinaceis et proboſcide ſpirali inſtructis, ſeu *Lepidopteris* LINN. in vniuerſum et in ſpecie de *Papilionibus* diſſerit. *Phalaenarum* et *Papilionum* genera nunc ſeparat, quae in primo tomo coniunxerat. Ipſum *Papilionis* genus in quinque familias Noſter diuidit, quarum characteres a pedum magnitudine potiſſimum deſumuntur, vt itaque ab Ill. LINNAEI diuiſione plane recedat. Traditur vero hic, vt in vniuerſo opere, earum ſpecierum tantum hiſtoria, quae in Suecia occurrunt, ita tamen, vt larua ſimul et metamorphoſis deſcribantur. Singulis ſpeciebus ſynonyma et figurae additae ſunt, qua in re Ill. Auctoris ſtudium omnibus iis egregium vſum praeſtabit, qui SCHAEFFERI Cl. icones aliaque ſimilia ſcripta, in quibus hoc quam maxime deſideratur, poſſident. Nouae quoque plures ſpecies paſſim inſertae ſunt. P. I. p. 173.

Secundus commentarius *Sphingum* hiſtoriam primum tradit, quae ſecundum antennarum figuram in tres familias diuiduntur. Sequuntur *Papilio-phalaenae*, ſeu *Sphinges adſcitae, habitu et larua diuerſae* LINN. tandemque *Phalaenae-tipulae* Auctoris Cel. ſeu *Phalaenae alucitae* LINN., quas Cl. GEOFFROY *Pteropheros* vocat, et quae medium quaſi inter papiliones et phalaenas locum tenent. p. 213. p. 252. p. 257.

Tertius

*) p. 45. conf. etiam comm. Vol. III. p. 234.

p. 268. Tertius commentarius de *Phalaenis* et earum
erucis in vniuerſum, et in ſpecie de iis agit, quae
antennas pectinatas (à barbes) habent et *proboſcide* ca-
p. 327. rent. Quarto *Phalaenae*, *antennis pectinatis* et *pro-
boſcide* inſtructae, nec non *Phalaenae antennis fili-
formibus longis vel breuioribus*, *proboſcide nulla*, de-
p. 387. ſcribuntur. Quinto Ill. Auctor de *Phalaenis*, *anten-
nis filiformibus conicis*, *proboſcide elongata*, diſſerit,
p. 444. quarum hiſtoria ſexto commentario continuatur.

p. 497. Iam lepidopterorum deſcriptione ad finem per-
ducta, Ill. DE GEER ad *Phryganaeas* tranſit, huius-
que generis omnem hiſtoriam naturalem maximo
p. 539. cum ſtudio exponit. Specierum vero plurimarum
deſcriptiones octauo commentario continentur.

P. II. Ad alterum volumen huius tomi progredimur,
p. 617. quod decem commentarios continet. Eorum pri-
p. 661. mus, ſeu nonus totius tomi de *Ephemeris*; decimus
p. 706. de *Libellulis*; vndecimus de *Hemerobiis*, *Perlis* ſeu
Pſeudo-phryganaeis, *Panorpis* ſeu *Muſcis-ſcorpionibus*
p. 748. et *Raphidiis*; duodecimus de *Apibus* et *Pro-apibus*,
ad quas *Apis ichneumonea* pertinet, quae Surina-
p. 763. menſis eſt; ac decimus tertius *de Veſpis* agit. Ge-
p. 805. nus, quod ab Ill. LINNAEO *Sphex*, a Noſtro vero
Veſpa-ichneumon dicitur, nec non *Chryſis* LINN.
ſeu *Veſpa aurata* Noſtri, decimo quarto commenta-
p. 839. rio, decimo quinto *Ichneumones* LINN. decimo
p. 912. ſexto *Tenthredines* LINN. ſeu *Muſcae ſerra inſtructae*
(mouches-à-ſcie) Noſtri deſcribuntur, quarum hi-
p. 988. ſtoria commentario decimo ſeptimo continuatur.
p. 1042. Vltimus tandem ſeu decimus nonus commenta-
rius *Formicarum* hiſtoriam exponit.

Cum praecipuae obſeruationes Cel. Auctoris
ſine vberiore deſcriptione inſectorum ipſorum vix
intelligi

intelligi queant: iis omiſſis, in eorum entomologorum gratiam, qui hoc opere carent, catalogum tantum adiiciamus omnium ſpecierum, quae in primo et ſecundo volumine depictae vel tantum deſcriptae ſunt, additis ſynonymis Linnaeanis et Schaefferianis, quae cum Cl. SCHAEFFERVS ſuis inſectorum figuris non ſynonyma Linnaeana addiderit, forte iis grata erunt, qui illas poſſident. Sunt vero eae:

1 *Papilio rhamni* L. T. I. tab. 15 f. 8. 9. SCAEFF. *Icon.* t. 35. f. 1. 2. 3.
2 *P. crataegi* L. T. I. t. 14. f. 19. 20. SCAEFFER t. 140. f. 2. 3.
3 *P. argiolus* L. T. I. t. 4. f. 14. 15.
4 *P. ſinapis* L. T. II. tab. 1 fig. 1.
5 *P. Machaon* L. T. II. t. 1. f. 2. 3. SCHAEFF. t. 45. f. 1. 2.
6 *P. Apollo* L. T. I. t. 18 f. 12 13. SCHAEFF. *icon.* t. 36. f. 4. 5. *Elem.* 94. f. 6.
7 *P. comma* L. T. II. t. 1. f. 4. 5.
8 *P. maluae* L.
9 *P. antiopa* L. T. I. t. 21 f. 8. 9. SCHAEFF. t. 70 f. 1. 2.
10 *P. atalanta* L. T. I. t. 22 f. 5. SCHAEFF. t. 148 f. 1. 2.
11 *P. C album* L. T. I. t. 20 f. 10. SCHAEFF. t. 147 f. 3. 4.
12 *P. adippe* L. et *P. niobe*, quae eius femina eſt, T. II. t. 1 f. 8 9.
13 *P. euphroſyne* L. T. II. t. 1. f. 10. 11.
14 *P. aurantii coloris maculis citrinis* T. II. t. 1. f. 12.
15 *P. cinxia* L. T. II. t. 1 f. 17. 18.
16 *P. maera* L. T. II. t 2 f. 1. 2. SCHAEFF. t. 58 f. 2. 3.
17 *P. pamphilus* L. T. II. t. 2 f. 3.
18 *P. hero* L. T. II. t. 2 f. 4.

19 *Papilio arcanius* L. T. II. t. 2. f. 5. 6.
20 *P. ligea* L. T. II. t. 2. f. 7. 8. SCHAEFF. t. 183. f. 2. 3.
21 *P. hyperantus* L. l. c. t. 2. f. 9. 10.
22 *Sphinx ſtellatarum* L. SCHAEFF. t. 16. f. 2. 3.
23 *S. fuſiformis* L. SCHAEFF. t. 16. f. 1.
24 *S. apiformis* L. T. II. t. 2. f. 11. SCHAEFF. t. 111. f. 2. 3.
25. *S. tipuliformis* L. T. II. t. 2. f. 12.
26. *S. culiciformis* L. T. II. t. 2. f. 13.
27 *S. pinaſtri* L. T. I. t. 10. f. 3. SCHAEFF. t. 110. f. 2. 3.
28 *S. galii* (caille-lait), quae a ſphinge tithymali differt. Pingitur a Cel. DE GEER T. II. t. 8. f. 9. 11 et a SCHAEFFERO t. 78. f. 1. 2.
29 *S. elpenor* L. T. I. t. 9. f. 8. 9. SCHAEFF. t. 96. f. 4. 5.
30 *S. porcellus* L.
31 *S. liguſtri* L. SCHAEFF. t. 98. f. 1. 2.
32 *S. populi* L. T. I. t. 8 f. 5. SCHAEFF. t. 100. f. 5.
33 *S. ocellata* L. T. II. t. 3 f. 3. SCHAEFF. t. 99. f. 5. 6.
34 *S. tiliae* L. T. II. t. 3. f. 7. SCHAEFF. t. 100. f. 1.
35 *S. filipendulae* L. SCHAEFF. t. 16 f. 6. 7.
36 *S. ſtatices* L. T. II. t. 3. f. 8. SCHAEFF. t. 1. f. 8. 9.
37 *Phalaena didactyla* L. T. II. t. 4. f. 9. SCHAEFF. t. 93. f. 7.
38 *P. alucita fuſca* T. II. t. 3. f. 11. 12.
39 *P. pavonia* L. T. I. t. 19. f. 7. 8. SCHAEFF. *elem.* tab. 13. f. 5 et tab. 98. f. 2.
40 *P. antiqua* L. T. I. t. 17. f. 13—15.
41 *P. diſpar* L. SCHAEFF. t. 28. f. 3—6.
42 *P. ilicifolia* L. T. I. t. 14. f. 7—9.
43 *P. caſtrenſis* L. T. I. t. 13. f. 1—6.
44 *P. crataegi* L. T. I. t. 11. f. 20. 21.
45 *P. caia* L. T. I. t. 12. f. 1. 6. 8. 9. SCHAEFF. t. 29. f. 7. 8.

46 *Pha-*

46 *Phalaena ſalicis* L. T. I. t. 11. f. 13. 14.
47 *P. lubricipeda* L. T. I. t. 11. f. 1. 6—8.
48 *P. alniaria* L. T. I. t. 10. f. 13. 14. SCHAEFF. t. 135. f. 1. 2.
49 *P. hirtaria* L. T. I. t. 22. f. 9.
50 *P. tinea inuolucro palearum ordine unico tecto* GEOFFR. T. II. t. 3. f. 13. 14.
51 *P. ziczac* L. T. I. t. 6. f. 7. 10.
52 *P. ziczac quinque tuberculata* T. II. t. 4. f. 17.
53 *P. vinula* L. T. I. t. 23. f. 6. 12.
54 *P. vinula minor* T. II. t. 4. f. 21.
55 *P. bucephala* L. T. I. t. 13. f. 11. 18. 19. SCHAEFF. t. 31. f. 10. 11.
56 *P. pudibunda* L. T. I. t. 16. f. 7. 10--12. SCHAEFF. t. 90 f. 1—3.
57 *P. faſcelina* L. T. I. t. 15. f. 12—15.
58 *P. coryli* L. T. I. t. 18. f. 1—7.
59 *P. alba, caudam eleuans* (hauſſe-queue blanche) T. II. t. 4. f. 24.
60 *P. anaſtomoſis* L.
61 *P. curtula* L. T. II. t. 5. f. 1.
62 *P. libatrix* L. T. II. t. 5. f. 5. SCHAEFF. t. 124. f. 1. 2.
63 *P. palpina* L. T. I. t. 4. f. 7.
64 *P. lacertinaria* L. T. I. t. 10. f. 7. 8.
65 *P. fuſca, alis inferius albis* T. II. t. 5. f. 8.
66 *P. triſtis* T. II. t. 5. f. 9.
67 *P. C. nigrum* T. II. t. 5. f. 10.
68 *P. cinerea, maculis duabus albicantibus* T. II. t. 5. f. 11.
69 *P. graminis* L.
70 *P. irrorella* L. T. II. t. 5. f. 12.
71 *P. bidentata* L. T. I. t. 25. f. 6.
72 *P. atomaria* L. T. II. t. 5. f. 14. SCHAEFF. t. 17. f. 3.
73 *P. betularia* L. T. II. t. 5. f. 18. SCHAEFF. t. 88. f. 4. 5.
74 *P. faſciaria* L.

75 *Phalaena griſea, faſcia oliuacea* T. II. t. 5. f. 19.
76 *P. griſea, faſcia fuſca* T. II. t. 5. f. 13.
77 *P. piniaria* L. T. II. t. 5. f. 20. SCHAEFF. t. 159. f. 1. 2.
78 *P. piniaria, maculis flauis* T. II. t. 5. f. 21.
79 *P. falcataria* L. T. II. t. 6. f. 1. SCHAEFF. t. 64. f. 1. 2.
80 *P. pulchella* T. II. t. 6. f. 2.
81 *P. fulua* T. II. t. 6. f. 3.
82 *P. alchemillata* T. I. t. 22. f. 16.
83 *P. ſtriis parallelis* T. II. t. 6. f. 4.
84 *P. tentacularis* L. T. I. t. 5. f. 1.
85 *P. cinereo-vndulata* T. II. t. 6. f. 5.
86 *P. coloris ſtraminei* T. II. t. 6. f. 6.
87 *P. pendularia* L. T. II. t. 6. f. 7.
88 *P. vernaria* L. T. II. t. 6. f. 8.
89 *P. humuli* L. T. I. t. 7. f. 5. 6.
90 *P. hecta* L. T. I. t. 7. f. 12.
91 *P. coſſus* L. SCHAEFF. t. 61. f. 1. 2.
92 *P. pinguinalis* L. T. II. t. 6. f. 11.
93 *P. tinea muralis, inuolucro longo in fine priſmatico* T. II. t. 6. f. 19.
94 *P. lichenella* T. II. t. 11. f. 1.
95 *P. pronuba* L. SCAEFF. t. 196. f. 1. 2.
96 *P. exſoleta* L. T. II. t. 7. f. 4.
97 *P. griſea quatuor-maculata* SCHAEFF. t. 6. f. 22.
98 *P. cerefolii* T. I. t. 29. f. 1. 2. 6. 7.
99 *P. heracliana* L.
100 *P. proſinana* L. T. I. t. 3. f. 1.
101 *P. griſea, maculis flauis minoribus et duabus flauis maioribus* T. II. t. 6. f. 23
102 *P. leporina* L. T. I. t. 12. f. 10. 11. 16. 17.
103 *P. rumicis* L. T. I. t. 19. f. 14. 22. 23.
104 *P. ex viridi fuſca, radiis albis et nigris* T. II. t. 6. f. 24.
105 *P. alni* T. I. t. 11. f. 25—28.

106 *Pha-*

106 *Phalaena, capite magno* T. II. t. 7. f. 9.
107 *P. griſea, neruis albis* T. II. t. 7. f. 14.
108 *P. hepatico colore* T. II. t. 6. f. 25.
109 *P. tragopoginis* L. T. II. t. 7. f. 15.
110 *P. hippophaës* T. II. t. 7. f. 16.
111 *P. ſeticornis ſpirilinguis, alis deflexis ferrugineo-cinereis: macula alba, flauaque, ano barbato ferrugineo* L. Faun. T. II. t. 7. f. 17.
112 *P. cinerea, maculis duabus ſulphureis* T. II. t. 7. f. 19.
113. *P.* 8 T. II. t. 7. f. 23.
114 *P. ſtratiotata* T. I. t. 37. f. 2. 4. 12. 16—18.
115 *P. ex medio flaua et fuſca* T. II. t. 7. f. 24.
116 *P. meticuloſa* T. I. t. 5. f. 12—14.
117 *P. chryſitis.*
118 *P. feſtucae.*
119 *P. citrago* T. II. t. 7. f. 25.
120 *P. linariae* T. II. t. 8. f. 5. 6.
121 *P. aprilina* T. I. t. 5. f. 19—23.
122 *P. filicis* T. II. t. 7. f. 26.
123 *P. griſeo-nigricans, thorace angulato* T. II. t. 8. f. 7. 9.
124 *P. braſſicae* L.
125 *P. piſi* L.
126 *P. fuſca, radiis griſeis reticulatis* T. II. t. 7. f. 27.
127 *P. triplaſia* L. T. I. t. 6. f. 13—21.
128 *P. vrticata* L. T. I. t. 28. f. 12. 18. 19. SCHAEFF. *elem.* t. 98 f. 4. *icon.* t. 119. f. 1. 2.
129 *P. ſambuci* REAVM. T. I. t. 15. f. 7—9.
130 *P. ſambucaria* L. SCHAEFF. t. 63. f. 8.
131 *P. puſaria* L. T. II. t. 8. f. 12.
132 *P. obſcure alba, duobus radiis nigricantibus* T. II. t. 8. f. 16.
133 *P. brumata* L. T. I. t. 28. f. 11—16.
134 *P. haſtata* L. T. II. t. 8. f. 20.
135 *P. colore lilacis* T. II. t. 9. f. 5.
136 *P. alis ſex* T. II. t. 9. f. 8. cuius mas alas duas ſupernumerarias habet.

137 *Phalaena fructus pini* T. II. t. 9. f. 12.
138 *P. pratella* L.
139 *P. paſcuella* L.
140 *P. alis longis conuolutis, ſuperius albis, inferius flauis.*
141 *P. ſociella* L.
142 *P. colonella* L.
143 *P. roſana* L. T. I. t. 27. f. 4. 8. 11. 12. 14.
144 *P. alis teſtaceis lilacis* T. I. t. 27. f. 9. 10.
145 *P. faſcia fuſca, pyri.*
146 *P. Bergmanniana* L.
147 *P. alis hiantibus vrticae* T. I. t. 28. f. 1. 2. 9. 10.
148 *P. thorace ſpinoſo* T. II. t. 9. f. 19.
149 *P. alis agathinis ſtriatis* T. II. t. 10. f. 4.
150 *P. clorana* L. T. II. t. 10 f. 8. 9.
151 *P. mundana* L.
152 *P. tinea lugubris padi* T. II. t. 10. f. 14--16.
153 *P. argentata* T. II. t. 10. f. 19.
154 *P. Solandriana* L. T. I. t. 28. f. 25—30.
155 *P. anterius fuſca, poſtice alba.*
156 *P. cynosbatella* L. T. I. t. 34. f. 1. 4. 5.
157 *P. de Geerella* L. T. I. t. 32. f. 13.
158 *P. nigra criſta transuerſali* T. I. t. 28. f. 20--23.
159 *P. maior fructus pini* T. II. t. 9. f. 14.
160 *P. minor fructus pini* T. II. t. 9. f. 15.
161 *P. Reſinella* L. T. I. t. 33. f. 1. 2. 3. 6. 12. 13.
162. *P. griſea gemmarum pini* T. I. t. 22. f. 26. 27.
163 *P. faſcia flaua cerefolii.*
164 *P. porrectella* L. T. I. t. 26. f. 1—3. 15. 16.
165 *P. dodecella* L. T. I. t. 22. f. 17—28.
166 *P. tinea pyri* T. I. t. 25. f. 18. 16.
167 *P. Raiella* T. I. t. 31. f. 1—12.
168 *P. ſimilis priori ex malo* T. I. t. 30. f. 5—12.
169 *P. ſimilis roſae* T. I. t. 30. f. 20. t. 31. f. 13--16.
170 *P. alni nigrae* T. I. t. 32. f. 1—11.
171 *P. cerefolii ſylueſtris* T. I. t. 29. f. 9—18.

172 *Phry-*

172 *Phryganaea tranſparens maculata.*
173 *Phr. grandis* L. T II. t. 13. f. 1.
174 *Phr. bimaculata* L. T. II. t. 15. f. 5.
175 *Phr. nigra* L. T. II. t. 15. f. 21.

Plures phryganaearum laruas aliasque ſpecies nouas minores omittimus et monemus tantum, Cl. Auctorem quoque hac occaſione *Gordium* aquaticum LINN. T. II. t. 14. f. 13 depinxiſſe.

Addimus inſecta, in altera parte tomi ſecundi deſcripta.

176 *Ephemera vulgata* L. T. II. t. 16. f. 1.
177 *E. veſpertina* L. T. II. t. 17. f. 11.
178 *E. diptera* L. T. II. t. 18. f. 5. Duas nouas ſpecies minores omittimus.
179 *Libellula grandis* L. T. II. t. 20. f. 6.
180 *L. forcipata* L. T. II. t. 21. f. 1.
181 *L. aenea* L. T. II. t. 19. f. 8.
182 *L. puella* L. T. II. t. 21. f. 14.
183 *Hemerobius chryſops* L. T. II. t. 22. f. 1. SCHAEFF. t. 5. f. 7. 8.
184 *H. hirtus* L. T. II. t. 22. f. 4. 5.
185 *H. niger villoſus* T. II. t. 22. f. 8.
186 *H. phalaenoides* L. T. II. t. 22. f. 12. 13.
187 *H. lutarius* L. T. II. t. 22. f. 14. 15.
188 *Perla cinerea* T. II. t. 23. f. 16. 17.
189 *Panorpa communis* L. T. II. t. 24. f. 3. 4.
190 *Raphidia ophiopſis* L. T. II. t. 25. f. 4. SCHAEFF. *elem.* t. 107. *icon.* t. 95. f. 1. 2.
191 *Apis muraria* T. II. t. 30. f. 24.
192 *A. ichneumonea* L. T. II. t. 32. f. 13.
193 *Pro-apis nigra et rufa* T. II. t. 32. f. 6.
194 *Veſpa vulgaris* L. T. II. t. 27. f. 1.
195 *V. media* T. II. t. 27. f. 2--4.
196 *V. crabro* L. T. II. t. 27. f. 9. 10.

197 *Apis nigra, abdomine faſciis quatuor flauis, tribus primis interruptis* L. Faun. T. II. t. 25. f. 10.
198 *Sphex cribraria* L. T. II. t. 28. f. 1. SCHAEFF. t. 177. f. 6. 7.
199 *Veſpa aruenſis* L.
200 *Sphex fuſca* L.
201 *S. ſabuloſa* L. T. II. t. 28. f. 7. SCHAEFF. t. 83. f. 1.
202 *S. viatica* L. T. II. t. 28. f. 16.
203 *Chryſis ignita* L. T. II. t. 28. f. 17 18.
204 *C. bidentata* L. T. II. t. 29. f. 3. 4.
205 *Ichneumon gallarum reſinoſarum pini* T. I. t. 36. f. 9.
206 *I. niger lateribus albicantibus* T. I. t. 29. f. 6.
207 *I. luteus* L. T. II. t. 29. f. 16. 17. SCHAEFF. t. 1. f. 10.
208 *I. globatus* L. T. II. t. 29. f. 13. 14.
209 *I. aphidum* L. T. II. t. 30. f. 17. 18.
210 *I. bedeguaris* L. T. II. t. 30. f. 21.
211 *I. puparum* L.
212 *I. laruarum* L. T. II. t. 31. f. 2.
213 *I. Eulophus* GEOFFR. T. II. t. 31. f. 4. 5 *).
214 *Mutilla acarorum* L. T. II. t. 31. f. 22.
215 *Tenthredo lutea* L. T. II. t. 33. f. 16.
216 *T. femorata* L. T. II. t. 34. f. 1--14.
217 *T. amerinae* L. T. II. t. 33. f. 20.
218 *T. ruſtica* L. T. II. t. 34. f. 15.
219 *T. ouata* L. T. II. t. 35. f. 1. etc.
220 *T. pini* L. T. II. t. 36. f. 1. etc.
221 *T. ſalicis* L. T. II. t. 37. f. 12. 13.
222 *T. ſeptentrionalis* T. II. t. 37. f. 24. ſeq.
223 *T. capreae* L. T. II. t. 38. f. 1. ſeq.
224 *T. ceraſi* L. T. II. t. 38. f. 16. ſeq.
225 *T. nigra, femoribus flauis* LINN. faun. T. II. t. 39. f. 1 ſeq.

226 *Ten-*

*) Plures ichneumonum ſpecies omittimus.

226 *Tenthredo nitens* L. T. II. t. 38. f. 32.
227 *T. vſtulata* L. T. II. t. 39. f. 14 ſeq.
228 *T. roſae* L. T. II. t. 39. f. 21 ſeq.
229 *T. erythrocephala* L. T. II. t. 40. f. 19. 20.
230 *T. betulae* L. T. II. t. 40. f. 21. 22.
231 *T. ſyluatica* L. T. II. t. 40. f. 23 *).
232 *Formica rufa* L. T. II. t. 41. f. 1. 2 ſeq.
233 *F. rufa pratenſis.*
234 *F. fuſca* L. T. II. t. 42. f. 12.
235 *F. nigra* L. T. II. t. 42. f. 16 ſeq.
236 *F. flaua* T. II. t. 42. f. 24.
237 *F. rubra* L. T. II. t. 43. f. 1.
238 *F. ceſpitum* L. T. II. t. 43. f. 15.

XIV.

Nouveaux mémoires de l'Academie Royale des Sciences et belles lettres. Année 1770, avec l'hiſtoire pour la même année. à Berlin, chez Chrétien Fréderic Voſſ 1772. 4 maj. 3 Alph. 2 pl. tab. aen. 3. Année 1771. ib. 1773. 3 Alph. 12 pl. tab. aen. 5.

i. e.

Noui Commentarii Academiae Regiae Scientiarum et litterarum elegantiorum Berolinenſis. Anni 1770 et 1771.

Cum numerus voluminum commentariorum, a Regia Academia Berolinenſi editorum, iam ita auctus ſit, vt viginti quinque eorum proſtent, *nouorum commentariorum* nomine, ſequentes, quos expectamus, tomi ideo venient, quo facilius ab emtoribus, tanquam nouum aliquod opus acquiri poſſint. Mutato vero titulo, ipſius quoque operis ratio aliquo modo mutata eſt, cum ſingulis volumi-

nibus

*) Plures quoque aliae nouae tenthredinum ſpecies hic deſcribuntur.

nibus hiſtoria huius anni praefixa ſit; ac elegantiores quoque characteres typographici maiorque charta adhibeantur.

Cum autem iam anno huius ſeculi quinquageſimo ſecundo hiſtoria Academiae Regiae ad annum vsque quinquageſimum in lucem prodierit *), in ea, quae volumini, quod ad annum ſeptuageſimum pertinet, praefixa eſt hiſtoria, tantum ab hoc tempore ſocii Academiae viui demortuique, quaeſtiones ab ea propoſitae, conuentus cet. enarrantur, indexque elogiorum, quae commentariis inſerta ſunt, additur. Quae vero ex obſeruationibus, quarum epitome tantum traditur, propius ad nos pertinent, breuiter nunc indicaſſe ſufficiat.

Hiſt. a. 1770. p. 38. Hiſtoria mulae, quae pullum edidit, et quae in hiſtoria Academiae Regiae Pariſinae quoque continetur **), cum ea ad Berolinenſem Academiam quoque transmiſſa fuerit, etiam hic vna cum reſponſione Academiae communicatur, in qua ea optat, vt in inſulis Americae ſub aequatore ſitis, ex quarum vna haec obſeruatio transſcripta eſt, ſimilia experimenta inſtituantur, quo pateat, vtrum mulae ab aſino, an a mulo foecundae reddantur. Cl.
p. 40. BATIGNE obſeruatione confirmat, animalium oua, potu aquae ſtagnantis excepta in ventriculo humano excludi poſſe, obſeruatione viri, qui plures la-
p. 60. certas et ſalamandros vomitu reiecit. Cl. BILGUER in commentario Academiae transmiſſo, cuius ſumma hic traditur, eleganter de tetano maxillae vulneratis accidente diſſeruit. Spaſmus hic, quo inferior

*) vid. *Hiſtoire de l'Academie des Sciences et belles lettres depuis ſon origine jusqu' à préſent, avec les pieces originales. à Berlin* 1752. 4.

**) vid. ſupra p. 581.

ferior maxilla penitus clauditur, plures vulneratos tempore belli, ante decennium et quod excurrit geſti, inprimis poſt pugnam Pragenſem occidit. Leuiter quoque vulneratis nonnunquam accidebat. In initio aegri dolorem non adeo violentum ſentiunt: deinde labium ſuperius ſurſum quaſi recuruatur; inferior vero maxilla violenter verſus ſuperiorem trahitur, ſimulque doloris vehementia augetur. Eo vero ceſſante, ſpaſmus tamen non ceſſat. Tandem accedunt ſudor frigidus, deliria, diarrhoea colliquatiua, et aeger moritur. In iis, qui euadunt, ſpaſmus ſenſim ceſſat, ſudores foetidi, ſed calidi erumpunt, et appetitus prius redit, quam aeger cibum capere poteſt. Vulnus quoque, quod antea ichorem continebat, nunc pure bono repletur. Quod curam attinet, epiſpaſtica, veſicatoria, inciſiones in buccas, quibus deinde oleum terebinthinae infundebatur, ſectionem venae iugularis et arteriotomen in carotidis ramo, tandemque clyſmata nutrientia, quibus volatilia remedia adiiciebantur, Cl. Auctor adhibuit.

Ex commentariis ipſis, hoc anno publicatis, propius ad nos ſpectant.

Cel. MARGGRAFF *relatio de teſtudine aquarum dulcium noſtrarum regionum ſeu T. orbiculari.* Eiusmodi animalia Cl. Auctor per plures annos aluit, incrementumque eorum, coitum cet. aliaque ſedulo obſeruauit. Mares feminis minores ſunt. Piſces necant et eorum carne veſcuntur, veſicam tamen aeream et ſpinas relinquunt. Morſuram teſtudinum venenatam eſſe Cl. Auctor putat. Si enim piſcis a teſtudine vel leuiter tantum in abdomine vulneratus eſt; paullo poſt tamen moritur. Monemus tamen, teſtudines non dentes habere vel tela, p. 1.

neque

neque nos in noſtris disquiſitionibus receptaculum aliquod veneni reperire potuiſſe. Cum vero Sinenſis aliqua ſpecies etiam venenata ſit, vlteriora experimenta inſtituenda eſſe videntur. Tardiſſimum teſtudinum incrementum eſſe, cum quatuor annorum ſpatio teſtudo, quam Auctor Cl. alebat, vix vnciae vnius pondus acquiſiuerat.

p. 8. Cl. GLEDITSCH *relatio de terra Debrezinenſi ad ſupplendam hiſtoriam naturalem alcali mineralis natiui.* Obſeruationes, quae hic recenſentur, a Cl. KAGEL inſtitutae fuerunt. Debrezini in Hungaria ſapo paratur optimus, qui nunquam foetorem acquirit aut deliqueſcit, ſed ſemper ſiccus manet. Ad praeparationem vero eius adhibetur terra aliqua ſalina, quae griſeum colorem et ſaporem lixiuioſum habet, quae in vicinia vrbis *Debrezin* reperitur. Sicca tempeſtate ſal in ea effloreſcit, ſimilisque in ea, chemice examinata, detegitur, qui omnes proprietates ſalis alcali mineralis habet, licet etiam aliae partes heterogeneae ei admixtae ſint.

p. 19. Cel. MECKEL *Diſſertatio anatomico-phyſiologica de praeparatione liquorum ſecretorum in corpore humano per reſorptionem, et vario egregioque vſu, qui inde reſultat.* Egregiae huius diſſertationis ſummam hic omittimus. Ea enim iam anno huius ſeculi ſeptuageſimo ſecundo Latino ſermone conſcripta prodiit et a nobis alio loco indicata eſt *).

p. 58. Cl. LAMBERT *de atramento et papyro.* Varias mutationes deſcribit, quae litteris, atramento ſcriptis

*) I. F. MECKEL *noua experimenta et obſeruationes de finibus venarum ac vaſorum lymphaticorum in ductus viſceraque excretoria corporis humani eiusdemque ſtructurae vtilitate.* Berol. 1772 8. v. comment. noſtr. Vol. XVIII. p. 685 ſeq.

ptis et papyro aqua madefactis accidunt; horumque phaenomenorum cauſſam disquirens rationem bonum atramentum praeparandi copioſe deſcribit.

Obſeruationes circa gymnotum electricum LINN. p. 68. Auctore Cl. SCHILLING. Notum eſt piſcem hunc, qui non modo in Surinamo aliisque Americae meridionalis prouinciis in oſtiis fluuiorum; ſed teſte Cl. ADANSON, etiam in Africa reperitur, qualitatem *Torpedinis trementis* fere oſtendere *). Iam vero Cl. SCHILLING, experimentis Surinami inſtitutis, declarat: piſcem hunc magnete in aqua attrahi et ei adhaerere, vimque electricam plane amittere; quam tamen, ſi limatura ferri aquae immittitur, in qua aſſeruatur, ſenſim iterum recuperat. Si digito tangitur, cutem contrahit et totum corpus flectit. Acus magnetica, ſi ei admouetur, verſus omnes plagas ſe inordinato motu conuertit. Aethiopem vidit Cl. SCHILLING, qui, ſine vlla noxa, nec vlla percuſſione accepta, manu hunc piſcem tractare poſſet; in lepram tamen tandem incidit.

Obſeruationes meteorologicae Berolini 1770 *factae*. Auctore Cl. BÉGVELIN. p. 75.

Ex hiſtoria anni 1771 notamus, Cl. MARGGRAFF et ROSE metallum aliquod ex biſmutho, zinco et plumbo compoſuiſſe, quod aquae ferventi iniectum in ea deliqueſcat. Hiſt. 1771. p. 10.

Vmbra Colonienſis ex obſeruationibus Ill. DE HÜBSCH vegetabilis proſapiae eſt, et ex ligno foſſili putrefacto vel fatiſcente orta eſt. p. 10.

Commen-

*) vid. *Act. Heluet.* T. IV. p. 27 tab. 3. v. comment. noſtr. Vol. XI. p. 314 et *Acta Harlemenſia* T. II. p. 372. comment. Vol. VIII. p. 396.

Mém. p. 1. Commentario primo Cl. MARGGRAFF *pigmentum aliquod coeruleum deſcribit*, *quod arcanum olim habebatur*, et pictoribus egregie inſeruit. Componitur illud ex rubia tinctorum et alumine.

p. 8. Cl. BE'GVELIN *de ratione illuſionis alicuius opticae, qua obiecta nigra nonnunquam rubra apparent.*

p. 19. Cl. GLEDITSCH *commentarius de hiſtoria naturali muſcorum.* Varietate muſcorum, quoad tempus, per quod vegetant, indicata, atque ea natura, qua ſiccati, ſi humectentur, iterum reuiuiſcant, nec non diuerſis locis expoſitis, in quibus vel laetius, vel tardius creſcant; muſcorum vtilitatem in turfa ſenſim efficienda, plantisque defendendis, vſumque eorum in inuoluendis et transmittendis ſeminibus exponit. Poſtea experimenta, quae circa variarum plantarum in muſcis vegetationem inſtituit, enarrat. Denique cautelas Cl. Auctor addit, quas, cum experimenta Lipſiae primum facta Berolini repeteret hortumque muſcoſum exſtrueret, in ſerendis, transplantandis et colendis diuerſis plantis attendendas eſſe expertus eſt.

p. 60. Cl. LAMBERT *de nonnullis obſeruationibus ad illuſtrandam meteorologiam inſtituendis.*

p. 74. *Obſeruationes meteorologicae Berolini* a. 1771 *factae* a Cl. BE'GVELIN.

p. 100. *Obſeruationes phyſicae et mineralogicae de montibus Sileſiae*, Auctore Cl. GERHARD. Sudetorum montes non ſolum, ſed omnem Sileſiae oryctologiam breuiter ratione mineralium, ibidem reperiundarum, deſcribit, fodinasque aliaque loca indicat, in quibus varia metallorum, lapidum terrarumque genera reperiuntur.

XV. Traité

XV.

Traité des maladies des femmes en couche, avec la méthode de les guérir; fait par ordre du Miniſtere par Mr. RAULIN, Doct. en Médecine, Conſeiller-Médecin ordinaire du Roi, Cenſeur Royal, de la Societé Roy. de Londres, des Academies des belles-Lettres, Sciences et Arts de Bordeaux, de Rouen, et de celle des Arcades de Rome. à Paris, chez Vincent 1771. 12. pagg. 342. ſ. praef. et ind.

i. e.

Tractatus de morbis puerperarum et methodo iis medendi, editus a Cl. RAULIN.

Grauitate morborum partim, qui inimici ſunt puerperis, multaque incommoda adferunt iis, cum vel nondum ſatis ſint noti, nec cauſſae eorum ſufficienter detectae, vel methodus iis medendi, principiis artis hucusque non recte accommodatus ſit; partim iuſſu ſuperiorum, qui commoda reipublicae curant, excitatus eſt Cl. RAULIN, vir, qui iam aliis hoc in genere erudite editis libellis inclaruit, vt morbos puerperarum accuratius conſideraret et praeſenti libello, cuius contenta cum Lectoribus communicaturi ſumus, publici iuris faceret.

Diuiſa eſt haec tractatio in quatuor ſectiones, vnaquaeque ſectio in plura capita, quae iterum in diuerſas ſubdiuiſiones diſtributa ſunt. Sectiones continent tractationes generales, quarum primaria momenta ſingulatim proponuntur in capitibus; in ſubdiuiſionibus indicantur differentiae morborum, ſymptomata, cauſſae et medendi rationes diuerſae.

p. 1. Sectione prima agitur de regimine maxime conuenienti puerperis. Inter ea, quae neceſſario attendenda ſunt ſtatim poſt partum, monet, reiiciendam eſſe conſuetudinem, partes genitales externas linteo obtegendi; cum in feminis debilioribus ſaepe ſpaſmi et conuulſiones nimia compreſſione excitentur. Sic quoque nocet faſcia, ventri puerperae circumdata, quoniam lochia, quae effluere debent, ſaepe retinentur, inflammationes efficiuntur, aliaque incommoda. Ceterum munditiem et quietem ſuadet, iis maxime neceſſarias. Quatuor primos dies poſt partum et vsque dum febris lactea diſparuerit, alimentorum ſolidorum et nutrientium reiicit vſum; potus ſit tenuis, demulcens, et, ſi vini potui ſunt adſuetae feminae, vinum album iis cum magna copia aquae ſuadet. Aluus ſit libera, ad quod efficiendum clyſmata commendat: purgantia ſtatim poſt febrem lacteam maximi vſus eſſe contendit, quoniam ſic morbis ſaepe grauibus occurritur.

p. 9. Quod ad morbos in genere attinet puerperis obnoxios, quique mortem ſubitam ſaepe conciliant, cauſſas eorum generales ponit Cl. Auctor in temeraria opera manuum abhibita ab obſtetricibus, quae, interdum credentes, dilatandum eſſe orificium vteri, ad faciliorem reddendum partum, rupturam, irritationem, contuſiones, inflammationes, ſuppreſſionem lochiorum periculoſam, et gangraenam vteri efficiunt; vel placentae extractionem violenta ratione ſuſcipiunt: vnde multum ſanguinis perditur, et alia accedunt periculoſa ſaepiſſime damna. Refert porro ad cauſſas generales diaetam minus bonam, regimen peruerſum, pathemata animi, inordinatum, vel nimium, vel diminutum vel ſuppreſſum lochiorum effluxum, lactisque retentionem in vaſis et viis eius.

Progredi-

Progreditur Cl. Auctor in ſectione ſecunda ad morbos, qui pendent a partu; et conſiderat quidem capite primo contuſiones vteri et partium annexarum: quarum ſigna ſunt intumeſcentia dolorifica, tenſio, dolor pungens, etc. In cura eiusmodi laeſionum commendat diaetam aptam, quietem, fomentationes et iniectiones in vaginam et vterum ex decocto lactis atque herbarum emollientium Si perinaeum disrumpitur, aegrotam inponi tergo, vulnus mundum reddi vino rubro paululum calido, et crura proxime ſibi appoſita teneri iubet; id quod ſufficit, ſi pars tantum perinaei disrupta fuerit. Si vero ruptura vsque ad anum tendit, praeter iam enarrata, ligaturam ſiccam et faſcias comprimentes ſuadet, ita applicandas, ne tegant orificium vaginae externum, nec anum; easque non abigendas eſſe dicit, vsque dum vulnus coaluerit. Cum interdum fiat, vt, ſi vel ligamentum, quod nectit os coccygis cum oſſe ſacro, rumpitur in partu, vel ſi haec duo oſſa a ſe inuicem ſeparantur, coccyx inuertatur; id quod ſe prodit dolore acerbo in eo loco, inprimis ſi aegrotae dorſo incumbunt: monet, redigendum eſſe os coccygis in ſitum ſuum, dum introducat chirurgus duos digitos in orificium ani, vsque ad baſin oſſis, alteramque manum applicet faciei externae, ducat baſin extus digitis, quos introduxit in anum, et apicem oſſis verſus vaginam altera manu, quae impoſita eſt faciei exteriori: applicandas deinde eſſe faſcias comprimentes, et aegram monendam, ne excernat faeces, niſi immiſſo clyſmate, vsque ad perfectam ſanationem. p. 15.

Herniae, quae in puerperio ſaepe oriuntur, ſunt vmbilicales, ventrales, et bubonocele, quarum repoſitionem et faſcias, vnicuique ſpeciei adaptatas, deſcribit Noſter. p. 33

Cauſſae, quae efficiunt, vt multum ſanguinis perdant puerperae poſt partum, quaerendae ſunt,

vel in vi illata vtero, vel in placenta adhaerente, vel parte eius et grumoſo ſanguine in vtero remanſo; ſuadet, externe adhiberi frigidam aquam, iniectiones ex decocto herbarum adſtringentium, nec non excrementa porcorum frigida et imbuta aceto vini: praeterea non inutilem eſſe putat vſum internum adſtringentium, inprimis aquae RABELII, quorum guttas quinquaginta exhibet in menſura decocti radicis conſolidae maioris. Purgationes alui, ſi fluxus ſanguinis nimius eſt, disſuadet; ſi nec plane ceſſat, remittit tamen, eas commendat.

p. 66. Inflammationes vteri, ſemper fere periculoſae, curandae ſunt ex ſententia Auctoris Cl. per diaetam accuratam, venaeſectionem in brachio, ſtatim ſub initium ſuſcipiendam, per clyſmata ex lacte et ſemine lini, aliarumque herbarum emollientium; per iniectiones in vaginam emollientes, per cataplaſmata emollientia, regioni hypogaſtricae et pubis applicata; interne ſimul adhibitis emulſionibus. Diminuta vi inflammationis, leniora laxantia, per interualla danda, adhibenda eſſe, monet. Sic interdum inflammatio diſſipatur reſolutione, ſi non, degenerat in abſceſſum, gangraenam, aut carcinoma: ſi abſceſſus formatur, maturatio eius et ſuppuratio promouenda eſt medicamentis emollientibus, aptis ſimul interne adhibitis remediis; quibus clyſmata emollientia, vel leniſſima laxantia pro aluo libera ſeruanda addenda ſunt. Si vlcus vteri in carcinoma mutatur, omnis ſpes curationis euaneſcit. Gangraenae imminenti occurrendum eſt ſaturato decocto chinae, cuius ſex vnciae aegrotae quarta quavis hora exhibendae ſunt; nec non ptiſana, ex herba ſcolopendrii parata, cuius menſurae vni adduntur quadraginta guttae liquoris anodyni HOFFMANNI, vel ſpiritus vitrioli.

Morbos

Morbos puerperarum, qui proueniunt ab inordinato fluxu lochiorum, iam conſiderat Cl. Auctor ſectione tertia. Fluunt nempe vel nimium, vel diminuuntur, vel plane ſupprimuntur; id quod diverſa eaque grauia ſaepe produxit incommoda. Si nimia ſunt, praeter alia infuſum laxans ex tamarindis, polypodio, ſcolopendrio, cichorio ſylueſtri et rhabarbaro cum aqua communi paratum; ſi his non ceſſant, aliud ex plantis adſtringentibus et vulnerariis commendat: ſi diminuta vel plane ſuppreſſa ſunt, venaeſectionem, infuſa plantarum emollientium, antiſpasmodica, clyſmata emollientia, fomentationes aut embrocationes abdomini applicatas. Vſum ſalis de duobus, quem commendant obſtetrices interdum, cum nimium irritet, plane reiicit, et medicamenta, quae effectibus, ab hoc ſale aliisque emmenagogis productis, medentur, proponit. p. 76.

Puerperae interdum vomitu vexantur, vel immediate poſt partum, vel paullo poſt: cuius ſex diverſas ſpecies conſiderat Noſter: reiiciunt vomitu vel alimenta, paullo ante ſumta, ſine ſenſu ingrato, vel cum eo; aut materiam griſeam, nigreſcentem, foetidam, aut humores bilioſos, acres, irritantes; vomunt denique ſanguinem fluidum, vel grumoſum interdum, aut humorem ſanguineo ſeroſum. Cauſſae primi generis quaerendae ſunt in organis digeſtionis laeſis; ſecundi in irritabilitate eorum; tertii in ſcybalis et indigeſtis, longe retentis, durante grauiditate, in canali inteſtinorum; quarti in obſtructione inflammatoria membranarum inteſtinorum; quinti in vaſe rupto hepatis, lienis inteſtinorum tenuium, aut ventriculi; ſexti, in ſuppreſſione humorum perſpirabilium viſcerum, hepatis etc. quos etiam lochia appellat Cl. Auctor. Quod curationem attinet primae ſpeciei vomitus, roborantia et ſtomachica commendat; in altera, p. 123.

 emollien-

emollientia magni vſus eſſe ait, venaeſectionem moderatam reſpectu ad aegros habito, et opium parca in doſi; in tertia ſpecie libertas alui clyſmatibus et laxantibus lenioribus reſtituenda eſt; quarta ſpecies periculoſiſſima eſt, cum obſtructio inflammatoria facile in inflammationem ipſam et haec in gangraenam abeat, niſi iis praecaueatur: vomitus enim deſinit, functiones omnes videntur eſſe reſtitutae in priorem ſtatum et vno impetu mors ferit aegros; inde medicus facile, niſi bene attendat, fallitur. Serum lactis pro potu ordinario adhibendum eſt, venaeſectiones ſaepe reiterandae, fomentationes et inunctiones emollientes externe applicandae et clyſmata emollientia; ſi nunc ſymptomata quodammodo ceſſant, aqua caſſiae, magna in doſi per omnes quatuor aut quinque horas data magni vſus eſt; denique in ſtatu conualeſcentiae manna adhibenda. Si vas ſanguiferum ruptum eſt, diaetae bene ordinatae adiicienda ſunt venaeſectio, frictiones ſiccae extremitatum inferiorum, balnea ex aqua tepida; ſi vero haec non ſufficiunt, aqua frigida madefacta lintea applicanda ſunt manibus, ſcapulis et dorſo; interne ſumenda infuſa vel ſucci plantarum adſtringentium; in ſexta ſpecie prioribus addenda ſunt iniectiones ex plantarum emollientium decoctis pro deriuatione humorum efficienda.

p. 144. Praeter hos morbos puerperae etiam ſaepe obnoxiae ſunt aliis, diarrhoeae, ictero e. g. in quibus tractandis tamen cum nil noui hic deprehendamus, Lectores ad lectionem libelli ipſius amandamus; adiicimus hoc, quod putet Cl. RAVLIN optimum remedium ictero medendi, eſſe grauiditatem, in cuius primis menſibus morbus hic diſſipetur, ſi ortus ſit tempore puerperii praecedentis. Lochia inordinate fluentia quoque, vel regimen peruerſum, tuſſim producunt ſaepe in puerperis; laborant

rant praeterea ſaepe angina, pleuritide, peripneumonia; quae omnia accurate pertractantur ab Auctore.

Febres vterinae, quae puerperas poſt partum p. 219. inuadunt, ſigna putridarum plerumque habent: diſtinguuntur in humorales et neruoſas. Prioris generis febres cacochymiam, vt cauſſam, agnoſcunt, iam ante, quam febris apparuerit, in humoribus natam; alterius generis cauſſa eſt irritatio phlogiſtica, quae neruoſum genus tangit, ſecretiones inordinatas efficit, nec non lochiorum fluxum turbat. Symptomata febrium vterinarum humoralium ſunt: pulſus paruus et frequens, plerumque mollis quodammodo; paroxyſmus febris quotidie incipit ſudore leui habituali, qui maior fit, ſi febris remittit; exanthemata malae indolis erumpunt ſaepe in cute: lochia non ſunt ſuppreſſa; ſed parca in quantitate fluunt, coloris pallidi, foetidi odoris et mucoſa: vrina albida pallida eſt, foetetque: faeces griſeae, nec conſiſtentiam habentes, quae ſaepiſſime mutantur in diarrhoeas colliquatiuas. Symptomata febrium vterinarum neruoſarum ſunt ſequentia: ſunt febres continuae violentae, coniunctae cum anxietatibus inteſtinorum et viſcerum: lochia ſub initium morbi ſtatim diminuuntur et ſupprimuntur: calor magnus, pulſus magnus, durus, frequens et ſaepe irregularis: maculae purpurae ſimiles erumpunt, et abdominalibus ſpaſmis ſemper vexantur aegrae: dolor in regione hypogaſtrica, vsque ad vaginam ſeſe extendens, lingua flaueſcens et muco obſeſſa, vrina cruda, deiectiones foetidae: meſenterium, ventriculus et pectus inprimis violente afficiuntur, id quod indicant nauſea, vomitus, cardialgia, etc. Curationem febrium harum, principiis artis communibus accommodatam, ſilentio praeterimus. Addita eſt huic ſectioni tractatio de

 purpura

purpura puerperarum, eius diuiſione, ſymptomatibus et medendi methodo, nec non alia de oedemate pedum, interdum in puerperis obſeruato.

p. 275. In ſectione quarta demum agit Cl. Auctor de morbis puerperarum, qui proueniunt a lacte in ſuis vaſis retento aut regreſſo: vnde oriuntur dolores pungentes abſceſſus lactei, inflammationesque; ſi in ſanguinem regreditur, vel in vaſa lymphatica, humores hos corrumpit, efficit febres malignas putridas, metaſtaſes in viſcera, apoplexiam, paralyſin aliaque mala chronica: quae ſingula late tractantur in quibusdam capitibus; praemiſſa conſideratione febris lacteae in genere.

Denique abſceſſum lacteum proprie ſic dictum, omnia loca corporis, in quibus oriri poteſt, eius ſymptomata, cauſſas et medendi methodum accurate et ſecundum principia artis proponit.

XVI.

La Nymphomanie, ou Traité de la fureur utérine. Dans lequel on explique avec autant de clarté que de méthode, les commencemens et les progrès de cette cruelle maladie, dont on développe les différentes cauſes. Enſuite on propoſe les moyens de conduite dans les divers Périodes, et les ſpecifiques les plus éprouvés pour la curation. Par M. D. T. DE BIENVILLE, Docteur en Médécine. A Amſterdam, chez Marc. Michel Rey, MDCCLXXI. 12 maj. pagg. 168. praefatio pagg. 20 *).

i. e.

*) Teutonica verſio prodiit Amſtelaedami et Lipſiae 1772. 8

i. e.

Nymphomania, ſeu tractatus de furore vterino, in quo perſpicue et methodice initia, progreſſus, diuerſae cauſſae diri huius morbi explicantur, modi eum in variis eiusdem periodis tractandi, et probatiſſima ſpecifica ad eum curandum proponuntur. Auctore Cl. DE BIENVILLE, M. D.

Attentione ſingulari non indignum librum indicamus, in quo morbi, adeo ſaepe occultati, et adeo triſtes effectus exſerentis, vberior hiſtoria traditur. Quamquam enim Lectores noſtros id a nobis non poſtulaturos ſperamus, vt anatomicam partium genitalium in feminis deſcriptionem repetamus, quippe minus exactam, et minus ipſi naturae reſpondentem; aut vt in diſtinguendis variis gradibus mali iſtius, quos Noſter aſſumit, operam noſtram ponamus; aut denique hypotheſes, quibus aetiologiam eiusdem ſuperſtruxit, pro veriſſimis principiis venditemus: non tamen poſſumus non laudare ſtudium, in medelam tetri adeo morbi collocatum, qui ſequiori ſexui tot mala parit, quot vmquam ab onaniſmo in potiorem redundarunt; conſilium porro a Noſtro captum, vt ſimili, quo Cl. TISSOT in hoc morbo egit, modo foeditatem maſturbationis, quam teterrimam violentiſſimamque nymphomaniae cauſſam declarat, et funeſtos eius effectus viuidiſſima imagine depingeret, quo vel hac turpitudine ante oculos poſita mentes teneras ab hoc vitio deterreret: quandoquidem non negamus, perlecto libro, iudicium inſignis cuiusdam et in republica litteraria celebratiſſimi viri in mentem nobis veniſſe, quod de Cl. HVNDERTMARKII noſtri libello de ozaena venerea tulerat: *ipſum rem putidiſſimam nitidiſſime deſcripſiſſe.* Sed

 age,

age, pauca quaedam ex libro ipſo excitemus, quo, num recte iudicauerimus, Lectores ipſi videant.

p. 9. Si vel ob vitium ouariorum ipſorum, vel ob impuritatem humorum in vniuerſum, ouula ante maturitatem ex ouariis ſecedant, ſiue hoc poſt impraegnationem, ſiue menſtruationis tempore fiat, inde vteri interna ſuperficies irritatur, et haemorrhagia vteri, dolores colici acutiſſimi, et quod peſſimum eſt, vlcera vteri ſequuntur. Sin e contrario ob viſceris cuiusdam obſtructionem, vel ob conformationis vitium, vel quacumque alia de cauſſa ſanguis non poteſt praebere ſuccum, ad irroranda haec ouula deſtinatum, vel ſterilitas incurabilis, vel icterus et leucophlegmatia ſuccedunt: quibus morbis, et fluori albo inde pendenti, vt protinus occurra-
p. 164. tur, in appendice ſolutio, extracti ſaturni in aqua, addito ſpiritu vini camphorato, in vterum aliquoties de die iniicienda, et internus vſus electuarii ſtomachici ſuadetur, quandoquidem fluor albus plerumque a deprauatione ventriculi proficiſci ſolet.

p. 21. Deſcriptionem nymphomaniae cauſſarumque eius tranſire cogimur, id tantum monentes Auctorem noſtrum morbum hunc, iisdem quippe praeſentibus cauſſis moralibus, licet phyſicae, ex conditione climatis pendentes, non adeſſent, in frigidiſſimis regionibus ipſum vidiſſe, adeoque mirari, ex veteribus ſolum SORANVM eiusdem meminiſſe, MYREPSVM vero ac ZONARAM admodum obſcure de eo loquutos eſſe.

p. 29. In ipſo morbo duo ſymptomata ſe ſiſtunt, quorum ſingulum morbum diuerſum conſtituit: in principio enim delirium melancholicum adeſt, cuius cauſſa in vtero haeret: hoc vero in veram maniam tranſit,

tranſit, cuius cauſſa turbatio cerebri dicenda eſt. Ex his variae periodi morbi huius conſtituuntur, prima nempe ſolius concupiſcentiae venereae per ſe; ſecunda, cum eidem melancholia, et tertia, cum mania ſe adiungit: ſiue, quod idem eſt, morbus in initio, morbus confirmatus, et deſperatus. Varias p. 41. autem, easque interdum ſubtiliores, ſubdiuiſiones hic adducere non poſſumus: facilem etiam ex vno morbi gradu in alterum tranſitum eſſe, illico patet. Alienationem autem mentis, ſubinde increſcentem et celeri progreſſu ad maniam vſque pergentem, di- p. 46. verſae poſitioni fibrarum encephali Noſter adſcribit, quae conſonantiam et diſſonantiam a naturali earum agendi modo diuerſam producat, tonumque adeo mutet, vt quae fibrae antea concordes fuerint, nunc diſcrepent, et vice verſa. Porro monet, delirium maniacum non ſemper vniuerſale eſſe, ſed interdum a cauſſa partiali (ab idea fixa, vt in aliis huius generis morbis) excitari, et ſaepe iam delirio melancholico intermiſceri: quare differentiam ponit inter hanc, quam maniam deuteropathicam, et inter vniuerſalem et ferociorem, quam protopathicam nominat. Symptomata, morbo vel vniuerſim communia, vel cuiuis eiusdem periodo propria, fuſius repetere non poſſumus: complura eorum non, niſi poſt mortem ſub disquiſitone anatomica ſeſe produnt.

Diagnoſin morbi in prima eius periodo difficilem p. 56. reddunt taciturnitas et pudor aegrotarum ipſarum, et ambiguitas ſignorum, quae fere eadem eſſe poſſunt, quae venerei morbi: in ſecunda vero, et multo magis in tertia periodo diagnoſis facilior eſt. p. 62. Prognoſis ſemper quidem dubia eſſe debet: in principio tamen morbi, pro variis eiusdem gradibus, imo etiam in principio ſecundae periodi, quum delirium

lirium melancholicum non, niſi per interualla demum accedit, curationis ſpes aliqua ſupereſt: minor e contrario affulget in eodem delirio iam confirmato, et prorſus nulla in periodo tertia, facultatibus animi penitus corruptis, et partibus ipſis generationis, abſceſſibus, vlceribus, carcinomatibus cet. deſtructis; in quo ergo miſerrimo ſtatu non, niſi palliatiuae curae locus relinquitur. Ampla
p. 66. enarratio furoris vterini in femina melancholica, qui
p. 79. immoderato fluxu menſtruo ceſſit. Similem effectum vidit Noſter a prorumpentibus haemorrhoidibus. Fluor albus benignus ſaepe etiam morbum hunc profligat: citius hoc fit per grauiditatem, ſed facilior tunc etiam eſt recidiua: ſaepe etiam matrimonium ſolum morbum hunc tollit.

p. 81. Curatio ipſa in prima periodo poſtulat, vt impetus ſanguinis infringatur, ille ipſe demulceatur, ſuperficies interna vteri et vaginae humectetur et relaxetur, et denique aegra ab ideis obſcoenis remoueatur. Inde ſanguinis miſſio non ſine diſcrimine vſurpanda eſt, et purgantibus, demulcentibus, temperantibus, emollientibus externe aeque, ac interne vtendum, ſeruata ſimul ſtrictiore diaeta: accedentibus ſimul affectionibus vaporoſis, quarto quouis die veſperi ſpecificum ſumendum commendat No-
p. 156. ſter, quod paratur ex vncia vna cinerum clauellatorum, per 24 horas in vnciis octo aquae infuſa, quibus, quanta fieri poteſt celeritate, colatis addi debent vnciae duae olei nucum recens expreſſi: quod remedium numquam effectu optato caruiſſe, et ſaepe vna vice ſumtum ſuffeciſſe teſtatur. Conſilia ſaluberrima de dirigendis affectibus animi. Omnium autem maxime parentes attendere iubentur ad masturbationem, clandeſtinam adeo, et tamen frequentiſſimam horum malorum cauſſam.

Compa-

Comparatio methodi medendi, ab aliis propoſitae, p. 88.
cum ea, qua Noſter vtitur, et limites venaeſectio-
nis et purgantium, quum morbus iam altiores ra-
dices egit. Multum hic laudis tribuit Noſter ſic
dictae quintae eſſentiae vegetabilis, quae ex foliis
abſinthii minoris, caryophyllis, ſaccharo cando, p. 156.
ambra, aloe, maſtiche, gummi tragacanthae, cum
ſpiritu vini rectificato digeſtis, componitur: reli-
qua auxilia interna et externa ſunt ex claſſe refri-
gerantium, demulcentium et emollientium, quor-
ſum ſpectant lotiones, ſemicupia, epithemata, qui-
bus tamen aliquot grana ſacchari ſaturni admiſcet;
interpoſitis interdum apozematibus purgantibus.

Secunda periodus eadem remedia, de quibus p. 98.
iam expoſuimus, poſtulat, ſed, loco ſemicupiorum
tepidorum, balnea frigida, et maiorem paullo eua-
cuantium vſum; ſaepe tamen vel haec, et multo
magis tertia periodus omnem medelam reſpuit.
In vno tamen caſu, vbi aegra vere maniaca erat,
Noſter felicem ſucceſſum curationis, per plures
menſes protractae, expertus eſt: ſcire autem refert,
Ipſum aegram hanc ex conuentu monialium, quae
illam ſordidi lucri cauſſa exceperant et admodum
duro modo tractauerant, exemiſſe et in ſuam
Ipſius domum ſecum deportaſſe, quo melius eius-
dem curam gerere poſſet; ipſam nec verberibus
tractabat, nec vinculis ligabat, ſed tantummodo fa-
ſciis toto corpore obuolutam continebat, et fre-
quenti ſanguinis miſſione, temperantibus et refri-
gerantibus, balneis, iniectionibus in vaginam et
vterum, quibus itidem ſaturnina admiſcebat, epi-
thematibus ſimilis indolis, et praecipue ſtrictiſſimo
regimine aegram denique ſanitati priſtinae reſti-
tuebat.

Inprimis

Inprimis hic praedicat vſum remedii cuiusdam,
p. 161. cuius etiam formulam communicat, ex amalgamate mercurii reſuſcitati et auri, quod cum ſpiritu vitrioli primo per 24 horas ſub cineribus calidis, poſtmodum per octiduum in loco frigido digeritur, deinde quinquies ex alembico deſtillatur, et vltima vice relicta materia ſuper igne carbonum calcinatur; cuius pulueris, quod *aurum vitae* vocat, doſin a tribus ad ſex grana praeſcribit. Nonnunquam tamen etiam opiatis opus fuit.

p. 123. Tandem conſilia quaedam exhibentur parentibus et feminis, quibus educatio iuuentutis credi ſolet, in eiusmodi caſibus deſperatis ſeruanda, et priores inprimis monentur, ne filias ſuas in ergaſtula, prius ablegent, quam omnia remedia incaſſum adhibita eſſe viderint.

p. 125. Sequuntur obſeruationes quaedam de imaginationis relatione ad nymphomaniam, itidem exemplis illuſtratae, quibus docetur, quantum in morbis phantaſiae laeſae momentum poſitum ſit in imaginatione, et quantum medentes eo reſpicere de-
p. 155. beant. In fine formulae remediorum adduntur, vbi ex abrupto grauiſſime Noſter in vſum mercurii ſublimati, a SWIETENIO introductum, inuehitur.

XVII.

ERNESTI GOTTLOB BOSE programma inaugurale ſiſtens hiſtoriam cordis villoſi. Lipſiae, ex officina Langenhemiana, 1771. 4. pagg. 16.

Elegans hic ſpecies glabrae atque leuigatae cordis pericardiique ſuperficiei, horrida et villoſa excreſcentia defoedatae, a Cl. Auctore communicatur. Contigerat nimirum, vt puella decem et nouem

nouem annorum, praeter rhachitidem et infantiles morbos, nullis grauibus conflictata morboſis affectibus, ab equis, ex terrore in fugam actis, in pauimentum proſtrata capitis illideret ſiniſtro lateri, et omni ſenſu priuata noſodochio traderetur. Poſt horam ad ſe rediens, de dolore capitis, anxietate et reſpirationis difficultate doloreque in ſterno ſine externa laeſione conqueſta eſt, et ex ſiniſtra aure ſanguis effluere coepit, qui quaſi in pus tandem conuerſus eſt. Licet cephalalgia adhuc continuaret; interea tamen conualeſcens in eo erat, vt abitum e noſodochio pararet. Animo autem leuiter commota ſubito febricitare coepit, catarrhalis affectus in modum, oedemate manuum et pedum coniuncto. Sed leuabatur morbus ſudoribus et vrinae copioſo ſedimento. Tandem vero nullam moleſtiam ſentiens, ſumta coena de anxietate ſingulari et ſpirandi difficultate conquerebatur et extremis frigentibus circa mediam noctem placide, quaſi ſomno oppreſſa, exſpirabat.

Sectio haec docebat: oſſa capitis erant integra, nec ex aure ſiniſtra quid effluebat. Dura mater ſana; piae vero matris tanta inueniebatur tenacitas, vix alibi viſa, vt a gyris cerebri pene ſine ſubſtantiae corticis laeſione, cum vaſis a ſanguine vbique turgentibus ſepararetur. Cerebrum nihil praeter naturam habebat, quam tres propemodum vncias aquae in ſiniſtro ventriculo et pauxillum in dextro. Cerebellum pariter bene erat comparatum. Atque cum fons effluentis per aures ſanguinis non poſſet detegi: putat Noſter, illum ex vaſe minimo rupto, turgebant enim omnia interna, profluxiſſe. p. 5.

Praeter accretos pleurae pulmones praetereaque ſanos, inconſueta cordis, in admodum denſo et craſſo pericardio contenti, magnitudo in pectore occurre- p. 6.

occurrebat, cuius cauitas pauxillum ſeri limpidi, nec gelatinoſi continebat. Diſſecto vero pericardio, aliquot vnciae ſpiſſiuſculi gelatinoſi ſeri promanabant; non tamen, hac aqua euacuata, penitus collabebatur pericardium. Interior enim eius ſuperficies, nec non exterior cordis horrida atque villoſa conſpiciebantur, ab excreſcentibus nimirum filis, ex cinereo albicantibus, variae craſſitiei et latitudinis, quae aegre ſoluebantur, ita, vt inter intricatas fere cordis fibras penetraſſent. Cor, praeter dicta, nil notatu dignum offerebat; vaſa tamen magna, quatenus pericardio obuoluta, in externa facie aſpera ſimiliter, ſubtilioribus filis villoſa, ſpectabantur. Hepar et lien inſolita turgebant magnitudine, ventriculus contractione, bilis pauca, viſcidula et parum tincta obſeruabatur, inteſtina tenuia paſſim anguſta erant et colon ab initio ad finem in recto adeo conſtrictum, vt incraſſatae tunicae vix minimum admitterent digitum.

p. 7. Inter multa haec phaenomena, nec adeo infrequentia, inprimis hic Magnificus BOSIVS villoſum cordis ſtatum conſiderat. Ob motum cordis perpetuum, hunc ſtatum non in impetuoſa et ſubitanea, ſed in lenta accedente cauſſa originem mali quaerendam eſſe arbitratur. Id quod praeterea ex connectentis materiae diuerſitate magis elucet, cuius exempla varia ex MORGAGNIO, MECKELIO, HAENIO, SENACO aliisque hic colliguntur.

p. 8. Verſatur hic Cl. Auctor in vera origine peregrinae illius nectentis maſſae definienda, quam alii glandulis fictis pericardii, VERHEYENIVS thymo, adſcripſerunt et diuerſimode de hac re diſputarunt. His praemiſſis a Noſtro, experientia confirmatur, humores

humores praeter naturam in locum coaceruatos, vti in hydropicis clarum eſt, nunquam ſimplices et homogeneos, ſed diuerſae mixtionis colligi. Atque ita in pericardio dum reſorbentur tenues aquoſiores moleculae, craſſiores et gelatinoſae ſuperſunt, aut ob molem et intimam mixtionem denegatam ſubſidunt et adhaerent, aliisque nouis particulis accedentibus, fila, villos, membranulas, ligamentula cet. qualia ſupra a Noſtro exempla ſunt collecta, efformant.

Signa huius morbi quam maxime latent. Cl. SAUVAGES refert hunc morbum ad ἀσφυξίας genus cum pulſus defectu: an recte? iudicent, qui pulſum non deeſſe animaduerterunt. In hoc exemplo, morbo ſuperato, pulſus tangebatur aequalis et fortis. Pariter nihil hic facit anxietas et aſthma, multis moribundis communia. Difficilis itaque huius morbi diagnoſis et ſignorum propemodum plenus defectus pendent hic et a cauſſa proxima, quae cordis negotium non adeo turbat, et a pulmonibus illaeſis, qui in MORGAGNI exemplis patiebantur. Quapropter et haec aegra cubare poterat vtrinque, nec reſpirationis, nec alia incommoda ſentiebat. p. 9.

XVIII.

Nachricht von dem jetzt herrſchenden Fleck- und Frieſelfieber von D. WILHELM HEINRICH SEBASTIAN BVCHOLZ, *ordentlichen Arzte zu Weimar, der Römiſch kayſerlichen Academie der Naturforſcher, der königlich Preuſiſchen Geſellſchaft zum Nutzen der Wiſſenſchaften zu Franckfurth an der Oder, und der Churbeyeriſchen Academie der Wiſſenſchaften zu München Mitgliede.*

Weimar bey Carl Ludolf Hofmann. 1772. 8. *Seit.* 88.

i. e.

Relatio de iam graſſante febre petechiali et miliari. Auctore GVIL. HENR. SEBASTIAN BVCHOLZ.

Cum negotiorum multitudo Noſtro non ſit largita, vt omnes obſeruationes de hac febre eiusque ſymptomatibus collectas vulgaretur, Cl. ZIMMERMANNI tractatum de epidemia imaginaria (*Windepidemie*), ſeu nouo morbo, ita dicto Hannouerae, qui promptuario Hannouerano *) a Cl. ZIMMERMANNO inſertus eſt, hic denuo edidit, nonnullasque obſeruationes huc ſpectantes addidit.

Erat hic morbus febris inteſtinalis ſeu bilioſa interdum cum petechiis et miliaribus, interdum cum reſolutione humorum iuncta, quam haemorrhagiae minus criticae ſequebantur. Graſſabatur potiſſimum inter pauperes, pendebat a victu, domiciliis Hannoverae, inprimis inſalubribus, aeris impuritate et omnino nimis calido et iniuſto ceterum regimine, quibus accedebat humiditas nimia cet. Venaeſectionem Noſter raro adhibuit, niſi inflammatione vrgente, nitrum prorſus in hoc morbo reiicit. Petechiae, quae nunquam criticae erant, per totum decurſum morbi interdum manebant; nec euacuantibus, veſicantibus, acidis mineralibus, china, camphora et clyſmatibus turbari poterant.

p. 17. In iuuene, haemorrhagiam narium magnam paſſo, hac ſedata, denuo ſanguis per anum profluebat in magna copia, ſicque ſanitati iterum eſt reſtitutus. Inter mala ſigna has haemorrhagias refert Cl.

STRACK

*) 5. *Stück* a pag. 65—90. d. 17 ian. 6, *Stück* d. 20 ian. 1772.

STRACK *) et letalia exempla commemorat. Praeterea Cl. BVCHOLZ draſtica euacuantia, quae Cl. STRACK **), vt ialappina, commendat, non amat.

Quoniam itaque hic morbus per ſe minime p. 49. erat contagioſus, ſed per varias impuritates, domiciliorum anguſtias aliasque inſalubritates, multitudinemque aegrorum in anguſtis habitaculis contagioſus reddebatur, Cl. ZIMMERMANN relationem de hoc morbo dedit, vt metus ciuium Hannoveranorum tolleretur, isque ea propter appellat eam epidemiam excogitatam et falſam.

XIX.

IOANNIS NATHANAELIS PEZOLDI, M. D. de prognoſi in febribus acutis ſpecimen pathologicum. Lipſ. apud Frid. Gotth. Iacobaeerum 1771. 8. pagg. 83.

Optima quaeque in libris tam antiquiſſimorum quam recentiorum, quae inuenire potuit de ſignis medicis ſiue pathologicis, additis praeterea et ſuis obſeruationibus, huc ſpectantibus, cum non nuper huic rei Cl. Auctor nauaſſet operam: ea hic in ordinem redegit. Norma, quam ſequitur Noſter, vt quodam intelligatur modo, capitum ſummam hic praemittimus.

Ac primum quidem agit de ſignis in morbis in genere. Secundum continet ſigna ab externo corporis habitu. Tertium actiones vitales vt ſigna perſequitur. Quarti ſectio prima actiones animales vt ſigna tractat, et ſectio eiusdem altera de ſenſibus externis vt ſignis habet: tertia eiusdem capitis ſectio complectitur ſigna ex motu voluntario.

*) EIVSD. obſeru. medic. de morb. cum petechiis etc. Carolsruhae 1766. 8. v. comm. noſtr. Vol XVI. p. 415.
**) v. ibid. p. 418.

luntario. In capite quinto actiones naturales vt ſigna oſtenduntur. Nos vero commemorabimus nonnullas ſolummodo res exempli loco, ceterum Lectores ad ipſum librum, lectu perdignum, amandamus.

p. 1. Omnes mutationes ac viciſſitudines pendent a motu in corpore humano. Motus moderatos conſtantes et regulares ſequitur vitae integritas, eos alia atque alia ratione laeſos, morbus, ſufflaminatos, mors. Hi motus pendent a ſolidis et ab iis fluida, quae non raro ipſorum motuum interpretes ſunt; ideoque non negligenda a medico. Atque ſic de fibrae natura diuerſa, irritabilitateque, eius ſpaſmis e. ſ. p. ad declarandos inprimis motus laeſos diſputatur, diſputataque ex optimis quibusque Auctoribus probantur.

p. 10. Dum Noſter venit ad cruditatem, coctionem et criſin, mauult cruditatem in duratione et vehementia ſpaſmorum, quam in qualitate materiae, in humoribus fruſtra ſaepe quaeſitae, ponere, et corruptam iſtam materiem, quae critice aliquando eiicitur et ad puris naturam accedit, vt effectum potius motuum irregularium ſolidorum, quam vt cauſſam eorundem efficientem conſiderare.

p. 36. Inter ſigna ab externo corporis habitu deprompta haec inprimis nobis placuerunt: hypochondria, latinis praecordia, tumidiora, aeque tamen dura, atque dolentia vt longam valetudinem, ſic tutam etiam denunciant. Cutim in manuum volis corii inſtar tenſam duramque in variis aegris, viſceris cuiusdam inflammatione laborantibus, vidit Noſter, et inprimis hoc ſignum, a nullo deſcriptum, in coniuge quondam amantiſſima, vteri inflammatione rapta, per aliquot ante obitum dies obſeruauit.

Pulſus

Pulſus diuidit Noſter in ſimplices et compoſi- p. 41.
tos. Pulſus intermittentis vt non eadem ſemper cauſſa, ſic non eadem etiam ſemper ſignificatio.

Riſus inuoluntarius in homine non delirante, p. 52.
peregrini ſtimuli, neruos irritantis, vel laeſi diaphragmatis ſignum eſt, quod funeſtum plerumque exitum praenunciat.

Signa ex vrina plurima quidem, maxime tamen p. 79.
incerta, cum aetate, ſexu, temperamento, animi affectu, morbi periodo, paroxyſmo, alimentis et medicamentis valdopere mutetur, et medicus inde confundatur. Quapropter nunquam ſoli vrinae medicus confidat, ſed et reliquorum ſignorum rationem habeat. Optima vrina in febre acuta iudicatur, quae per totum huius decurſum coloris citrini vel paullo magis rubicundi eſt, et quae, poſtquam refriguit, alba, leuia et aequalia demittit. Motus enim moderatos ſolidorum, laxitatem fibrarum ſalutarem, noxiae materiae expulſioni fauentem, et omnino felicem morbi indicat exitum.

XX.
Noua phyſico - medica.

Societatis ſcientiarum *Harlemenſis* frequentia ſua ſolemni, nuper d. 24 maii celebrata, nouam proponit quaeſtionem, quae pertinet ad annum 1776, et ita formata eſt: *quibus optimis minusque ſumptuoſis viis promontorium* (voorland) *ad conſeruandas lacus, mari meridionali* (zuider-zee) *vicinos poteſt, conſtitui; vel ſi iam adfuerit, ad bene conſeruandum?*

(*Quels ſont les meilleurs moyens de ſe procurer, de la maniere la moins diſpendieuſe un terrein avancé pour la conſervation des digues, qui bordent le bras de mer, appellé* zuider-zee, *ou de conſerver ce terrein, quand on l'à?*)

Praeterea repetiimus cum Societate quaeſtionem: *quibus morbis eſſent incolae noſtrae patriae ex naturali ſua conditione obnoxii?* cet. *). Iam monemus cum Ea, per verbum *patriae* ſeptem confoederatas prouincias regionesque aſſociatas intelligi et cum de origine morborum dicant, regimen quoque examinent ii, qui quaeſtionem elaborandam ſibi ſumunt.

Commentaria ita, vt ex ſuperioribus **) patet, Cl. VAN DER AA, Societatis ſecretario perpetuo, tradantur.

Solemnem celebrabat Societas Regia ſcientiarum *Hafnienſis* conuentus diem, decimo ſexto decembris anni 1773 atque tum in phyſica claſſe praemium ab Ea obtinuit Cl. CAROLVS VICOMTE MAHON, Regius ſocietatis Londinenſis ſocius, quippe qui quaeſtionem de pendulis in horologiis aſtronomicis, a nobis alio tempore ***) indicatam, optime perquiſiuerit.

His perfectis, iam nouam omnibus viris eruditis, praeter ſodales Societatis, commendat quaeſtionem, vt nempe *analyſin metallorum in partes conſtitutiuas*, *ſecundum ſollicite inſtituta experimenta* tradant.

Commentaria, vel Latine, vel Gallice, vel Germanice, vel Danice conſcribenda, communicabuntur cum Ill. HIELMSTIERNA, qui Societati eſt a ſecretis ante finem decembris 1774. Praemium conſtitutum moneta aurea centum thalerorum Danicorum conſtat. Reliquas leges ſupra †) tradidimus, omittimus alias ad nos non pertinentes quaeſtiones mathematicas et hiſtoricas.

Societas

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 354.

**) v. l. c. et p. 152.

***) v. ibid.

†) v. ibid.

Societas naturae indagatorum Gedanenſis duas quaeſtiones ad annum 1774 pertinentes vulgauit, quarum vna huc redit: *optima* indicetur nimirum, *breuiſſima et captui ruſtico facillima inſtitutio, quomodo lupularium in arenoſo limoſo et argillaceo ſolo, vel etiam in locis paludoſis ſit condendum et qua ratione lupulus vtiliter colendus?*

Altera quaeritur: *qui ex melle ſaccharum paretur, quod pretio ſaccharum commune non ſuperet?*

Praemium eſt duodecim aureorum Hollandicorum. Commentaria ſub finem 1774 Cl. IOACHIMO GVILIELMO WEIKHMANN, qui ſocietati iam ab epiſtolis eſt, tradendi ſunt.

Conuentu die 10 iulii 1773 a *Gottingenſi* ſocietate regia ſcientiarum celebrato, haec quaeſtio oeconomica ad annum 1774 ab Ea eſt eruditorum virorum examini et disquiſitioni ſubiecta:

Quotuplices inſectorum ſunt ſpecies, quae manuſcriptis et impreſſis libris in archiuis et bibliothecis officiant? quod genus, glutinis, corii, chartae papyraceae quaelibet ſpecies inſectatur? et quae ſunt paratiſſima et experientia maxime comprobata remedia haec inſecta ex dictis locis cum arcendi, tum delendi?

Praemium conſtat moneta duodecim aureorum Hollandicorum, quod Hannouerae in domo, quae dicitur *Intelligenzcomtoir*, ſoluetur. Commentaria ita, vti ſolent et ex ſuperioribus patet, vsque ad finem iunii 1774 exſpectantur.

Ceteras quaeſtiones mittimus, et eam, quae vaporum noxam attinet, iam commemorauimus *). Notamus vero de ea, eſſe eam dilatam vsque ad nouembrem 1775.

Regia ſocietate Baſquenſi (*des Baſques*) amicorum patriae Madriti d. 16 ſeptembr. 1773 anni-

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 540.

verſaria ſua celebrata ſolemnitate, ex comitatu agriculturae obſeruationes ipſi communicatae ſunt: 1. *de modo ſecale, prataque artificialia ſerendi, arboresque plantandi; 2. de nutritione beſtiarum; 3. de ſucceſſu pannum linteum* (canevas) *conficiendi; 4. de experimentis in cultura napi* (colſat) *inſtitutis.* Comitatus ſcientiarum et artium retulit: 1. *de experimentis, quae optimam methodum, mineram ferri calcinandi, illuſtrent; 2. de nouis tentaminibus chalybem praeſtantiorem reddendi; 3. de ſpecimine mineralogico; 4. de obſeruationibus variis medicis et phyſicis, a variis inſtitutis.* Comitatus induſtriae expoſuit: 1. *de operibus manu factis, ad inſpectionem relatis; 2. de tabulis edictorum, in commodum artificium patriae promulgatarum; 3. de ratione, ſocietatem piſcium ſalitorum captationis componendi.* Comitatus denique litterarum bellarum egit: 1. *de variis tractationibus, educationem infantum ſpectantibus; 2. de ſpeciminibus hiſtoriam patriam illuſtrantibus; 3. de ſchemate lexici Baſquenſis* (Baſque) *et Caſtilienſis; 4. de elementis grammatices Latinae*, auctoribus IGNACE DE BATZOLA et MART. DE HARRO.

(1. *Sur la maniere de ſemer le bled, les prairies artificielles, la plantation des arbres; 2. ſur la nourriture des beſtiaux; 3. ſur la réuſſité du canevas; 4. ſur les reſultats des experiences faites pour la culture du colſat.* Le comité des ſciences & des arts rendit compte: 1. *de ſes épreuves pour verifier la meilleure methode de calciner la mine de fer; 2. des ſes nouveaux eſſais pour perfectionner l'acier; 3. d'un eſſai de mineralogie; 4. de diverſes obſervations de médécine & de phyſique faites par des particuliers.* Le comité d'induſtrie expoſa: 1. *l'état des manufactures ſoumiſes à ſon inſpection; 2. le tableau des édits promulgués en faveur des manufactures du royaume; 3. le projèt d'une compagnie pour la pêche du poiſſon,*

ſon, que l'on ſale ſous le nomme de ceciat. Le comité des belles lettres fit part à cette ſocieté: 1. *de differents traités élémentaires pour l'éducation des éléves; 2. de pluſieurs pièces concernant l'hiſtoire nationale; 3. d'un plan de dictionnaire Baſque & Caſtillau; 4. d'élémens de grammaire Latine.*)

MARCVS ANTONIVS LEOPOLD CALDANI, Vir Clariſſimus, qui 1772 Londinenſi ſocietati ſcientiarum aſſociatus eſt, *Pataui* ſucceſſit b. MORGAGNI *) et iam in occupatione anatomiae docendae cum aſſenſu verſatur.

Experientiſſimus atque Excellentiſſimus IOANNES GOTTLOB HAASE munus proffeſſoris medicinae extraordinarii die 19 ianuarii 1774 in academia *Lipſienſi* adiit programmate, complectente *experimenta anatomica ad nutritionem vnguium declarandam capta* et oratione *de ratiociniis ex obſeruationibus et experimentis anatomicis prudenter colligendis.*

Berolini cum Celeberrimus IOANNES FRIDERICVS MECKEL munere profeſſoris primarii anatomici theatri artisque obſtetriciae ſponte ſe abdicaſſet, Cl. WALTHER illud, hoc vero Cl. HENCKEL per munificentiam Regis Potentiſſimi obtinuerunt.

Academiae ſcientiarum Regiae Berolinenſi Cl. WALTHER profeſſor anatomiae primarius aſſociatus eſt.

Pragae IOSEPHVS THADDAEVS KLINKOSCH philoſophiae et medicinae doctor et medicinae profeſſor publicus ordinarius facultatisque

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 719.

medicae aſſeſſor, Sacrae Romanae Caeſareae Maieſtati ab aulicis factus eſt.

Edinburgi Experientiſſimus IOANNES GREGORY menſe februario, 1774, deſiit viuere.

Sub initium februarii, 1774, *Pariſiis* mortuum eſſe Cl. CAROLVM MARIAM DE LA CONDAMINE, inprimis propter itinera ad figuram terrae determinandam inſtituta celebrem, aetate ſeptuageſima quarta, relatum legimus.

Londini D. IOANNES HAWKESWORTH, director ſocietatis Indicae Orientalis et editor itinerum, quae GEORGII III. iuſſu ſunt in terras Auſtrales inſtituta, die 17 nouembris, 1773, e viuis eſt ereptus.

Nundinis ſequentibus *Gottingae* apud *Dietericum* Cl. IOANNES CHRISTIANVS POLYCARPVS ERXLEBEN conſcribet et edet *bibliothecam phyſicam nouam*. Per anni ſpatium prodibunt ſex partes, quarum quaelibet conſtabit plagulis octo. Nouiſſimi et exteri libri eleganter indicabuntur.

Communicauit nobiscum Vir Experientiſſimus IOSEPHVS CESARATI, in Polonia medicinam faciens, nouam, iconeque delineatam machinam, methodumque faciliorem tutioremque reliquis, balneum frigidum ſubitaneum adhibendi indicauit.

Summa artificii huc redit: Ita trochlearum ope iuxta fontem adaptatur currus, vt funibus per ipſum medium fontem a duobus hominibus celerrime trahi poſſit. Huic currui balneandus totus ſupinus et diſtentus ſuperincumbit, ſicque immerſio corporis, quae a capite incipit, et emerſio, vix quinque minutis ſecundis horae praeterlapſis, perficitur.

citur. Aquae frigus pro ratione aegrorum ad thermoſcopii leges moderatur. Reliqua, quae commodo vſui huius methodi fauent, in domo balneatoria et ipſo curru ſunt curata. Quae vero vti et vſum et quod ſperamus, ipſam delineationem Ipſe Cl. CESARATI in libro, quem de balneis Polonice, vti refert, conſcripſit, publici iuris reddet.

Legimus *Viennae* edi aeri inciſas tabulas, quae plantas depictas ſiſtunt. Deſumtae ſunt hae icones e duobus manuſcriptis codicibus DIOSCORIDIS, quorum alter eſt Conſtantinopolitanus, alter Neapolitanus, vterque in collectione Caeſarea reperiundus.

Icones hae multum ad definiendas plantas veterum facturae dicuntur, atque nos cum aliis ipſarum editionem auide exſpectamus.

Quum Riuinianae icones plantarum, *in vniuerſum*, Ill. HALLERO teſte, *egregiae*, propter raritatem et elegantiam, vt denuo ederentur, mereri viſae eſſent: conſtituit *Siegfried Leberecht Cruſius*, bibliopola Lipſienſis, eas correctas, multisque auctas orbi litterario *Lipſiae* communicare. Curam huius operis tradidit Cl. viro NATHANAELI GODOFREDO LESKE in re botanica verſatiſſimo. Qui in eodem edendo has leges ſibi praefixit, quas, cum alia relatione ipſe de inſtituto hoc vberius expoſuerit, ſolum breuiter indicemus:

1. Omnes plantarum imagines, a RIVINO datas, comparabit cum plantis ipſis, ita, vt eaedem viuis coloribus pingantur, emendanda in Riuinianis corrigantur, adiunganturque addendae partes et floris, et aliae ad cognitionem plantarum neceſſariae. 2. His iconibus nouas addet, quae Saxoniae indigenas plantas, vel plane non, vel non curate ſatis

ſatis nec viuis coloribus pictas, repraeſentabunt. 3. Titulus libri erit hinc: *Flora Saxonica indigena et exotica, ad ſyſtema Ill.* LINNAEI *adornata.* 4. Textum, quem dicunt, Latine conſcribet, isque continebit, definitiones ſpecificas, ſynonyma et adumbrationes plantarum omnium, quae ex Saxonia colligi poterunt, indigenarum, aliarumque exoticarum iconibus delineatarum. Si Germanici botanici cupient, parabit etiam Germanicas explicationes, vel omnium in Latino opere contentarum, vel notatu digniſſimarum et ad oeconomicos vſus vtilium plantarum. 5. Subiicientur antiquitates, vſus, aliaque de plantis deſcriptis notatu digniſſima.

Per partes vero prodibit hoc opus, ita vt primus faſciculus, qui viginti vel viginti quinque icones earumque explicationes continebit, nundinis paſchatos anni 1775 haberi poſſit: atque quolibet ſemeſtri talis faſciculus ſequetur. Forma erit Riviniano operi in iconibus ſimilis, litterae vero eligentur minores.

Duo igitur rogantur omnes hiſtoriae naturalis ſtudioſi, 1. vt bibliopolae *Cruſio* nomina profiteantur, quo numerus editionis certus conſtitui poſſit. Pretii, quod, accepto faſciculo, ſoluendum eſt, omnem aequitatem promittit. 2. vt botanici Saxones cum editore Cl. LESKE communicent, ſi quas nouas, nec dum deſcriptas plantas alicubi creſcere nouerint. Is hoc beneficium gratiſſima mente agnoſcet.

Non egere hoc inſtitutum commendatione adducimur, vt putemus, partim ex indefeſſo et aſſiduo ſtudio Cl. LESKE, partim ex aliis operibus per *Cruſium* curatis, quae exſpectationem non fefellerunt.

XXI. Con-

XXI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1771 prodierunt.

IO. GOTTLOB LEIDENFROST diſſ. inaug. de morbo conuulſiuo epidemico, Germanorum caritatis annonae comite, vulgo *die Kriebelkrankheit.* Reſp. *Godofr. Guil. Dauide.* Duisburg. ad Rhen. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de ſtatu praeternaturali ſucci retis Malpighiani, ſeu de morbis ſupracutaneis. Reſp. *Io. Melchior Zwicki.* ib. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. ſiſtens theſes de quibusdam ad praecauendam apoplexiam ſpectantibus. Reſp. *Frid. Aug. Iaeſchke.* ib. 4.

IO. GOTTFR. LEONHARDI diſſ. de frigoris atmoſphaerici effectibus in corpus humanum. Reſp. *Io. Chriſt. Redlich.* Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de reſorptionis in corpore humano praeter naturam impeditae cauſſis atque noxis. Lipſ. 4.

Obſervations ſur la cure de pluſieurs polypes de la matrice, de la gorge & du nez. Troiſieme edition corrigée & augmentée d'un ſupplement. Par. Mr. A. LEVRET. à Paris 8.

WILH. LEWIS materia medica, *oder Beſchreibung der einfachen Arzneymittel, überſetzt von* IOH. HEINRICH ZIEGLERN. *Zürich* 4.

DIETRICH WESSEL LINDEN *vier chemiſche mediciniſche Abhandlungen:* 1) *vom Urſprunge der mineraliſchen Waſſer,* 2) *Anmerkung über des Herrn* VON WELLIM opus magico-cabaliſticum, 3) *von der beſondern Kraft der Miſtel gegen die Epilepſie,* 4) *neue Art den tollen Hundebiß oder die Hydrophobie zu curiren. Von dem Verfaſſer aus dem Engliſchen überſetzt und erläutert Aufs neue und*

mit

mit chemiſch-phyſikaliſchen Beyträgen des AB INDAGINE *herausgegeben. Amſterd. und Leipz.* 8.

CAR A LINNÉ mantiſſa plantarum altera generum editionis VI. et ſpecierum editionis II. Holm. 8.

EIVSD. diſſ. ſiſtens fundamenta teſtaceologiae. Reſp. *Adolph Murray*. Vpſal 4. c. f.

The practice of phyſick in general as delivered in a courſe of lectures on the theory of diſeaſes and the proper method of treating them. By TEOPHIL. LOBB, M. D. published from the Doctors own Mſ. Vol. I et II. Lond. 8.

IO. FRIDR. LOBSTEIN diſſ. inaug. de valuula EVSTACHII. Reſp. *Io. Michael Dioboldt.* Argent. 4.

EIVSD. diſſ. de hernia congenita, in qua inteſtinum in contactu teſtis eſt. Reſp. *Io. Nounemann.* ib. 4.

CHRIST. GOTTLIEB LVDWIG inſtitutiones therapiae generalis, praelectionibus academicis accommodatae. Editio altera emendata. Lipſ. 8.

EIVSD. diſſ. inaug. de oligochymiae differentiis. Reſp. *Chriſt. Gottlieb Altenburg.* ib. 4.

EIVSD. progr. inaug. de elaboratione ſuccorum plantarum in vniuerſum. Pars II. Flos. Fructus. Germen. ib. 4.

Bibliothéque phyſique de la France ou liſte de tous les ouvrages tant inprimés que manuſcripts, qui tractent de l'hiſtoire naturelle de ce Royaume, avec des notes critiques & hiſtoriques par feu Mr. LOUIS ANTOINE PROSPER HERISSANT. Ouvrage achevé & publié par Mr. ***, Doct. regent de la même faculté. à Paris. 8 mai.

Unterſuchung und Zergliederung des Waſſers, mit Anmerkungen und Erfahrungen eines vornehmen Scheidekünſtlers herausgegeben von DIONISIO ANDREA SANCASSINI MAGATI VON SCAN-

DIANO. *Aus dem Italiäniſchen überſetzt von einem Verehrer der hermetiſchen Weisheit* F. V. B. *Langenſalza* 8. *m. K.*

FRANZ. LE MAINE diſſ. de noxis, quae ex euacuantibus medicamentis nonnunquam oriuntur. Lugd. Bat. 4.

Schriftelyk rapport vangande de graſſeerende ziekte de Maurik in den ampte van Neder-Betuwe, door MAXIMILIAN IACOB DE MAN, Med. D. Te Nymwegen 8.

Examen & analyſe chymique des différens remedes, que Mr. NICOLE met en uſage pour le traitement des maladies vénériennes: avec quelques obſervations ſur la guerison des dartres & des ecroüelles & la publication d'un reméde efficace contre ces maladies. Par Mr. D. P. MARGES. à Paris 8.

Neues ſyſtematiſches Conchyliencabinet, geordnet und beſchrieben von FRIEDRICH HEINRICH WILHELM MARTINI, *und unter deſſen Aufſicht nach der Natur gezeichnet und mit lebendigen Farben erleuchtet durch* Andreas Friedrich Happe. *Zweyten Bandes erſte und zweyte Ausgabe. Nürnberg* 4. mai.

EIVSD. *Entwurf zu einer gemeinnützigen Journals-Geſellſchaft, und Verzeichniß der Bücherſammlung, welche den Mitgliedern dieſer Geſellſchaft außer der gelehrten Zeitung, Journal nnd andern periodiſchen Schriften zur Nutzung angeboten werden.* ibid. 8.

Philoſophia Britannica, *oder neuer und faßlicher Lehrbegriff der Neutoniſchen Weltweisheit, Aſtronomie und Geographie in* 12. *Vorleſungen, mit Noten, die phyſiſche, mechaniſche, geometriſche und durch Verſuche beſtätigte Beweiſe und Erläuterungen der geſammleten Naturkunde enthalten, mit*

8 1. *Ku-*

81. *Kupfertafeln von* B. MARTINI. *Erſter Theil, aus dem Engliſchen überſetzt, verbeſſert, und mit Zuſätzen und neuen Theorien vermehrt von* C. H. WILKE *Leipz.* 8. *m. K.*

THOM. MARTYN catalogus horti botanici Cantabrigienſis. Cantabr. 8 mai.

VON MAVR. V. HVBER VON MAVR.

Die Vertheidigung des Gypſes als einer vortrefflichen Düngſorte gegen verſchiedene Zweifel -- von I. F. MAYER. *Fr. am Mayn* 8.

FRID. CASIMIR. MEDICVS index plantarum horti Electoralis Manheimenſis. Manhem. 8.

CHPH. IACOB. MELLIN ſelecta formularum medicinalium exempla. Altenburg. 8 min.

CHPH. IACOB. MELLIN pharmacia ſeculo moderno accommodata. Lipſ. 8 mai.

EIVSD. *Auszüge aus den beſten mediciniſchen Schriften des 16ten und 17ten Jahrhunderts. Altenb.* 8.

EIVSD. *practiſche* materia medica. ibid. 8 mai.

Abrégé des bons fruits, avec la manière de les connoître & de cultiver les arbres. Par. Mr. JEAN MERLET. à Paris. 12.

IO. MEYER ſpec. inaug. de fiſtula ani. Argent. 4.

IO. FRIEDER. MEYERS, *Pfarrers zu Kupferzell, zweyte Fortſetzung der Beyträge und Abhandlungen zur Aufnahme der Land- und Hauswirthſchaft. Frankf.* 8.

* * * MILL *Verſuch vom Wetter, nebſt Anmerkungen über des Schaafhirten von Bambury Regeln, wie man von den Veränderungen deſſelben urtheilen ſolle. Leipzig* 8.

IO. GEORG. MODELS *Unterſuchung des Mutterkorns, aus deſſelben chymiſchen Nebenſtunden. Wittenberg* 8.

IO. WILH. MOELLER diſſ. inaug. exhibens criteria partus olim enixi diagnoſtica. Gotting. 4.

Verzeich-

Verzeichniß einer Sammlung von Bildniſſen größtentheils berühmter Aerzte, ſowohl in Kupferſtichen, ſchwarzer Kunſt und Holzſchnitten, als auch in einigen Handzeichnungen. Dieſem ſind verſchiedene Nachrichten und Anmerkungen vorgeſetzt, die ſowohl zur Geſchichte der Arzneygelahrheit, als vornehmlich zur Geſchichte der Künſte gehören, von I. C. W. MOEHSEN. *Mit Vignetten. Berl.* 4 mai.

